COMMENTARII *SCHROEDERIANI* PARS ALTERA *DE* MEDICAMENTIS COMPOSITIS *seu* PHARMACEVTICIS.

UTut longè sit nobilius, & in medicinæ primordiis potissimùm consuetum fuerit, per simplicia curare, & *HELMONTII* sententia à veritatis scopo non abludat, dum, *pauca*, inquit, *Medicum nobilitant*: nempe nobiliora, generosiora & efficaciora remedia ritè præparata: Attamen, quia hæc simplicia cruda, vel in substantia solida assumi non facilè possunt, orta hinc est Medicamentorum Præparatio, quæ maximam partem, si non omnis, in pulverisatione vel decoctione & Infusione consistebat. Tractu verò temporis, ubi unicum simplex omnibus indicationibus non satis facere observarent, tentarunt per additionem alterius hunc vel illum defectum, vel non satis, ob mentis nostræ caliginem, exploratam virtutem supplere, tum etiam ut ægroti medicamenta, aliàs nauseabunda, faciliùs assumerent, de grata quoq; eorum forma cogitarunt; hacq; ratione medicamenta composita introduxerunt, quæ non semper sunt contemnenda. In quorum compositione, ut omnia ritè fierent, & debita forma proveniret, debitam proportionem observarunt, sicque compositionem medicamentorum in certam quasi artem seu methodum præscribendi formulas redegerunt: de qua arte seu methodo in peculiari Collegio Formulari mihi sermo erit. Jam verò necesse est, ut pro absolvendo Collegio Pharmaceutico ad remedia pharmaceutica, & quidem usitata composita, ab *AUTORE nostro lib.* 2. recensita, accedamus.

Triplex autem in hisce *scopus* est:

1. Ut remedia faciliùs usurpentur ab ægroto: sic v. g. absinthium crudum nemo facilè usurpari poterit: Eadem de ebore crudo raspato ratio est. Alia ergò sub præparatione hic offerenda sunt.
2. Ut virtus medicamentosa simplicium educatur foràs, & separetur à scoriis nõ medicamentosis. *HELMONTIUS* vocat: *sanguinem à cruore secernere*: v.g. Tota vis C.C. consistit in sale volatili maximâ parte, propterea destillatur, ut hoc habeatur seorsim: sic v.g. spiritus cochleariæ destillatur, ut sal volatile antiscorbuticum habeatur, reliquo corpore minus efficaci relicto.
3. Ut corrigatur in simplici, si quid nocivum vel violentum vel virulentum adsit; variase nim dotes habent simplicia, & dum prosunt, etiam nocent, ut opiata. Purgantia omnia vim nocivam & virulentam secum habent: non tamen sunt castranda, ut opium à multis per acida; nec planè destruenda crasis, quin potius extrahatur integra, ut possit usurpari relicta parte inutili.

Quoad ipsa Composita; vitentur porrò, quantum fieri potest, compositiones enormes, & contrahantur, ut fiant quasi tertium & efficaciores: v.g. Compositiones illæ theriacales pessimæ sunt.

Sub Præparatione verò simplicia variis torquentur operationibus, variaque inde resultant medicamina, ut videre est ex sequentibus.

Medicamenta hæc Pharmaceutica optimè aliàs divi juntur secundùm consistentiæ rationem in liquida, solida, ac mediæ consistentiæ.

Liquida sunt;

1. Destillata; aquæ, spiritus & olea.
2. Soluta & Extracta; uti sunt Essentiæ, Tincturæ, Elixyria, Infusa, Decocta, Olea per infusionem, Olea per decoctionem, Aceta medica, liquores, gelatinæ, emulsiones, vina medicata, ac aliæ infusorum & decoctorum speciales differentiæ; v.g. clysmata, cataplasmata, gargarismi.
3. Expressa: succi, item olea per expressionem.
4. Ex his diversimodè mista: Potiones, Balsama, Syrupi, Julepi, Linctus, Epitemata, Condita, Unguenta.

Solida sunt:

1. Contusa & pulverisata, nempe Præparata, Farinæ, Feculæ, & species seu pulveres compositi.
2. Sublimata: ut flores, salia volatilia, Mercurius sublimatus, &c.
3. Præcipitata; ut Magisteria, Mercurius præcipitatus, &c.
4. Calcinata; ut salia fixa, lapides medicamentosi, calces, usta, &c.
5. Mista; ut Morsuli, Rotulæ, Pilulæ Pomambræ, sacculi, suppositoria, Trochisci, confectiones.

Mediæ consistentiæ, eaq; ferè mista, sunt: Conservæ, Boli, Electuaria, Sapones, Emplastra.

De singulis seorsim, & quidem hâc vice secundùm seriem Autoris nostri; unde incipio.

CAP. XXXVII. *DE* ACETIS.

A*Ceta medicata* sunt vel per simplicem cum aceto vini *infusionem*, vel per artificiosam fermentationem; & hæc ipsa iterum vel volatiliora, vel fixiora.

Aceta medicata per infusionem convenientium vegetabilium simplicem paranda, potiùs cum aceto vini crudo, quàm destillato, præparanda. Nam utut ista cum destillato parata aceta diutius durent, tamen efficacitate cedunt hujusmodi acetis medicatis cum crudo paratis; ut rectè *HOFFMANNUS* habet *Clave p.* 43. sicut etiam notum est, quod, quando à Medico præscribitur acetum, intelligatur acetum vini, ceu ex omnibus optimum & convenientissimum. Hoc tempore quidem etiam ex melle fit acetum; non tamen ita commendatur hoc pro usu medico, quàm pro alchymistico, pro solutionibus metallorum, ac aliis operationibus Chymicis.

Quoad modum infundendi; observetur tempus, quo ingredientia durare debent in infusione, quod pro vegetabilium textura & constitutione est varium: quæ enim tenerioris sunt compositionis, v.g. flores rosarum, tunicæ, calendulæ, violarum, &c. vix per tres horæ quadrantes in aceto relinquendæ sunt, quibus exemptis novi flores infundendi, quod aliquoties repetendum: sic enim brevi morâ partes tantum volatiles & efficaciores ex floribus prolicientur, relictis par-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1017-3 DFG

partim crassioribus & terrestrioribus, à quibus aliàs facilis corruptio, quæ observatâ hâc encheirisi præcaveri potest: quæ verò durioris sunt compagis, diutiùs etiam in infuso relinqui possunt.

Quoad *Aceta per fermentationem*: observandum est, dari etiam aceta plantarum volatilia, quæ striatim spiritus vini instar per alembicum pergunt, magni usus, & ipsis interdum spiritibus ardentibus præferendi: Nempe tum aromatica simplicia fermentatione recluduntur pro spiritu volatili impetrando; si paulò diutius in fermentatione steterint, acorem contrahunt, & perfectè in acetum abeunt. Sed dum sunt in fieri ad acetum, antequam hoc perfectum sit, destillanda sunt, & sic acetum vegetabilium elegans elicitur: hinc v.g. exactâ rosarum aut liliorum convallium fermentatione, si ultro spiritum ardentem deprimi permittimus, ulteriùs, quàm par est, in fermentatione relinquendo: quamprimùm verò acidiusculus perfectus odor sese exerere incipit, destillatur, acetum volatile prodit, & instar spiritus vini striias efformat. Separato hoc aceto volatili, reliquum ex plantis abjci non debet; continet enim fixiores & terrestriores aceti particulas, additis vini fecibus, vel etiam per se in acetum perfectum redigendas.

Facere huc videtur, quod refert *MOELLENBROCCIUS de Cochlear pag.* 75. & 76. spiritum vini infusum super cochleariam, oblivioni traditum, repertum fuisse planè acidum, indeque generosissimum spiritum sulphureum fuisse prolicitum.

Hæc sunt aceta volatiliora per fermentationem.

Quoad *aceta* quasi *fixiora fermentata*, sit exempli loco *acetum diaphoreticum* elegans:

℞. *Ligni santli* ℔ß
sassafras ℥ij
rad. sarsapar. ℥j
flor. sambuc. Mj.
passul. maj. ℥j.

Incis. & contus. coqu. in ▽ *simpl. fontan.* q.s. Colatura ster per aliquot dies in loco calido, acescit sponte; & potenter dosi cochl. j. ad ij. sudorem movet.

Species etiam dictæ cum aceto fortissimo maceran & coqui possunt, donec rubini instar tingatur acetum, quod posteà filtretur, & usui servetur.

Quoad *usum acetorum*: sunt vel simplicia, vel composita; quæ præter vim aceti generalem modificantur pro ingredientium diversitate specifica.

Quoad *aceta simplicia*, est primò

ACETUM ANGELICÆ,

quod fit ex infusione radicis. Commendatur contra pestem; cùm enim aceta optimè prosint in peste, commodè talia aceta adhibentur ex infusione simplicium antipestilentialium.

ACETUM ANTHOSATUM

ex infusione florum anthos prodest in affectibus capitis, in specie in lethargo, & similibus affectibus soporosis & comatosis.

ACETUM CALENDULATUM

ex floribus prodest in syncope, lipothymia, & palpitatione cordis; & externè in affectibus hystericis.

ACETUM CORTICUM CITRI

specificatum est in stomachi affectibus, imprimis flatulosis, item in peste, in qua aliàs usurpantur aceta bezoardica: de quibus paulò pòst

ACETUM LAVENDULÆ

è floribus capiti conducit.

ACETUM MENTHÆ

ex foliis stomacho conducit, imprimis in apepsia & apetitu prostrato.

ACETUM RUBI IDÆI

è fructibus convenit in virium defectu.

ACETUM RUTACEUM

è foliis est unum ex primariis antipestilentialibus: uti etiam

ACETUM SAMBUCINUM

ex floribus.

Quoad *aceta composita*; in usu sunt Aceta Bezoardica & prophylactica, quorum variæ & diversæ prostant Descriptiones. Aliquot videbitis in *AUTORE*, qui diligenter est legendus pro repetitione materiæ medicæ, & pro meliori examine proportionis. Sanè loco tot ingentium compositorum, qualia hinc inde prostant, & *AUTOR* habet *num.* 2. & 3. *pag.* 127. Acetum infusionis theriacæ cum camphora sufficit, vel acetum infusionis baccarum juniperi cum myrrha, addendo camphoram.

Talia aceta diversimodè usurpantur internè & externè.

Internè adhibentur pro præservando à peste singulis horis matutinis cochlear j. vel alterum: in cura permiscentur convenienter cum sudoriferis & eis volatilibus talia aceta, & ita hauriuntur non sine successu.

Externè in peste, in syncope & lipothymia: item quando ægri nimiùm sudant in febribus malignis & pestilentialibus. Applicatur cum linteis pulsibus & naribus; attracta enim vis aceti per nares sensim sensimque alterat massam sanguineam, eamque, quò minus venenum pestiferum possit suam ludere tragœdiam. Confirmat hoc *BARTHOLINUS Cent.* 4. *Hist.* 13. dum refert: *per acetum rosaceum carpis & naribus admotum, per aliquot dies fugitivæ vitæ remoram injectam fuisse*, se aliquoties vidisse.

His acetis Bezoardicis commodè pro temperamento, in iis imprimis, qui non possunt perferre aceta, ut sunt senes & mulieres hystericæ, potest addi spiritus juniperinus, spiritus de baccis sambuci, spiritus corticum citri, &c. sic enim temperatur vis aceti, non tamen tollitur, sed, ne nocere possit corpori, temperatur à spiritu volatili, & magis fit appropriata.

CAPUT XXXIIX.

DE AQUIS DESTILLATIS.

QUæ destillando in pharmacopæis præparantur sunt *aquæ, olea destillata*, & *spiritus*, &c. ubi ignis primarium artificium Chymicorum est, qui per motum operatur, & facit nova producta. Ignis enim aut separat volatiliora à fixis, idque sub operatione, quæ vocatur destillatio; quando nempe separantur duplici formâ, vel liquidâ vel siccâ: In forma sicca est sublimatio, dans flores, de qua *suo loco*: in humida dat aquam, spiritus, olea, &c. Sunt hæc nihil aliud, quàm phlegma concreti essentiale, motu & impulsu caloris separatum, de viribus hoc est concreti particulis activis plus minus participans.

Circa has considerentur:

1. *Subjectum*, ex quo destillari possunt, quod sunt vegetabilia & animalia; mineralia enim destillando nihil aquæ suggerunt, nisi forsan phlegma vitrioli excipiatur, aut aqua destillata ex pluvia, nive, rore, &c. Reliquæ aquæ ex mineralibus destillatæ sunt pura phlegmata, ex salinis concretis orta; hinc parum vel nihil valent, excepto phlegmate vitrioli, quod hecticis ratione gas sulphurei maximè convenit, & ab *HELMONTIO* habetur.

Quoad aquas verò destillatas, tàm ex vegetabili quàm

quàm animali regno, variat harum vis & efficacia, prout plus vel minus de concreto suo participant. Interim malè præferuntur à quibusdam Decoctis & Infusis, ex quorũ numero est *Ammelungius in suo Tract. apologetico de Chym. cap.* 1. *p* 115. uti etiam *Zwingerus in Exam. Principiorum chymicor. p.* 94. & *p.* 116. cùm hæc, præsertim in animali regno, multum de substantia simplicis participent; aquæ verò destillatæ parum admodum; cùm ob diacrisin partium impossibile sit, ut crasin totius retineant: quare ab *Helmontio* hinc inde, in specie in *Tract. de Febribus cap.* 8. §. 1. rectè vocantur: *sudores inutiles plantarum, quem fundunt sub incalescentia ignis, ut nihil participent de crasi simplicium, omniq; efficacia & energiâ agendi destitutæ sint:* quo etiam inclinat *CONRINGIUS in Tract.* eleganti *de Medicament. Hermet. cap.* 20. *p.* 262. qui *parum illis virium inesse* dicit; imò *omnes ejusdem esse potentiæ & naturæ*, audacter asserit.

Medium tamen tenuêre beati: unde rectè fecit *ZWELFERUS in animadversionib.* itẽ *LAURENBERG. in scriptis contra Schrœderũ*, atq; etiam in *Paralipomenis*, qui non sine ratione inter plantas distinguunt & diversam earum pensitantes naturam, alias efficaciores, alias minus efficaces pronunciant.

Opposita sunt aliàs Destillatio & Decoctio simplicium; illa volatilioribus, hæc fixioribꝰ debetur subjectis. Decoquimus animalium partes pro gelatina efficaci, quarũ aquæ nil valent: Destillamus antiscorbutica & aromatica in spiritum, quorum decocta parum virtutis specificæ retinent, cùm hæc in volatiliori cõsistat substantia, quæ decoquendo avolat: sic eæ plantæ, & earum vegetabilium partes, quarũ vis in terrestreitate quadã pontica consistit, destillationi inepta sunt. Ergò vel infundenda, i. decoquenda sunt: utrũq; tamen nõ sine judicio. Primò enim solvitur concretũ, & κρᾶσις sal na beneficio coctionis elicitur. Attendatur ergo vegetabiliũ natura: quæ destillanda? quæ verò decoquenda sint? v.g. aqua destillata & decocta fol. quercus multis parasangis differunt: volatiliora destillanda, fixiora decoquenda sunt: sic aqua foliorum querc° nil valet; quia vis in terrestriori substantia consistit, hinc decoctum ejus præferendum: sic alchimillæ pariter aqua destillata phlegma est insipidũ & iners; decoctum verò ej° est vulnerarium sumum internum: sic cinnamomum vim omnem ferè per destillationem cum vino emittit, decoctum autem residuum iners in fundo relinquit nauseosi saporis & nullius usus.

Medio modo se habet infusum, quod nec volatilia separat, & fixa tamen imbibit: Dantur enim simplicia, quæ non possunt destillari, nec decoqui; ergo debent infundi: sic essentia croci per infusionẽ cum spirit. vini vel alio liquore spirituoso parata melior est quàm inde abstractus spiritus, utpote in quo volatiliores saltẽ particulæ insunt, quib° separatis extractum remanet: essentia contrà utrasq; & volatiles & fixiores extracti partes in se retinet. Vegetabilia ergò, si rigoroso igne solùm per retortam destillentur, tàm recentia quàm arida, dant phlegma, spiritum acidum & oleum empyreumaticum; parili ratione atq; ex lignis hæc obtineri solent: moderato verò igne tractata recentia cruda dant phlegma, item olea destillata, nempe aromatica, quæ fermentata oleorum loco spiritum volatilem; putrefacta verò spiritum urinosum suggerunt.

Considerandum jam venit: quænã vegetabilia apta sint, ut aquas usui medico convenientes destillando suggerant? Sanè hic unumquodq; vegetabile, & unaquaq; ejus pars, specialẽ ferè meretur considerationem; multa enim, quæ videntur similia, sub ignis examine, ob motum extrinsecus inductum, & novum hinc particularum coalitum, fiunt dissimilia. Sic v.g. piperitis, simplex anti scorbuticum acerrimum, destillatione simplici aquam fundit, acrimoniam saporis exactè referentem; Atum econtrà similis apparenter naturæ insipidam fundit aquam: Epatica verò nobilis, apparenter mitis planta, ritè destillata acerrimam volatilem suggerit aquam: sic flores tiliæ, nisi probè observentur, aquam admodum mucilaginosam fundunt: herba salviæ & flores aquam odoriferam oleosam dant: flores rosarum aquam odoriferam non oleosam: flores jasmini aquam nullius odoris: sic ligna, succi vegetabilium acidi & aceta: v.g. succus citri berberum, &c. nil nisi laticẽ elementarẽ insipidum suggerunt, sine virtute medica; aciditas enim vel à destillatione leniore sub forma extracti seu Rob in fundo vasis remanet; vel fortiore comburitur. Quibusdã in locis aquæ destillatæ ex succis vegetabilium expressis in usu sunt: verùm cum potissimæ virtutes in residuo expresso remaneant, aquæ imbecilles & inodoræ prodeunt.

In genere tamen concreta vegetabilia sunt vel fixiora, vel volatiliora: Illa sunt v.g. vulneraria, adstringentia, ligna, radices, v.g. pœoniæ, liquiritiæ, &c. semina non aromatica, e.g. lini, &c. item ea, quæ sunt dulcia, item consistentiæ viscidæ glutinosæ, ut resinæ, gummata, &c. Hæc aquas merè elementares sudant, salinis atq; sulphureis partibus destitutas: unde ridiculi sunt, & nivem præparant nigram, qui aquas adstringentes ex tormentilla, plantagine, portulaca & similibus haurire volunt; quæ tamen vegetabilia aliàs per fortissimam coctionem tractari volunt: partes autem horum aquosæ per alembicum ascendentes, partibus terrestribus fixis adstringentibus relictis omninò contrariantur. Huc pertinent omnia splenetica propriè sic dicta, ut filix, ceterach, scolopendria, polypodium, & similia terrestria, & minus volatilia & spirituosa, uti vel gustu patet. Ex his destillatæ aquæ, vel cum vel sine vino, parum aut nihil de crasi ac efficacia simplicium secum transportant, adeò ut nulla vis ex his cum aqua destillata prodeat. Hinc patet error illorum, qui sub destillatione aquarum compositarum fixissima sæpè corpora admiscent, ut lapillos cancrorum, tragacantham, bolum Armenam, corallia, margaritas, lapides pretiosos, &c. ubi concreta hæc fixiora tota remanent. Pauca ligna aromatica sunt, v.g. sassafras, juniperinum, &c. quorum aquæ de volatiliori substantia participant, & aliqualem vim medicamentosam obtinent. Ex saccharo, ficubus, passulis, aliisque fructibus nondum fermentatis, &c. aqua insipida & effœta habetur. Volatiliora quæ sunt, rectè destillata aquas medicinales satis efficaces suppeditant, easque vel particulis volatilioribus sulphureis, ut v.g. absinthium, fæniculum, serpillum, rosæ, aliæq; plantæ aromaticæ & nervinæ; vel salinis, idq; non actioribus, ut piperitis, persicaria, epatica nobilis, &c. vel mitioribus, ut fasfara, intybus, endivia (confer. *TACCHENIUS Hippocr. Chym. cap.* 10.) Quo etiam facit sperma ranarum; vel utrisque simul impræg̃natas, ut anisum, mentha, salvia, &c. unde differentiæ talis respectu non incommodè in tres classes dirimuntur herbæ à *ZWELFERO Pharm. Reg. pag.* 215.

Quoad animalium partes destillandas: uno nomine hæ suggerunt nihil, nisi phlegma inutile, plus minus empyreumaticum; quod tàm in partibus solidis quàm fluidis verum est: Ex cruore recenti simplex phlegma iners destillatur, non secus atq; ex cerebro. In cæteris partibus, præsertim carnosis & visceribus, cõsistit vis animalium in substantia gelatinosa, & extinctâ eorum vitâ hoc unicum beneficium expectandum. Atq; sic se habent aquæ analepticæ, item antiphthisicæ.

ficæ & impinguantes dictæ, ex sanguine porcelli vel vituli, cancris fluviatilibus, pulmonibus & epatis animalium, carne suilla, ex caponibus &c. communiter præparatæ; nondũ phlegma assurgit, & crasis substantialis remanet in fundo: unde *qui caponẽ balsamo embryonũ, hirundines aquis antiepilepticis aliuq; addunt & ex capone aquam analeptic. singularem destillare volunt, ridendi sunt*; nam vis nutritiva in gelatinosa cõsistit substantia, cujus spiritus licèt aliquantulũ destillatione simul elevetur, unde & aquæ illæ, prout & aliæ ab amygdalis à symphito majore &c. elicitæ, successu temporis rancescunt, illud tamẽ ad nutritionem nõ æq; sufficit, unde gelatinæ animaliũ, decocta & juscula harum partium longè præferendæ sunt eorund. destillatis aquis: nã hæ ipsæ partes sunt fixiores, quàm ut possint destillari per alembicum: de quo vid. *Sennertus in fin. de Decoctis, Zvvelfer in Pharm. August. p. 287. 289. & in Pharm. Reg p. 200.* & alii Autores. Eodẽ modo se habet res cũ *aqua seri lactis* destillata inani phlegmate. Unde animalium aquæ in genere parvæ vel nullius sunt efficaciæ, nisi excipere velimus insecta, copioso sale volatili impregnata, ratione cujus cancri contusi, cochleæ contusæ, sperma ranarum & similia suggerunt aquas sale volatili impregnatas non rejiciendas: sic ex cancris fluviatilibus vivis contusis, cum semper-vivo & sale ammoniaco permistis, conveniens destillatur aqua pro angina, inflammatione, prunella die Bräune/ & aliis affectibus faucium, morboq; Hungarico: sic & aquæ formicarum suo non carent usu, cùm constent sale volatili sufficienti, eoq; satis acri. Ex cornubus quidem non potest destillari aqua, sed spiritus; novella verò cervorum cornua, quæ *typha* vocantur, eaque teneriuscula & molliora, subministrant aquam satis elegantem in morbis malignis, in variolis & morbillis, in syncopticis affectibus, & similibus aliis: in nimio lochiorum fluxu singularis est, in quo permista cum osse de corde cervi pulverisato habetur specifica. Aquæ ex stercoribus animalium, ut hominum, vaccarum, &c. destillatæ, operationes suas quoque edunt. In cujuscunque certè animalis stercore vermiculi nascuntur sui generis: vid. *POTERIUS*. Imprimis pro usu externo inter cosmetica & ophthalmica solent experti, uti monui de stercore anserino, humano, columbino, vaccarum, ex quo destillatur *aqua omnium florum*.

Dubium saltem est: *an non ex partibus animalium adhuc viventium spirituosa illorum pars virtutem suam exercere valeat?* ita ut vivæ animalium partes aquis infundantur, & hinc destillentur; unde & *Zvvelfferus* pro aquis apoplecticis, item epilepticis destillandis, hirundines vivas discerptas infundit. Sed reverà & hîc parum est, quod medicina exinde expectare valeat, cùm vitâ extinctâ superveniens ignis destruat vim spirituum vitalium, ita ut inutile phlegma prodeat.

II. Consideretur *modus destillationis*: hic in tribus consistit; vel in prædispositione subjecti destillandi; vel in instrumento destillationis; vel in addito destillando: quæ omnia eò collimant, ut copiosior & sincerior volatilium particularum substantia elevetur.

Prædispositio subjecti in vegetabilibus consistit eorũ maceratione, subjectorum præsertim duriorum, radicum, seminum aromaticorũ, &c. aut fermentatione, vel inchoata saltim vel absoluta. Per *inchoatã fermentationẽ acquiruntur aquæ nonnihil spirituosiores* ac penetrantiores; per absolutã fermentationem verò aquæ, quæ suos insequuntur spiritus, & etiam plus de virtute plantæ suæ communicant, quam aquæ comũnes, cùm oleum in iis magis resolutũ sit, à quo omnis earum virtus est. *Putrefactio* etiam huc facit, speciatim in fructibus, qui per se saltem phlegma simplex dimittunt; putrefacti verò plus minus sale volatili acuatum illud largiuntur, qua ratione ex pomis Borsdorffianis putridis egregia fit aqua chirurgica contra ulcera maligna & phagadœnica, ambustiones gangrænam, &c. In animalibus putrefactio aliqualis disponit earum partes, ut phlegmata spiritu ac sale volatili urinosis plus minus impregnata dent; quâ ratione cancri fluviatiles, lumbrici terrestres, &c. aliquantisper putrefacti aquas medicamentosas satis efficaces largiuntur. Quod attinet *instrumenta*; variant hæc pro subjecti destillandi varietate. Pro vegetabilibus & animalibus ℳ, & hinc vesica, sunt usitatissima, ut ut teneriora & volatiliora subjecta etiam balneo vaporoso eliciantur; duriora aut fixiora etiam cinerum ignem requirant. Per vesicam destillandi modus est cognitus; commendo tamen imprimis modum *Wedelii*: de quo vid. *Pharm. p. 70.* vel concinnum etiam est vas quasi compositum ex vesica & ℳ *Zvvelferi in Pharm. Reg. p. 19.* ita ut vesica non immediatè imponatur igni, sed potiùs in vas quoddam aquâ repletum: quod ipsum immediatè igni exponitur, & sic etiam fixiores particulæ sine ulla combustione & empyrevmate, simul elevantur, cùm econtrà simplicis ℳ calor nimis moderatus sit. Modũ hunc destillandi subministrat etiã *Schenckius in ult. edit.* In defectu hujus balnei *Zvvelferi* perplacet instrumentum Dni. *Feburechym. p. 1.* quod est furnus quasi compositus ex vesica & igne cinerum l. arenæ: Destillantur nempe vegetabilia igne aperto, carbonibus adaptando patinam terream, cineribus l. arenâ repletam: huic immittitur vesica vel vas, in quo vegetabilia destillanda; sic vi ignis fortis vel aquæ l. arenæ, vel cinerũ, calore lento & tepido sensim sensimq; admodum volatiles & efficaces sine empyrevmate prodeunt aquæ, observatis his circumstantiis, ut sint volatilia subjecta sulphurea.

Vesica autẽ ista, per quam fit aquarum destillatio, sit stañno obducta interiùs, aliàs particulæ vegetabilium salinæ acriores abradunt nonnihil de cupro, licet per se insensitivè; unde de hoc aquæ simul participantes, fiunt nauseosæ. Exemplum hujus rei elegans subministrat *Tacchenius in Hippocr. Chym.* cum aqua rosarum, quæ destillata per tale vas cupreum, postmodum infusione olei tartari aut spiritus salis ammoniaci præcipitat pulverem viridiusculum, qui fusione abit in perfectum cuprum. Notetur etiam de instrumentis plumbeis, quod malè hæc cõveniant: nam si destillantur in ils acida vel facilè acescentia, vel plantæ salinæ acriores, transitu suo abradunt particulas plumbi, & aquas nauseosas & interdum vomitorias constituunt: sin verò expetantur pro applicatione externa in morbis externis, v.g. in erysipelate, in inflammationibus, itẽ omnes aquæ cosmeticæ, & omnes tales aquæ, quæ pro usu externo expetuntur, possunt commodè destillari per cucurbitas plumbeas; cum notum sit, quod Saturnus sit quarta columna chirurgiæ, & quod particulæ plumbeæ cõveniant tàm in cosmeticis, dissolutæ in aqua convenienti, quàm omnibus aliis externis affectibus in ulcerum & vulnerum cura: sicut aliàs aquis vulnerariis externè applicandis permisceatur pro majori efficacia saccharum Saturni, quâ permistione non indigent aquæ destillatione per vasa plumbea.

In specie pro usu interno optimè destillantur plantæ per vasa vitrea, vel vitreata, monente hoc ipsum Poterio; unde efficaces aquæ per retortam in vaporoso balneo, v.g. è carduo benedicto, majorana, &c. elici possunt, secundùm modum *BORRICHII in Ægypt. Sap. pag. 372.*

III. Tandẽ quoad addita rebus destillandis, vulgò aqua comũnis affunditur, ne materia destillanda empyrevma cõtrahat aut comburatur, atq; in hoc satis sunt libe-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1020-8 DFG

liberales Pharmacopæi, ut plus aquarum acquirant. Malè autem destillatio cum aqua instituitur, nisi in siccioribus aut aridioribus: v.g. seminibus, radicibus & lignis, cùm sic maxima pars prodiens sit aqua simplex adjecta; unde parum medicamentosæ substantiæ in aqua copiosa diffunditur, ut in medicina parum valeant. Potiùs plantæ succulentæ & recentes, & hæ ipsæ sub optima sua vegetatione constitutæ, per se destillentur ex balneo vel instrumento Zwelfferi, licet acquiratur minor quantitas aquæ (sin minus succulenta possunt irrorari cum s.q. aquæ, ne fiant fœtidæ aut empyreumaticæ) & hinc aqua destillata propria super recentem plantam denuò affusa iterum destilletur, & sic per sæpiùs repetitam cohobationem, quò sæpiùs eò melius, meliorentur. In quem finem imprimis convenit, si colligantur vegetabilia tempore matutino rore madida, cujus menstrua vis promovet utilium particularum separationem. Herbis aromaticis, item iis, quæ solent dare in destillatione cum sua aqua simul oleum, v.g. absinthio, salvia, &c. his commodè possumus addere paucillum fæcum cerevisiæ recentium, & per tempus digerere, ut quasi fermentare incipiant; sic recluditur compages & concretum misti & aquæ fiunt meliores, æquè ac efficaciores; cum fæces cerevisiæ attenuent, penetrent, incidant & resolvant subtiliores plantarum partes salino-sulphureas. Vinum quibusdam affundi solet aut adspergi, imprimis plantis aromaticis, ut nempe à spirituositate ejus firmius abiconditæ particulæ volatiles oleosæ solventur ac imbibantur, & sub ejus vehiculo copiosius sursum rapiantur, & ipsa etiam concreta à vini aciditate magis incidantur & penetrentur; & tales sunt aquæ plantarum destillatæ spirituosæ: sic v.g. destillantur flores liliorũ convallium, semen anisi, cinnamomũ, &c. sic & quando aromatica arida destillanda sunt, macerentur in vino, & post dicto modo cohobando aliquoties destillentur. Spiritus vini etiam quibusdam affunditur ut ejus medio resolvantur & eleventur particulæ oleosæ aromaticæ; unde aquæ cum & sine vino destillatæ, item aquæ vitæ compositæ, quales sunt apoplecticæ, epilepticæ, asthmaticæ, &c. hinc inde magno numero prostare solent; sicut & ab *AUTORE nostro* statim in principio *cap.38.p.128.* dividuntur aquæ destillatæ in aquas simpliciter sic dictas, & *in spirituosas*, quæ aliquid participant de natura spiritus volatilis facilè inflammabilis; qualis est v.g. spiritus vini.

Rarum est, & verè secretum, quod refert *BARTHOLINUS Cent.3. Epist.p.434.* de virgine satis docta & erudita in chymia, quæ *potuit destillare aquas quovis anni tempore valdè efficaces, sine aqua, sine igne, sine glacie, & sine nive.* Dixi sine nive, & sine glacie; quoniam, uti habebimus suo loco, cum nive & glacie potest rectificari spiritus vini.

Sunt *aquæ destillatæ* porrò vel *simplices* vel *compositæ*; & hæ vel destillatione simultaneâ vel successivâ mistione. Exemplum sit aqua vitæ suavissima, si

℞. *spiritus anisi*
baccar. junip. à part. æqual.

Exactè rectificentur, & loco proprii phlegmatis aquæ rosar. fragrans, cum tantillo aquæ cinnamomi mixta, addatur: decurrens per rostrum alembici spiritus ambram & crocum in nodulo permeet: tinctum hoc destillatum saccharo aliquantulum edulcoretur.

Aquæ destillatæ quævis sunt porrò vel magis vel minus durabiles; nempe citiùs corruptibiles sunt, quò minùs oleosis particulis saturatæ; quò magis verò principiis activis turgidæ sunt, eò durabiliores; v.g. aqua salviæ & majoranæ magis durabilis est præ aqua acetosæ vel veronicæ.

Colorem quod attinet, qui destillandoa quis destillatis debet conciliari, etiã in hoc passu sua specialis florum & plantarum est differentia; res tamen jucunda magis quàm proficua est: vid. *ELSHOLZ in Destillator. Curiof.* Lacteæ quædã observantur aquæ, præsertim ab aromaticis subjectis destillatæ, quod fit ob intermistas salino-oleosas particulas, à quib⁹ ceu aquis non probè cõmiscibilibus, lacteus talis liquor emergit, ut in aqua salivæ v.g. fieri solet. Non confundend⁹ hic color recentibus destillatis aquis familiaris, cum aquarum destilatar. matre, sive ut vocant die Mutter: hæc enim uno nomine est concretum quasi tartareũ solutum, hoc est, particulæ salinæ volatiles & spirituosæ oleosæ successivè se uniunt & figunt, & in sedimentum tale rarum & spissum coeunt; unde in his potius aquarum destillatarum vis & efficacia continetur, cæterâ aquâ penitus inutili existente.

Usus aquarum destillatarũ est vel generalis, vel specialis. *Generalis*, quatenus ceu vehiculum inserviunt aliis remediis propinandis; ubi observandũ: quod crebrior earum usus nauseosus sit, quatenus substantiæ rarefactæ tonum stomachi nõnihil relaxant. *Specialis usus* est varius, prout nempe aquæ, quæ de virtute sui simplicis plus minus participant, etiam sub hac consideratione nunc huic nunc illi affectui magis appropriatæ sunt. Hinc simplices aquarũ sudores, v.g. aqua plantaginis, portulacæ, tormentillæ &c. promiscuè usurpari possunt, econtrà aqua menthæ in stomachi affectibus, aqua florũ acaciæ in pectoris, aqua liliorum convallium in hypochyniis, &c. magis appropriatæ sunt.

Cum ergò aquæ vegetabilium tam parum valeant, proinde quæritur: *qua ratione crasis medicamentosa possit haberi pura, citra admistionem fæculentorum recrementorum?* Hoc duplici modo absolvitur: vel per admistionem destinctorum productorum; ubi in eo hoc consistit, ut in aqua solvatur sal, & fiat extractum. *Zwelffer⁹* ejusmodi essentias parat, *qui videatur*: sed hæc non adeò defæcatæ sunt. Meli⁹ ergò præparantur *quintæ essentiæ*, id est, novum concretum ex *spiritu volatili, sale simplicis volatili, & oleo* ejus *destillato*. Processus est elegans, modo in fermentatione & putrefactione spiritus & sal volatile imbibant oleum, quo mutantur in essentiam efficacissimam.

Hac occasione quæritur: *an dentur etiam aquæ destillatæ purgantes?* sunt qui affirmant, sunt qui negant. Sed *rectiùs affirmari potest*; utut hoc assertum generaliter admitti nequeat, eò quod vis quam plurimorũ purgantium in resina consistat, quæ adeò volatilis non est, ut per alembicum ascendat; quorundam in substantia mucilaginosa, v.g. mechoacannæ, &c. ex quibus nullæ vires & particulæ purgantes per destillationem adscendunt; ex quibus tamen, ut esula, helleboro nigro, &c. destillari possunt tales aquæ purgantes, acrimoniâ manifestâ imbutæ. Sic aqua nicotianæ ex succo destillata ab ℥j ad ℥jß vomitus movere observata fuit, quod etiam *Quercetanus in Pharm. Restit.* de aquis sem. sambuci & ebuli, it. de aquis ex dictis seminibus, aloe & scammonio paratis asserit; conf. etiam *WEDELIUS Pharm. p. 75.* & aqua purgans Zwelferi composita *in Pharm. Reg. p.206.* videbitis. De *aqua hellebori nigri laxativa* vid. *Borrichius Sap. Hermetis p.341.* qui ex tota hellebori nigri substantia per MB aquam copiosam admodum acrem destillavit, cujus ß. cochlearia adolescenti tormina graviora, 12. verò cani propinata, quatuor vomitus & duas sedes excitaverunt: Nã aqua hellebori nigri per alembicum secum rapit sal volatile plantæ, & vim obtinet purgantem. Item aqua ex floribus iridis nostratis cæruleæ destillata similiter purgat. Huc pertinet *aqua manna destillata, Hæferi in Herc. Med. lib.8. p.340.*

quando *manna* & *nitri* āā part. æqu. vesicæ bubulæ includuntur, quæ in aquam calidam suspenditur, donec in liquorem soluta, ex quo aqua quædam insipida destillatur, quæ tamen ab ℥ß ad ℥j propinata laxat.

Sic quæritur etiam: *an detur aqua destillata anodyna sive somnifera?* quod itidem affirmatur. Certum enim est, posse haberi ex papavere recenti destillando aqua blandè anodyna, magis tamen si fermenterur: sic & opium crudum cum aliis ritè destillatum dat phlegma soporiferum. Hinc conf. *aqua anodyna Zwelferi* modò citata, & pertinet huc *aqua hypnotica Reinesii*, qui

℞. *fell. leporis*
sem. papav. alb.
nigri à ℥j.

Infundit in *spirit vini* per quatriduū, & hinc destillat.

In specie plures aquæ simplices & compositæ in officinis prostant, quarum luxuria meritò rejicienda. Plures ab *Autore p.*150. *seqq.* enumeratæ inertes sunt, cùm parùm habeant de viribus concreti: paucæ sufficiunt, quarum sunt ritè parata aqua florum acaciæ, anethi, anisi, cort. aurantiorū, basilici, fœniculi, menthæ, cerasorum nigror. chamæmeli, chelidonii majoris, exaticæ nobilis, lavendulæ s. spicæ, liliorum convallium, majoranæ, pœoniæ, præsertim ex succo radicis, persicariæ maculosæ, pulegii, rosarum rubrarum suaveoleotium, flor. sambuci, salviæ, serpilli, taraxaci, spermatis ranarum, &c. quæ paucæ loco omnium abundè sufficiunt: Item aquæ spirituosæ cum vino, aut spiritu vini l. frumenti destillatæ, aqua cinnamomi spirituosa, melissæ cum vino, &c. suam merentur commendationem, & sunt reverà spiritus.

Quoad *compositas*, plures ab *AUTORE p.*134. *seqq.* describuntur, paucæ aliquid valent; rectè *in Nota ante aquarum compositiones* monet, quod nō admiscenda sint talia ingredientia, perlæ, v.g. corallia, &c. quæ nullam destillando dant aquis efficaciam, quales sunt aquæ quam plurimæ Mynsychthii, adeò ut meritò rigorosum Zwelferi examen postularunt.

Ex his compositis *num.*1. *p.*134. est *Aqua Anhaltina*, quæ propter ingredientem terebinthinam est quidem penetrantissima interno & externo usu, sed saporis ingratioris, & efficax pro usu diuretico, & quam plurimis affectibus nervinis, apoplecticis, vertiginosis, paralyticis. Externè commendatur contra paralysin, & arthritidem vagam.

Aqua aperitiva, dicata nempe affectibus iis, in quibus accusantur obstructiones viscerum, ut in cachecticis, scorbuticis, ictericis, &c. est compositio magistralis ingens, econtrà paucissima prodeunt, adeoque nullius pretii. Citri cortex quidem, thymus & lupulus aliquid conferunt, flores genistæ parum; plantæ & semina, reliquaque omnia fixiora sunt, & nil de se fundunt; uti examinanti ingredientia innotescet, quod facilè etiam potest intelligi, modo pensitentur vires ingredientium.

*Num.*3. & 4. *p.*135. occurrit *aqua apoplectica* potiùs *spiritus apoplecticus, Crollii & Sennerti*, quorum tot sunt compositiones, quot capita Practicorum; ubi tamen omnes sunt spiritu vini abstractæ ab aromatibus & vegetabilibus cephalico-aromaticis: quò sæpius abstrahuntur, eò magis potentes cephalicæ & apoplecticæ fiunt. In officinis nostris in usu est aqua apoplectica Kolreutori, quæ elegans est in affectibus capitis, & ingredientibus aliis spirituosis non incongruè permiscetur.

In his autem præparandis notetur:

1. Quod vulgò vinum affundant, sed malè; copiosum enim phlegma secum habet; quod impedit, ne spiritus ex subjectis aromaticis oleum & salinum volatilem substantiam extrahere possit.
2. Omnibus aquis ejusmodi apoplecticis & analepticis meritò spiritus salini & salia volatilia, ut C. C. succini, &c. addantur; vel simplici mistione, vel sub destillatione ipsa simul incorporentur: sic enim fiunt penetrantiores & efficaciores.
3. Semper castoreum addatur propter volatilissimam penetrantiam, quam in affectibus apoplecticis, epilepticis, paralyticis, uterinis & similibus nervinis habet.

Inter *aquas apoplecticas* & *analepticas* spirituosas, quas habet *AUTOR num.*3. 4. 7. 10. 11. 13. 30. 37. 41. & 46. una alteravé abundè sufficit: v.g. vel *aqua apoplectica Crollii*, *num.*3. vel *aqua contra terrorem num.*41. *pag.*149. Exempli loco, quod instar omnium sit, & ad cujus imitationem plures ejusmodi aquæ compositæ possunt concinnari, sit spiritus sive aqua apoplectica D. Mœbii:

℞. *flor. lil. convall.* ℔ vj
cinnam. ℔ j.
zedoar. ℔ß
croci, ℥j.
macis,
caryophyl. āā ℥ß.

Dig. in *in vino Petrosimonis vel vini Malvat.* per mensem, destilletur spiritus, qui servetur: Tunc

℞. *rad. angel. vel vincetox.*
valeriana,
pæon. āā ℥jß ad ℥ij.
fol. melissæ
rorismarini
botryos vel *menthæ* à M. iij.
fl. tiliæ M. iij ad vj
lavand.
spicæ,
salviæ,
thymi āā M j. vel ij.

Macerentur in *spiritu superiore* per mensem clauso vase, & destillentur per vesicam: Tandem rectificetur in balneo super ambram, moschum & camphoram pro usu virorum, (pro usu mulierum sine ambra & moscho) & habebitur aqua composita egregia.

*Aqua asthmatica n.*5. nihil aliud est, quàm spiritus aromaticus: absurdissimè mel, amygdalæ, ficus, passulæ, &c. destillationi committuntur; ex his namque destillando parum virtutis medicamentosæ extollitur; vid. *ZWELFERUS loc. alleg.* Potiùs ergò infusum usurpetur, cum vel sine ebullitione; sic elegantiùs erit, & conveniet in affectibus pectoris, in tussi, asthmate, & similibus resolvendo crudiores mucos in primis viis.

Aqua carbunculi, Herrn-Carfunckelwasser/ est aqua ex aromaticis destillata, cum affusione vini Malvatici. Valdè internè convenit in affectibus cordis ita dictis, & capitis, v.g. in imbecillitate virium, in lipothymia & syncope, in palpitatione cordis & vertigine, item epilepsia, tàm internè quàm externè. Internè permiscetur cum aliis, & datur haurienda ægro; externè naribus & pulsibus applicatur.

*Aqua ad desiccandos catarrhos num.*8. *pag.*137. est aqua serpilli elegans, propter lignum sassafras infundendum: prolicitur hinc tinctura sassafras Mynsychti in affectibus catarrhalibus egregia; quoniam sassafras est appropriatum catarrhorum alexipharmacum.

*Aqua carminativa n.*9. est elegans, materia medica est selecta, & aromata sunt oleosa: sumitur solum vinū generosum, & omittatur aqua chamomillæ. Elegantè aquam carminativam videb. in *HOEFERI Hercule Medi-*

Medico. Superiùs, ubi de aurantiis, dedi *aquam carminativā Mannagettæ*, quæ similiter est satis efficax.

Aqua cinnamomi cum vino malvatico valde convenit in affectibus stomachi, in syncope, lipothymia, in defectu spirituum animalium, in suffocatione uterina, in parte difficili, & similibus affectibus, ubi opus est corrobatione.

Loco vini interdum cinnamomum infunditur in succum cydoniorum, & vocatur *aqua cinnamomi cydoniata*, quæ valdè convenit in affectibus stomachi, vomitu, nausea, cholera, diarrhœa, & similibus affectibus stomachi, ubi roboratione ejus opus est: In anorexia, apepsia, similibusque est egregia, cum aqua & spiritu menthæ permista.

Cinnamomum etiā interdum destillatur cum succo florum borraginis, & elicita aqua dicitur *aqua cinnamomi borraginata*, quæ ad omnia illa prodest, ad quæ aqua cinnamomi cum vino; Dosis est à coch. l. j ad ij.

Aqua cordialis Herculis Saxonia calida num 13. *p.*139. est elegans; saltem loco vini spiritus vini sumatur. Valdè convenit in affectibus malignis & pestilentialibus, ubi opus est spirituum confortatione & vitium refocillatione. Propinatur ad ℥j cum aliis, interdum ℥jß pro indigentia affectus.

Cæterùm *aqua cordialis frigida ejusd. num.*14. descripta est ridicula, & nil valet; nil n. aliud acquiritur, quàm phlegma acetosum camphoratū. Omnes succi ex quibus constat, suggerunt phlegma nudum insipidum, semina & terræ nihil communicant aquæ, uti monui. Ergo phlegma saltem aceti additi & camphora prodeunt. Idem judicium est de *aqua cordiali restaurante num.*15. pag. 140. de qua conf. *HOFFMANNUS Clave pag.*48.

Insulsæ etiam *sunt sequentes aquæ: Cosmetica n.*16. & *cosmetica pretiosa nu.*17. de quibus speciatim vid. *ZWELFERUS Pharm. Reg. p.*249. Quod attinet *aquam cosmeticam n.*16. horrida est compositio, & cū priori ridicula; quoniam basin constituit cerussa alba, das Bleyweiß/ quæ fixū est corpus, & nihil communicat liquori per destillationem: succus limonum à cerussa destruitur, unde phlegma insipidum suggerit: albumen ovi dat phlegma; borrax, myrrha & mastix nil. Sic & *aqua cosmetica pretiosa n.*17. nil valet, & ne tantillum quidem ingredientia suggerunt: est simpliciter aqua rosata camphorata. Melius permiscetur borrax & alumen ustum, uti fit in *aqua cosmetica sive myrrhata Samuelis Clossei num.*18. *p.*141. Sic enim quandam possunt habere efficaciam. Pro jam dicta aqua cosmetica seu myrrhata longè melius esset oleum myrrhæ per deliquium.

*Aqua diuretica ex nucleis num.*20. *pag.*122. non est diu durabilis, propter facilem rancorem; semina enim ista oleosa aliquantum olei subtilioris per aquam transmittunt, à quo ista rancidita.

*Aqua antidysenterica n.*21. ridicula est compositio, ex adstringentibus enim fixissimis in ℞ per alembicū velle habere aquam adstringentem, insulsissimum est. In decocto autem ingredientia hæc suam habent laudem; cum econtrà in destillatione nil suggerant, uti patet examinanti ingredientia; speciatim de hac aqua vid. *ZWELFFERUS l. a pag.*122.

Aquam Embryonum seu *Balsamum Puerorum* videbitis in *Pharm. Regia Zwelferi*: ita dicitur, quoniam usurpatur à prægnantibus ad confortandum fœtum, & præcavandum abortum. Internè sumitur singulis manè cochl. 1. externè applicatur cum crusta seu frustulo panis umbilico mulieris gravidæ imposito, pro fœtu corroborando, & abortu præcavendo. In nimio gravidarum vomitu, item in pica, in nausea &c. adhibetur externè stomacho cū crusta panis.

Aqua Epileptica Langii describitur *in Pharmac. Augustana*, & valdè estusitata apud nos in affectibus epilepticis, aliisque cephalicis.

*Aqua ad gutturis affectu n.*24. nil valet: magis decocta prosunt quàm destillata in tali casu: unde si loco hujus aquæ destillatæ recipiantur ingredientia & fiat decoctum, in quo dissolvatur mel rosaceum & album græcum, longè est convenientiùs, quàm totum hoc destillatum; vel loco talium aqua ex semper vivo majore cum sale ammoniaco destillata usurpetur.

Ad Hecticam valde etiam commendatur *aqua ex sanguine porcellorum* vel *vitulorum*, vel cancris fluviatilibus destillata. Item cum aqua pulmonum vituli cum succo plantarum pectoralium destillata similiter in phthisi & hectica magnificri solet.

Aqua hirundinum cum castoreo valde usurpatur in affectibus mulierum hystericis, item in affectibus hypochondriacis convulsivis, & aliorum epilepticorum symptomatibus, tam quando interna viscera, quàm quando extrema membrorum convelluntur: Descriptionem videbitis in *Pharm. August.* correcta.

Aqua hysterica Martini n.28. p.144. commendatur non tam in hysterica passione, sed etiam in affectibus melancholicis & hypochondriacis; in quibus sæpiùs partes internæ, mesenterium, diaphragma &c. convelluntur; per medicamenta epileptica curantur præmisso vomitorio; de quibus convulsionibus optimè agit *WILLISIUS in Pathol. Cerebri* die schwehre Noth im Leibe vocatur à mulierculis, quæ hoc in passu Medicis superioris seculi sagaciores sunt.

*Num.*31. *p.*145. est *aqua magnanimitatis*, ex basi formicarum concinnata, quæ multum habet in recessu. Modum, quo formicæ sunt colligende, videb. in *Hoffmanni Clave p.*50. Plures hujus aquæ magnanimitatis hinc inde sunt descriptiones, quæ tamen non sunt genuinæ, sicut & *Autoris* compositiones non satis faciunt. Concinna videtur sequens, quam habet *Leurembergius in Mnemon Ciceronis*, & videbitis in M.A.N.C. *Anno 3. p.*605.

℞. *vini malvat.* q.v. pro lubitu:
in eo per 14. dies macerentur
herb. basil.
majorania,
salv.
melissæ,
puleg. āā M.j.
fl. borrag.
salv.
primul. veris
anthos
lil convall. āā p.i.

Digesta probè destillentur per alembicum, tunc circa solstitium æstivum lunâ descrescente die serenâ investigetur nidus formicarum: hujus tumulus aperiatur, & habeatur ad man° cucurbita aperta, in qua sit quarta pars spiritus vini aromatici anteà præparati: immittatur istud vas in tumulum formicarum, & *catervatim irrepent* in cucurbitam, fiat hoc tamdiu, donec præter propter manip. jv. vel v. fuerint collectæ, pòst cum bacillo ligneo agitentur, ut omnes suffocentur, dehinc omnis quantitas spiritus vini affundatur, & vase Hermeticè clauso per 14. dies soli exponantur, hinc denuò spiritus destilletur: cui addatur

conf. anacard.
alcherm. āā ℥ß
croci ℥ß
moschi gr. xij
℘ *sacch. cinnam.* ℥ß.

M. digerantur, & ad usum serventur.

Nec sequens compositio D.K. contemnenda:

℞. *vini super formic. q.s. rectif.* Mens. jv.
adde
herbæ melissæ M. iij

flav. cort. citri ℥ß
cinnam. ʒvj
caryophyl. ℥ij
cardamomi
cubebar. āā ʒvj
zedoar. ℥ij
mastich.
styr. calam.
benzoes ā ℥ijß

stent in digestione per 8. dies, & destillentur, rostro alembici imponendo Moschi ℈ß.

Egregia est hæc aqua spirituosa, spiritus animales & vitales recreans, & in vigore suo ac impetu elastico multum roborans; unde spiritus ita reficiendo quasi animum reddit hominibus, & sic nomen aquæ magnanimitatis acquisivit. In affectibus capitis valdè convenit, memoriæ succurrit, in impotentia virorum in Venerem armat, & atrophiâ correptis, in den Schwinden der Glieder / senibus aut aliàs debilitatis egregiè conducit; sive internè assumatur, sive externè fricentur illâ partes, cùm etiam spiritus formicarum solus internè & externè soleat contra atrophiam commendari; & sicuti spiritus formicarum internè conducit in doloribus partium seu artuum vagis, uti etiam in articulorum fixis, ita etiam in iisdem convenit hæc aqua magnanimitatis. Imperator Maximilianus qui valdè deditus fuit venationi damarum in rupibus Tyrolensibus, quoties se venationi accinxit, usus fuit hac aqua, ceu secreto pro refectione spirituum & contra vertiginem. Dosis est cochl. ß ad cochl. j.

Externè in podagra illita, item in gravi auditu, surditate, & aurium tinnitu, egregia est: Cum aquâ hâc inter destillandum simul ascendit oleositas, quæ est separanda & cautè asservanda; mirifica enim est ad nebulas oculorum discutiendas & attenuendas illita: Item habetur secreta in malo auditu, si guttulæ quædam exce tæ bombace indantur auribus.

Aqua Philosophorum ad omnes laudatur morbos calidos: quasi verò!

Aqua picarum num. 36. pag. 147. est egregia in epilepsia & apoplexia, & similibus affectibus convulsivis: in quo usu etiam convenit *num.* 37. *pag.* 148. descripta aqua salviæ composita, uti facilè patet examinanti ingredientia.

In *aqua splenetica* pauca de suo concreto dant ingredientia, exceptis seminibus. Reliqua nil valent. Quod prodit, est spiritus temperatus carminativus: videatur *ZWELFERUS*.

Aqua contra terrorem, das Schreckwasser / est aqua spirituosa aromatica cum vino præparata, & coincidit cum aquis apoplecticis vulgatibus. Commendatur in terrore imprimis in gravidis, quas disponit terror ad abortum, confortat fœtum, convenit in senibus terriculosis & meticulosis.

Aqua seu potiùs *spiritus theriacalis camphoratus* est polychrestus, diaphoreticus in quam plurimis morbis malignis ac pestilentialibus, in purpura mulierum, &c. multi usus. Secum vehit camphoram & crocum, de myrrha verò minimum participat. Quod si tamen bene mista stent in digestione, myrrha etiam elevatur, & fit spiritus penetrantissimus. Melius forsan esset à speciebus theriacalib⁹ recentibus spiritum abstrahere ad imitationem *HOFFMANNI in Clave p.* 53. cùm in theriaca mel vix quidquam ad rem conferat. Tamen & hoc notandum: factâ fermentatione theriaces particulas ingredientium oleosas & spirituosas melius resolutas esse, ut ita spiritui vini melius cedant; adeoq; sive theriaca, sive spiritus recentes sumantur, parum aberrabimus.

Spiritus hic theriacalis est tertium ingrediens *mistu*ræ de tribus seu *simplicis*, quam habet *AUTOR num.* 44. *p.* 150. & ad huj⁹ imitationem paratæ tincturæ bezoardicæ, quæ reverà essentialiter inter se cōveniunt; differunt tamen ratione coloris, aliàs ingredientia & componendi modus ferè est idem, unde cōmodè potest mistura simplex substitui tincturæ bezoardicæ: Primus autor hujus mixturæ de tribus est *Paracelsus*, qui sub nomine specifici antepileptici eandem misturam in morbis acutis & convulsivis, & speciatim ad epilepsiam cōmendat. Nempe recipit ad ejus compositionem spiritum tartari perfectè urinosum rectificatum, item spiritum vitrioli per nonum alembicum seu volatilem, & tandem aquam istam theriacalem camphoratam. Ad hujus imitationem composita est *tinctura bezoardica* dicta *D. Michaelis:* Hic nempe recipit spiritum tartari probè rectificatum urinosum, & spiritum vitrioli, & invicem miscet: sub qua mistura effervescunt mutuò: Hæc duo beneficio digestionis, & destillatione probè unitâ, miscentur cum spiritu theriacali, digeruntur ac destillantur, & sic per retortam camphora liquori unita simul ascendit: Tingitur postmodū cum santalo rubeo in tincturam rubicundam, sicq; est parata. Compositionem spiritus sui theriacalis videbit in *FEHR de Scorzon. p.* 145. Sed quid prosunt tales rhapsodiæ pro spiritu theriacali parando? Pauca acriora & volatiliora simplicia, per spiritum vini rectificatum sæpiùs cohobando & destillando extracta, idem præstant. Siquidē basin hujus tincturæ constituit camphora cum salso volatili diaphoretico ex alcal tartari & acido vitrioli nato. Non ergò spirit⁹ vitrioli vulgaris fix⁹, nec tartari phlegmaticus, sed spiritus vitrioli volatilis igneus, & spiritus tartari perfectè urinosus, qui fit ex fæcib⁹ vini & optimè rectificatus. Exaltari potest ulteriùs hæc ipsa mixtura ac tinctura mediante opio, si essentiæ ej⁹ aliquantillū ipsi addatur. Loco laboriosioris hujus per destillationes tincturæ bezoard. præparationis, sunt quibus simplices infusiones & hinc spirituū mistiones placant: vid. *LUDOVICI* in M. A. N. C. Anno 4. p. 288. item *in Pharmac. p.* 263. item *HOFFMANNUS Clave p.* 53.

Usus mistura simplicis sive *tinctura bezoardica* citè paratarum est à gutt. 40. vel 50. aut à ʒß ad ʒj in aqua appropriata, vel in haustu vini vel cerevisiæ, pro scopo sudorifero in quovis febrium genere, ardentibus, benignis & malignis, tam præservando quàm curando, præsertim in principio, cùm in progressu, ubi jam caput occupatur, & ægri incipiunt delirare, usus illius non sit tutus propter spiritus volatiles; ac omnium optimè quadrat in febrib⁹ malignis, dysenteria ac diarrhœa epidemica. Potentissimum est sudoriferum; compescit ebulliciones, perturbatam sanguinis crasin rectificat, & si quæ subest malignitas, eā potenter per sudorem expellit; generale enim est sudoriferum, totū corpus permeat, & quicquid maligni offendit, eliminat, adeoq; in quam plurimis morbis cōmendatur. In affectibus subitaneis facultatis animalis, quales sunt paralysis, epilepsia, apoplexia, &c. summa est medicina; & remediū paucis comparandū. Præter dicta mala etiam convenit in affectibus catarrhalibus: in pleuritide & febribus ardentibus cum inflammatione partium internarum conjunctis, ut in erysipelate egregia est hæc mistura. Adhuc convenit in scorbuto & malo hypochondriaco, ubi frequens palpitatio cordis, & opus est, ut proliciatur sudor; unde in melancholia hypochondriaca, nec non mulieribus hystericis, non incommodè propinatur pro circumstantiarum tamen ratione.

Aqua vitæ mulierū nihil aliud est, quàm aqua apoplectica; & propter aromaticum odorem est nimis gravis; si tamen usurpandum est, phlegmate suo vinoso est temperanda. Convenit in affectibus

mulie-

mulierum, imprimis gravidarum, in imbecillitate virium, &c.

Aqua vitæ mulierum camphorata non debet promiscuè omnibus mulieribus propinari; camphoram enim multi abhorrent, & mox incidunt in vomitus. Quæ verò ferre possunt camphoram, præsentaneum hinc remedium habent in passionibus hystericis.

Aqua vomitiva Plateri elegans est & sufficientes vomitus facit sine torminibus. Dosis minima est ℥j, aliàs datur ad ℥jv.

In *aqua saturnina* (*Æsculapii vomitoria* prodit acetum destillatum dulcificatum impræguatũ ramentis Saturnini; quod sufficienter vomitus facit. Interim nec saccharum Saturni nec cerussa vomitus facit; sed tantùm acetum destillatum per plubeum alembicum prodiens, quatenus cum Saturni subtilioribus partibus ad debitam quantitatem coit in concretum vitriolaceum seu saccharum Saturni; acetum enim destillatum alteratur per Saturnum, & dulcescit.

Similiter fiunt aquæ vomitoriæ, si per alembicum cupreum (si scilicet aqua tantillum participet de aceto) destillentur.

Sequitur

CAP. XXXIX.
DE
AQUIS RELIQUIS USUI EXTERNO DICATIS.

AQuas ophthalmicas, quas habet *AUTOR*, laudo; sed aliàs præstantiores videbitis in M.N.A.C. *Ann.6. Append. pag.75.*

Aqua ophthalmica vitriolacea egregia est in affectibus catarrhalibus & inflammationibus oculorum, lippitudine, & ubi fibræ laxatæ stringantur necesse, ut in tonum rectum redigantur.

Aliis paratur hoc modo:

Recipiunt albumen ovi ad duritiem coctum: ex quo per medium dissecto eximunt vitellum, loco hujus vitriolum album pulverisatum imponunt, & claudunt iterum: ovum modicè perforatum in cella suspendunt; sic successivè liquescit in liquorẽ acriusculum; qui liquor pro usu cum aqua florum cyani miscetur & filtratur, ac applicatur oculo; sic est valdè elegans ophthalmicum remedium in unguibus & maculis, & jam dictis oculorum morbis. Remanens albumen exprimitur fortiter, sic prodit liquor stypticus acrimoniâ ejus admodum temperatus, & superat eundem primum liquorem.

Quidam promptius recipiunt aquam ophthalmicam: scilicet

℞. ▽ *chelidon. maj.*
euphras. āā ℥jß
⊕*li pulver* ℈j.
(plus minus prout æger potest vel facilius vel difficilius tolerare; variant enim ægri in talibus)

filtrentur per chartam bibulam, vel per pannum rariorem, & ita fit collyrium detergens pro dictis affectibus.

Præ hoc tamen videtur melior liquor jam dictus vitrioli in ovi albumine ad duritiem cocto resoluti.

Collyrium aloëticum Bruni num.2. p. 152. est egregium. Pertinet huc aqua aloëtica Mercurialis Zwelferi, quam videbitis in *Animadvers. in Pharm. August. pag.*301.

Aqua ophthalmica Quercetani num.3. fit ex croco metallorum; loco cujus tamen præfertur à quibusdam aqua infusionis Mercurii vitæ, vel vitri antimonii, vel capitis mortui ex butyro antimonii, in aquam quandam ophthalmicam appropriatam: e.g.

℞. *Vitri* ℥ii *pulv.* ℈ß.
infundatur in
▽ *fl. cyani,*
euphras.
fœnic. à ℥j.

stent in loco calido per noctem: manè filtretur,

D. S.

Augen stärckendes Wasser.

Quicquid sit, omnes hæ aquæ infusionis antimonialium elegantes sunt in quamplurimis, & tantùm non omnibus, visus vitiis corrigendis, quæ fiunt sine partium continentium læsione, sed tantùm ex nimia cuticularum crassitie. In *nyctalopia*, visu deficiente, glaucomate ex vitio humoris aquei, gutta serena, suffusionibus & reliquis affectibus oculorum, nil melius est, quàm infusa antimoniata ex vitro, croco, & butyro antimonii: habent vim detersivam; participant enim de sale antimonii, unde simul detergunt externè tunicam corneam, eandemque lucidiorem reddunt.

His ipsis tamen Infusis catholicis ferè possunt addi appropriata pro varietate oculorum affectuum variantia. Sic v.g. in rubedine, dolore tumore & inflammatione oculorum, potest inter aquas infundendas recipi etiam aqua spermatis ranarum, quæ est egregia; item aqua fragorum ex baccis destillata in tali casu similiter multùm commendatur. Post modum filtraturæ in hoc casu potest addi saccharum Saturni ad ℈j, ℥ß vel ℥j subtilissimè pulverisatum, item potest addi camphora ad gr.iij vel jv, item crocus ad aliquot grana, qui egregiè penetrat, & multum in oculorum affectibus confert. Sed talia acriuscula, qualia sunt camphora, aut etiam crocus, in parva dosi sunt admiscenda propter acutissimum sensum, quo membranulæ oculorum pollent, cùm sint productiones membranularum cerebri. Quod si sit v.g. unguis aut nebula oculi, sive excrescentia quædam super oculum, tunc commodissimè in his aquis appropriatis dissolvuntur penetrantia, & quæ absumere possunt concrementum membranaceum præternaturale.

Sunt qui commendant hanc *aquam ophthalmicam*:

℞. ▽ *fœnic.*
euphras à q. s.

infundunt *radicem imperatoriæ concisam*, & ponunt in locum calidum, & colant: Colaturæ huic addunt grana quædam *camphoræ*, & grana quædam *sacchari Saturni*; & est aqua egregia in quamplurimis oculorum affectibus.

Pertinet huc *aqua ophthalmica Quercetani* alia, cujus hæc est descriptio:

℞. ⊡*e pueri* ℔ß.
vitrioli ℥iv.
tutiæ ℥ij.
succi chelidon. ℔ ij.

stent in digestione per aliquot dies, postmodum destillantur pro usu externo.

*Aqua Sapphirea ad oculos num.5. p.*153 dicitur ita propter colorem sapphirinum, quem acquirit infusione in pelvim æneam. In hac aqua paranda loco aquæ fontanæ sumatur aqua quædam ophthalmica appropriata, sic erit præstantior. Est egregia, & multi usus ad oculorum ulcera, etiam cancrosa, & quando post variolas læduntur oculi, & ulcera contraxêre, ad oculorum pustulas, excrescentias, nubeculas, albugines, ungues & similes affectus est incomparabilis hæc aqua. Sed prout acrior aut temperatior est hæc aqua, etiã circumspectè usurpetur: dilui tamen potest plus aut minus cum aqua appropriata, si fuerit nimis acris.

Pertinet huc alia *aqua chirurgorum nobilis*, cujus hæc est compositio:

℞. ♃a

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1025-7 DFG

℞. ♀℔ j. vel ℔ ij.
affunde
∇æ cujusd. appropr. fervent. Mens. v.
In colatura Mens. j. dissolvantur
♀ij. dulc. ℥ ij.
M. & reservetur ad usum.

Nulla sunt ulcera oculorum, uti & aliarum partium, quæ non funditus curet, etiam antiquissima, licet summo ardore æstuent. Experimentum etiam est contra scabiem quamcunque.

Porrò huc pertinet *Aqua ophthalmica Angeli Salæ*, quæ fit, quando *lamina Veneris* suspenduntur vel infunduntur in *vinum Malvaticũ*, & ita ad tempus exponuntur radiis solaribus; sic successivè fit tinctura cærulea, commendanda in procidentia oculi: vid. *SALA p.203.& BARTHOLIN. in Actis Philosoph.*

Aqua viridis plures exstant compositiones. Usum habet externum chirurgicũ in ulceribus saniosis, ulceribus aurium, narium, oris, palati, faucium, &c. quæ plorant continuam saniem, sive in forma spissa cum unguento Ægyptiaco, sive humida applicetur. Basis est ⊕, cui nunc additur *alumen*, vel *auripigmentum*. Simplicissima est *AUTORIS* compositio, sed efficacissima: vid. *HARTMANNI Prax. chymiatr. pag. 52. §.5.* qui habet elegantem aquam viridem sine auripigmento, & *PLATERUS* qui similem habet aquam maximè commendatam in dictis affectibus.

Aqua perlata nil valent.

Lac virginis num.8.p.154. à colore lacteo ita dicitur, quem habet ex præcipitatione plumbi, & quod ceu cosmeticum à virginibus frequenter expetatur. Est *solutio & mixtura* quædam *Saturnina*, nunc *cum*, nunc *sine præcipitatione*. *Sine ea* habetur in *AUTORE cum præcipitatione* simultanea, idque mediante alumine, habetur in *ZWELFERI Animadvers. in Pharm. August. pag.299.* Aliud, quod præcipitatur cum sale tartari, est in *WILLISII Pharmac. Rational. Part. 2. pag.471.*

Omnia hæc sunt egregia in ardoribus, inflammationibus, ruboribus faciei & aliarum partiũ sistendis, in lentiginibus & aliis maculis, serpiginibus & pustulis rubris, asperitate cutis ac scabie tollenda. Vi autẽ Saturnina & camphoræ subtile acidũ in dictis affectibus peccans absorbent, & aliquali adstrictione poros firmant, ne tam citò recurrat malũ. Cum his aquis bene agitatis sese virgines sub introitum lecti lavant, manè quando evigilant, abstergunt faciem cum sero lactis, & sic acquirunt faciem albam, nitidam & elegantem.

Pertinent huc *Aquæ Mercuriales*, qualis est *aqua Freitagii* ad scabiem:

℞. ♀ ij
∇ à ℥ j
∇ *plantag.* ℔ lj
filtra.

Convenit in scabie, verrucis & excrescentiis Gallicis, in pustulis & ficubus Gallicis, in ulceribus & fissuris Veneriis &c.

Pertinet huc *aqua* ista quasi *miraculosa* sive *styptica Galli*, dicti *Vivient*, de qua videbit. in *Actis Med. Haffn. Vol.2. pag.116. & pag.349.* Descriptio ejus genuina habetur hæc:

℞. *Colcothar.* ♁ *li rubri, post destillationem*
residui,
Os usti,
sacchari candi à ℥ ß
⊡ *a puer.*
∇ *a rosar.* à ℥ ß
plantag. ℥ ij.

Misc. optimè in mortario, infundatur in phiolã, hinc per delinationem decantetur liquor, & usurpetur.

Monsieur la Faveur, qui genuinus hujus aquæ vult esse autor, ita compendiosè præparat:

℞. ♁ *li oris*,
♀ *is* à ℥ j
♁ *li* ℥ iv.

Destillentur per retortam parvam usq; ad siccitatem: ejus quod restat in retorta ℞. ℥ j: in qua dissolv. succi urticæ vel alius similis ℥ ij. & applicetur.

COLLYRIA.

Occasione Collyriorum, quorum *AUTOR pag. 152. & 153.* mentionem facit, adhuc notandum: quod collyria in genere nihil aliud sint, quàm medicamenta, quæ applicantur oculis.

In *triplici* autem *forma* imprimis *solent applicari*:

1. *in forma liquida*,
2. *in forma unctuosa*, & denique
3. *in forma sicca pulverum aut trochiscorum.*

Ad liquida pertinet etiam *Collyrium vaporosum*, quando scilicet vapor ex medicamentis excitatus excipitur oculis pro oculorum affectibus. Usum imprimis habet in discutiendis tumoribus oculorum, & in discutienda inflammatione & similibus affectibus.

Usitatº est valdè halitus ex ore jejuni in oculos immissus, imprimis si talis halitus fit ex ore, qui manducavit semen fœniculi; hinc non rarò mulieribus mandatur, ut scilicet jejunæ masticent semen fœniculi, & halitum istum subinde in oculos puerorum inflent, partim ad clarificandos oculos, partim ad curandos affectus oculorũ: id quod etiam solet præcipi, quando pueruli laborant variolis, & nil melius est, ne variolæ occupent oculos, quàm dictus halitus.

Non rarò præscribitur medicamentũ ex ophthalmicis attenuantibus, resolventibus & discutientibus, quæ decoquuntur vel in vino, vel in aqua, interdum etiam in urina pueri; ex quo decocto vapor exsurgens excipitur nudis oculis, vel immediatè, vel per infundibulum in oculos derivatur. Exemplum talis decocti pro fomento oculorum sit hoc:

℞. *herbæ euphras.* M.ij
summit. anethi
fœnic. à M.j.
flor. calcatr.
cyani à p. ij
sem. anisi
fœnic. à ℥ ß.

Infund. in s.q. ∇ *a simpl.* cum medietate ⊡ *a pueri.* coquantur, & ex decocto excipiatur vapor.

Excepto tali humido vapore, applicatur vel fotus humidus, vel collyrium liquidum, vel unctuosum vel siccum: Nam hic vapor est quasi præparativum pro faciliori & meliori operatione sequentis collyrii.

Quod attinet *collyrium liquidum, vel aquosum*, illud à variis variè præscribitur. Nunc sola sufficit aqua, verbi gratia euphrasiæ, florum cyani, calcatrippæ, fœniculi, chelidonii majoris, & similes.

Ad has aquas simplices pertinent etiam *Infusa*, quæ his aquis infunduntur pro collyriis, & pro varietate scopi sunt varia.

In genere pro meliori intellectu sequentium, noto de affectibus oculorum; quod oriantur imprimis vel ex humore lachrymali, seu lymphâ lachrymali nimis acida, & inde oriuntur ferè omnes affectus oculorum externi. De vasis his lachrymalibus, eorum cum glandulis connexione & excidente lympha pro oculorum humectatione, & pro lachrymarum in oculos derivatione, potest videri *STENO in Tr. de Vasis oculorum.*

Cum verò omnis lympha sub se contineat subtilem quendam acorem detergentem & abstergentem; hinc fit, ut in naturali statu à lympha tali humectati sint facilè mobiles, semperque detersi ab omnibus sordi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1026-2 DFG

sordibus: simul verò atque hæc lympha lachrymalis fit nimis acida, tunc variæ oriuntur oculorum imbecillitates & varia mala; imprimis quidem externa; scilicet oculorum corrosiones, lippitudines, oculorum rubedines, pustulæ, ulcera, scabies palpebrarum, fistulæ lachrymales, pruritus, & similia mala, quæ ferè oculi externum globum infestant.

Altera species affectuum oculorum oritur imprimis ex humore aqueo, aut etiam ex reliquis humoribus nimis crassis, & exinde minus perspicuis. Quando enim crassescit humor aqueus, tunc ex pellucido & perspicuo fit opacus, & pro varietate crassitiei varios acquirit colores, nunc glaucum, nunc album, nunc alium; ita ut interdum pupillæ videatur quasi objecta nebula. Quod dico de humore aqueo, etiam intelligendum est de humore crystallino & vitreo.

Hi sunt primarii oculorum affectus, & ex his ferè omnes derivantur reliqui. Nam si lympha est nimis acris & corrodens, solet facere excrescentias oculorum, uti sunt ungues & pannus in externo oculi globo: quod si fiant corrosiones unguium, & membranæ ciliaris, tunc excrescentes fibræ interiùs contexuntur in membranulam, ut ita dent suffusionem. De reliquis vitiis huc non pertinentibus, ut de vario situ pupillæ, &c. nihil dico.

His consideratis, facilè erit invenire remedia pro talibus affectibus. Nam mala, quæ oriuntur ex lympha acida, postulant ea, quæ acorem & aciditatem præternaturalem possunt corrigere; sive constent ex sale volatili acidum temperante, sive constent ex fixioribus acidum absorbentibus. Mala quæ oriuntur excrassitie aut depravatione coloris humorum, postulant subtilia, penetralia, & sale volatili subtiliter impræguata, in quibus excellunt in specie fella animalia, & sic porrò.

His præmissis, redeo ad Collyria composita ex infusione, quæ pro varietate scoporum sunt varia. Usitatissima sunt, quæ fiunt ex infusione antimoniali: ita enim *QUERCETANUM* parare suam *aquam ophthalmicam ex infusione croci metallorum in aquam quandam destillatam ophthalmicam*, ex *AUTORE num.* 3. *& supra dictis*, constat.

In ungue aut nebula oculi, uti etiam clarificandis oculorum humoribus obscuratis, egregia esse dixi fella animalium; inter quæ fel lucii piscis est excellentissimum: v.g. formula potest esse talis:

℞. ▽ *fœnic. viridis* ℥ij
fell. lucii pisc. ℥j.

Misce benè, stent in loco calido per noctem, manè filtrentur.

D. S.

Sonderlich Wasser wider die Felle der Augen.

Quidam destillant hujusmodi fella, & aquam destillatam recipiunt, parum camphoræ addunt, & ita contra ungues & maculas oculorum commendant. *Secretum Burrhi* in tali casu est fel humanum, destillatum ex cucurbita vitrea per alembicum æneum sive cupreum: aqua enim quæ prodit, cum aculeata sit sale volatili fellis, & impræguata particulis æris cuprosi, valdè conducit in talibus casibus.

Facit *MORELLUS* mentionem urinæ pueri impuberis, ubi imprimis notandum: quod aqua destillata ex vitriolo humectato & irrorato cum urina pueri, sit experta in albuginibus, nebulis & unguibus oculorum absumendis. Modum parandi docet Autor, ubi de Vitriolo.

Mella adduntur interdum aquis ophthalmicis, ubi opus est detersione in ulceribus, aut etiam vulneribus oculorum. Loco ejus mellis non ratò etiam recipitur saccharum candi pulverisatum, quod etiam abstergit & detergit sordes, & adjuvat consolidationem. Exemplum habet *FORESTUS lib.* 11. *observat.* 29. de puero, qui ex variolis incidit in pustulas oculorum, quæ fuerunt exulceratæ, & inde aborta est nebula oculorum: huic profuit remedium hoc modo præscribendum:

℞. ▽ *fœnic.* ℥iij
fell. anguillæ à ℥j ad ℥iß
sacchari candi subtiliter pulveris. ℥j

stent in loco calido, filtrentur S.

Sonderlich Augenwasser.

Pro gratia coloris potest addi tantillum *croci*, antequam filtrentur.

Hic obiter noto: multos commendare *lac muliebre* pro collyrio in dolore oculorum, item inflammatione, in tumoribus calidis ex lapsu ex alto; v.g. similibus; sed pessimo consilio: propterea quoniam omne lac, sive sit muliebre, sive alius alterius animalis, applicatum oculis, ipsis sit inimicissimum; ex eo, quoniam lac tale applicatum prope oculos, quando refrixerit, incipit acescere & leniter coagulari. Cum verò oculi sint exactissimi sensus, fit ut partim ex peregrino acido, licet subtili, partim ex peregrino coagulo, quo se oculus obducit, irritentur oculi, & ex irritatione horum dolores, tumores & affluxus sanguinis, similiavè multum augeantur; adeò ut plus mali quàm boni ex lacte muliebri expectandum veniat.

Zingiber, cujus inter collyria mentionem facit *MORELLUS*, valdè expertum est in oculorum affectibus dolorosis, penetratione & lymphæ acidæ correctione opus habentibus: id quod loquitur ista *aqua Hartmanni ex zingibere parata in ejusdem Praxi chymiatr. cap.* 43. *§.* 3. *p.* 104. Hanc aquam mirabiliter commendat *LINDANUS*, & dicit: esse *catholicum in omnibus oculorum affectibus*. Vocat *aquam divinam & benedictam*, & non potest sufficienter commendare, cujus beneficio aliquot suffusiones confirmatas se curasse gloriatur, quod credo, quoniam zingiber multum valet in affectibus oculorum, & præparatio etiam non est inelegans.

Assumuntur etiam interdum ad collyria *foliorum succi*; sicuti valdoperè commendatur à *RIVERIO* ad discutiendam albuginem succus fœniculi recenter extractus cum guttula balsami Peruviani permistus: item succus anagallidis cæruleæ instar collyrii adhibitus, sive applicatus, multum similiter commendatur ad albuginem oculorum, imprimis si ad ℥j, v.g. istius succi, addatur ʒj præter propter mellis rosacei. Succus plantaginis, vel solus, vel cum albumine ovi applicatur in vulneribus oculorum cum inflammatione conjunctis, vel etiam in inflammationibus oculorum ab externa causa provenientibus: Item vel maximè huc pertinet *liquor vesicularum ulmi*: hic liquor est expertissimum remedium in oculorum vulneribus, instillatus, & cum linteis duplicatis in eo humectatis applicatus, mira facit in vulneribus, adeò ut etiam vulnera oculorum, in quibus humor aqueus omninò effluxerat, illo fuerint curata.

Pertinent huc *liquores præparati per digestionem* ex flore cyani, cichorii, calcatrippæ, &c. Horum liquorum exempla habet *SENNERTUS lib.* 1. *Prax. pag.* 786. qualis liquor similiter vel solus pro collyrio sufficit. Pertinet huc etiam *succus expressus ex ovis formicarum*, quæ similiter sunt egregia in affectibus oculorum; vid. *HOEFERUS in Herc. Medico pag.* 57. & ex ipsis formicis præparat certam aquam ophthalmicam *RULANDUS*, quæ aqua fuit stupandorum effectuum.

Modus usurpandi formicas est *duplex*: nunc enim recipiuntur formicæ rubeæ, quæ habitant in

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1027-8 DFG

arboribus, & ex iis exprimitur succus, qui occulto panno vel excrescentiâ membranaceâ affecto, instillatur; nunc formicæ lineo sacco inclusæ, exponuntur soli, ut ita quasi destillentur: liquor decidens inungitur oculo in similibus affectibus.

Veteres etiam Decocta adhibuerunt loco collyriorum: sed jam fetè obsoletum est, cùm meliora prostent: nihilominus tamen in variolis ingruentibus, ut defendantur oculi, solet præscribi decoctum cort. granatorum in aqua appropriata, ut oculorum pori & membranæ adstringantur, & adstrictione tali impediatur variolarum proventus. Formula potest esse talis: ℞. *cort. granat.* ℥ij.

infunde in s.q. ▽ *fœnic.*
plantag. à ℥vj ad ℥j.
ebulliant leviter & filtrentur: adde
croci gr. ij. vel iij.
camph. gr. j. vel ij.
D. S.

Præservirend Augenwasser.

Eodem modo solet etiam sumi aqua decoctionis sumach, seu seminis, & fol. sumach decoctum, quod etiam in præservandis variolis, uti etiam in tollendo pruritu oculorum, & in scabie palpebrarum, convenienter applicatur.

Interdum pro his omnibus plura adhuc usurpantur sub *forma pulverum*, quæ simul faciunt ad scopum. Inter quos pulveres Tutia primatum obtinet, quæ est favilla quasi quædam ex ære, quæ promptè in se absorbet quodcunque subtilissimum etiam, acidum excedens, corrigit acrimoniam lymphæ lachrymalis, & excrescentias absumit & deterget.

Post tutiam etiam est os sepiæ præparatum, quod similiter detergit & abstergit, uti etiam alia.

Quantitas pulverum respectu liquoris est determinanda ex majori vel minori eorum acrimonia: nam prout sunt acriores, eò minus est addendum, quo minus contrà.

In genere, quoniam collyria ad ℥iij, jv, rarò ulteriùs, solemus præscribere, tum sufficit, si pulveris ʒß respondeat ℥j collyrii: sin verò pulveres sint fortiores, tunc ʒj pulveris ad ℥iij erit sufficiens. Dabo exemplũ:

℞. ▽ *flor. calcatripp.*
chelidon. à ℥j
sacch candi ʒj
tutia prepar. ʒß
ost. sepiæ prepar. ℈j
⊕*li alb.* ℈ß.

Misceantur probè, & agitentur pro collyrio (beneficio cujusunguis oculi fuit curatus) D. S.

Augenwasser wohl umbzurütteln.

Simile est ferè *collyrium Lotichii in observat. descriptum pag.* 208. qui unguem oculorum, pterygium, secundùm motum lunæ nunc accrescens nunc decrescens, curavit:

℞. *lap. hæmat.* ℈ß
⊕*li albi calcin.* gr. xv.
sacch. candi ℈j
myrrhæ.
croci à gr. v.
▽ *a appropriata ophthalm.* ℥j vel ℥iß.

M. f. *collyrium*, applicandum cum pluma, vitando pupillam.

Nam talia collyria, quæ ingrediuntur paulò acriuscula, non libenter applicantur pupillæ, nisi ipsa sit afflicta; propterea, quoniam pupilla membrana est admodum tenuis, & non patitur, ut applicentur talia acriuscula.

Hæc sunt collyria liquida, quæ fiunt vel ex infusione, vel ex decocto, &c.

Sequuntur *Collyria Unctuosa*, sive quæ sub forma unguenti vel liniment i solent applicari, aut etiam sub forma cataplasmatis, quæ tamen rara sunt, imprimis ea, quæ sub forma liniment i applicantur: nihilominus Veteres illa usurparunt, & prostat adhuc in officinis *Unguentum Nihili*, quod paratur ex pompholyge sive tutia, & est egregium in rubedine & dolore oculorum, si externè inungatur palpebris.

Interdum recipiuntur *mucilagines seminum*, v.g. cydoniorum, psylli, extracta cum aqua appropriata & applicantur cum linteis in tumore, dolore & inflammatione oculorum. Deniq; *sub forma cataplasmatis* fiunt collyria: imprimis primatum obtinent cataplasmata ex pomis coctis sub cineribus. Dico sub cineribus: nam quidam etiam volunt coquere pomũ in lacte; quod tamen propter rationes dictas est inconveniens propter vitia lactis. Quando præcipitur coquere micam panis in lacte, ut applicetur oculis, potius illa in aqua tepida est maceranda & instar cataplasmatis applicanda; cui interdum miscentur mucilagines, v.g. ℞. *medull. panis albi in* ▽ *euphras. cocta* ℥ij
mucil. sem. cydon. c. ▽ *euphras. extract.*
psyll. à ℥ij.
M. f. cataplasma, D. S.

Eusserlicher Brey gegen die Augen-Geschwulst.

Quidam in doloribus oculorum addunt opium: sed hoc est periculosum, quoniam opium inflammationes oculorũ facit degenerare in sphacelum & gangrænã.

Ad hæc collyria pertinet modus secretus & valdè probatus, caro scil. recens: frustulum nimirum carnis nondum coctæ, sive sit caro bovina, sive vitulina, sive vervecina, magnitudine & crassitie thaleri applicatur oculis sub introitũ lecti, ad multa conducit: in tumore & rubedine oculorum à causa externa, item in contusione & lapsu ulteriùs valdè etiam convenit in præservandis oculis à variolis, si applicetur & subinde removeatur. In doloribus oculorum valde etiam conveniens est tale frustulum carnis applicatum eodem modo in pruritu & scabie oculorum insigniter etiam convenit; imò habetur à quibusdam pro magno arcano.

Deniq; *collyria sicca* sunt pulveres pro oculorum morbis destinati, qui pulveres minutissimi appellantur ab Arabibus *Sief*, & tali nomine sub trochiscorum forma etiam prostant in officinis pro oculorum usibus: de quibus *infra suo loco.*

CAP. XL.
DE
BALSAMIS ODORIFERIS.

Balsami artificiales sunt *triplices*, ut rectè habet AUTOR: nempe *Balsami odoriferi*, *Balsami destillati*, & denique *Balsami unguentarii.*

Balsami *odoriferi* parantur vel pro *usu externo* frequentiori, vel pro usu *interno* rariori.

Quoad *usum externum*, ordinariò olea destillata aromatica subiguntur cum appropriato corpore in consistentiam crassiorem illiniri aptam: & quidem olea propterea conjunguntur cum corpore crassiore, ut ejus quasi in retita amplexu retineatur vis volatilis, nimis promptè exhalans, & ut hoc modo coercita sine virium jactura persistere queant.

Corpus illud pro balsamis varium est: Quidam *ceram* probè *depuratam* sumunt; sed malè; quia hæc ipsa balsama non rarò reddit duriora, & minus grata: alii *medullam vituli lotam* eligunt, sed & hoc malè, quia reddit balsama rancida & malè olentia: alii *mannam depuratam*, ut *QUERCETANUS*, recipiunt, sed hæc minus bene illiniri potest, & falsus est

est *AUTOR*, dum dicit: *Quercetanum intelligere per mannam depuratam ceram lotam & depuratam*; sed reverà intelligit *Mannam Calabrinam* bene lotam. *BARTHOLETUS Tr. de Dyspn. lib. 5. cap. 12.* pro corpore balsami recipit *mediam substantiam mellis* ab omni impuritate secretam, & quæ amplius non effervescit; sed & hæc pro illitione ineptum erit corpus. Optimum igitur corpus, quod hactenus per experientiam fuit cognitũ, est oleum nucistæ expressum; quod ipsum quidem pro balsamo stomachali recipitur tale, quale est; seu suo odore & colore adhuc constans, quoniam per se est egregium stomachicum: sin verò accipitur tanquam corpus pro aliis balsamis, tunc necesse est, ut prius mediante spiritu vini tartarisato infuso ab omni sapore, colore & odore liberetur, & tanquam corpus album inane olea facilè possit recipere, neque eorum efficaciam suo colore aut gravi odore suffocare.

Hoc modo parantur balsama pro usu externo.

Quoad *usum internum*, rariora quidem sunt balsama. Parantur ex extractis, tincturis & oleis destillatis aromaticorum, cera vel manna exceptorum; ubi etiam salia simplicium; & ita tota quasi plantæ crasis, in balsamum cogitur, ut pro usu interno efficax habeatur remedium, utut rariotis sint usus.

Exemplum hujus sit *balsamum fœniculi*, quod describit *HORSTIUS Lib. 10. Observ. 12.* scilicet manna optimè præparata, vel cera alba bene depurata, impræguatur s. q. essentiæ seu tincturæ fœniculi, ad consistentiam mellis: huic essentiæ oleum destillatum & sal fixum fœniculi adduntur & miscentur, modo sequenti:

℞. *Ess. fœnic.* ℥iij
mannæ opt. præpar. vel *cera albæ depurat.* ℥j
℘ *fœniculi destillati* ℥ß.

Manna depurata, vel cera leniter rasa, leni ignis calore funditur; huic additur essentia cum spiritu vini facta, semper cochlear unum post alterum affundendo, & diligenter movendo, donec omni essentia adjecta & ad debitam consistentiam redacta fuerint: postmodũ additur oleum, & extra ignem agitando spatulâ ligneâ miscentur. Composito huic *sal fixũ fœniculi* additur, ad singulas uncias ʒß salis; & sic adservatur pro usu, & egregium habetur balsamum internum carminativũ singulare & anticolicum, pro affectibus stomachi & intestinorum, & tantùm præstat, quantum fœniculum, quoniam omnia ejus principia hic sunt permista. Loco ceræ vel mannæ in talibus casibus etiam potest sumi oleum nucis moschatæ destillatum.

Vel juxta *QUERCETANUM* recipitur manna optimè depurata & percolata, quoties fieri potest: huic additur *extracti majoranæ* q. s. miscentur & agitantur multoties: si hoc fuerit imbibitum, additur oleum destillatum, stentque in lenissimo calore, tunc coagulantur in balsamum pro usu interno.

His balsamis hoc modo paratis, si singulis mensibus affunditur de novo proprium oleum, durabunt ad multos annos.

Balsama hæc sequuntur ingredientium & oleorum vires, suntque nunc simplicia, nunc composita. Balsama simplicia ab *AUTORE* recensentur.

In specie

BALSAMUM ANGELICÆ

externè applicatur abdomini in colica & passione hysterica. Commodè etiam potest permisceri balsamis antipestilentialibus, quibus tempore pestis muniuntur nares & tempora cum pulsibus.

BALSAMUM AURANTIORUM

in colica solet præscribi cum oleo vel balsamo anisi pro externo illitu, uti etiam in inflammatione stomachi.

BALSAMUM CITRI

convenit in febribus malignis, pulsibus & regioni cordis applicatum.

BALSAMUM MAJORANÆ

in affectibus capitis catarrhalibus, in specie coryza & obstructione narium est elegans.

Inter Balsama composita est

BALSAMUM APOPLECTICUM

Num. 1. pag. 156.

Balsamorum apoplecticorum variæ prostant præscriptiones, inter quæ tamen ferè primatum obtinet *CROLLII*, præ quo gratior est Balsamum apoplecticum *MICHAELIS*, cujus hæc est compositio:

℞. ℘ *destill. cinnam.* ℥ij
caryophyll. ℥iij
ligni Rhod. ℥j ad ℥ij
Balsami Peruv. ℥ß
Moschi,
ambræ à ℥j
℘ *expr. nuc. mosch.* ℥ij
asphalti q. s. pro colore nigro,
M. f. l. a. *Balsamus.*

Modus parandi est, ut Moschus & Ambra subtilissimè terantur cum oleis destillatis, & ita cum aliis in consistentiam debitam misceantur.

Usus est in affectibus capitis subitaneis, paralysi & apoplexia; cum notum sit, quod Balsamus Peruvianus conferat sensui & nervis. Præterea commodè illinitur vulva in passione hysterica, modò observetur, ne odor penetret ad nares: talia enim fortiter olentia, uti per nares excitant passionem hystericam, ita vulvæ admota eandem compescunt; unde etiam quidam præcipiunt, ut in desperata passione hysterica mas inungat penem cum balsamo apoplectico, & ita coëat cum hysterica; sic enim tutò & citò curatur. Imò hoc modo applicatum peni Balsamum apoplecticum coitum utrique sexui longè jucundiorem & elegantiorem facere dicunt.

BALSAMUS BEZOARDICUS PESTILENTIALIS.

Num. 3. est egregius: sed videtur ex errore typographi camphoræ nimia quantitas, cum ʒiij, imò ʒjß, camphoræ in substantia sufficiant, nisi oleum camphoræ, ex camphoræ in oleo amygdalarum dulcium solutione paratum, recipere velimus.

Hæc sunt *Balsama odorifera*, quæ partim externè, partim internè adhibentur. Sequitur

CAP. XLI.

DE BALSAMIS DESTILLATIS.

HÆc sunt vel *propriè talia*, vel Balsama *assata* seu per assaturam præparata. *Illa* sunt acriora, hæc temperatiora: illa sunt nihil aliud, quàm olea destillata composita spirituosa, indeque penetrantiora; quoniam res aromaticæ, item gummata ac resinæ & similia, permiscentur cum spiritu vini, & ita destillantur in corpus oleosum; cui postmodum convenientia olea vel alia adduntur; & ita fiunt balsama talia destillata, non semper, nec omnibus subjectis, nec omnibus in casibus convenientia, cùm propter acrimoniam, rosionem, ardorem, & hinc quibusdam epidermidis erosionem inducere soleant. Et sanè omnium ejusmodi Balsamorum destillatorum loco, quæ *AUTOR* describit, sufficiat unicum *Galbanetum Paracelsi* ritè paratum. Quoad *balsama per assaturam*, sunt olea blanda, substantiâ vegetabili impræguata, quorum specimen exhibet *AUTOR num. 5. pag. 159.* de *quo suo loco.*

Inter Balsama destillata composita *AUTORI* occurrit

BALSAMUS VITÆ, *num.1 & 2. pag.157. & 158.*

Cujus & in aliis autoribus variæ descriptiones prostant. In genere tamen nihil aliud prodit, quàm oleum aromaticum destillatum compositum igneum, cujus gutta iij, jv vel v sufficiunt, & instar fulminis penetrant corpus. Usurpantur imprimis usu externo pro illinitione, permista aliis oleis destillatis.

BALSAMUS NERVINUS.

Balsamo nervino *AUTORIS pag.159.* præfertur *Galbanetum Paracelsi*, idque meritò.

BALSAMUS ANTIARTHRITICUS.

Balsamus hic est spirituosus volatilis, & ideò reliquis Balsamis seu linimentis arthriticis pinguibus præferendus, cum hæc omnes ferre non possint, & inde quibusdam magis exacerbatur dolor.

BALSAMUS ANTIPARALYTICUS.

Balsamus hic paralytic⁹ fit per assaturam, dum anseres, vulpes, canes, aliaq; similia animalia pinguia exenterata implentur similibus nervinis aromaticis ac similib⁹ specificis; hinc denuò consuuntur, sicq; assantur. Pinguedo enim animalis per assaturam liquefacta imprægnatur particulis medicamentosis simplicium infarctorum: hinc sub assatione illa destillans pinguedo medicata denuò aspergitur corpori assando, donec sufficienter & adaridatem usq; fit assatum. Balsamo illo postmodum, qui in loco frigido in consistentiam balsami abit, partes ex podagra dolentes, paraliticæ contractæ, rigidæ, stupidæ, &c. illinuntur frequentiùs, donec restituantur. Nimis tamen sunt unctuosa, & eapropter in paralysi vera non semper conveniunt, sed potius spirituosa & volatiliora prosunt.

Præparationes aliquot horum balsamorum vel linimenturum habentur in *RIVERIO cap. de Paralysi.* Facit huc *unguentum nevriticum* per assaturam ex cane probatum, quod videbitis in *BARTHOLINI Actis Med. Hafniens. Volum.1.pag.44.*

BALSAMUS SAPONIS

est egregius, ubi opus est potenti discussione & maturatione: in colica flatulenta mirè commendatur, uti etiam in contusionibus, item in ardore articulorum podagrico certissimum est remedium; imprimis si permisceatur cum spiritu lumbricorum terrestrium per fermentationem parato. Balsamo huic præstat *Balsamum Podagricum è sapone Veneto*; cujus autor primus est *RHUMELIUS in suis Scriptis Chimiatricis:* ℞. *Coag. ♃is animal. & alcali*, i.e. *saponis Veneti* part. ij.

G. ☿ial. & ♃ea naturæ, i.e. *camph.* part. j.

Q.E. vegetabilium, s. ~ *vini*, q.s.

Hæc blandè digerendo in consistentiam liquidioris Balsami redigit.

Loco spiritus vini autem sumatur spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem paratus, qui camphoram meliùs solvit, quàm spiritus vini; vel omissâ camphorâ *sapo Venetus* dissolvatur in ana *dicti spiritus, & spiritus vini camphorati:* Solutio filtretur, & liquor filtratus illinatur parti dolenti in arthritide; mira enim facit in eadem. Interdum parvas pustulas suscitat aquâ repletas, idq; cum ægri levamine.

Balsami inunctorii tractantur *cap. 87. ubi de unguentis.*

CAPUT XLII.
DE
BOLIS.

Bolus est medicamentum instar pulpæ, quod præscribitur una vice: ita dicitur, quoniam tantæ est magnitudinis, quanta bucca potest excipi. Non prostant in officinis parati, sed omnes sunt magistrales. Nempe pulveres si excipiuntur conserva pro una dosi, dant *Bolos*; sin verò pulveres pro plurimis dosibus excipiantur, emergunt exinde *electuaria*. Veteres unciatim præscribebant Bolos, quod adhuc in Italia & Gallia in usu est; apud nos verò propter delicatulos ægros inolevit hic mos. Ad summum igitur ʒj pro dosi constare debent, quandoque tamen ʒij conceduntur, modò ne nauseosi sint.

Fiunt ex conserva appropriata, cui ceu basi, seu quod dat consistentiam formulæ, admiscentur pulveres appropriati; ita tamen, ut ʒj istius conservæ semper respondeat pulv. ℈j, ad summum ʒß, & postmodum cum syrupo appropriato rediguntur ad consistentiam Boli. Loco conservæ potest etiam substitui pulpa passularum & tamarindorum, item Rob & Theriaca.

CAP. XLIII.
DE
CALCIBUS seu CALCINATIS.

Calces sunt nihil aliud, quàm res in pulverem calcinando redactæ. Calcinatio autem usu chymico sic dicta est vel *ignitionis*, vel *corrosionis:* Illa, ignitionis scilicet, fit in igne, & in triplici regno locum obtiner, & in his vel simplex ustio seu calcinatio, vel intercedente aqua, ignis quasi modificatio, institui solet.

Prior modus in regno animali usta, ebur & C.C. usta, in minerali crocum Martis adstrictivum, item crystallum calcinatum, silices, alioq; lapides calcinatos; in vegetabili cineres suggerit: Posterior sine igne philosophicè calcinatas animalium duriores partes exhibet, ut C.C. sine igne, &c. In priori modo observandũ, quod animalium partes, ut cornua cervi, &c. in vase clauso calcinando nigrescant, in vase verò aperto exactè albescant, propter nigram fuliginem aëris adjumento sic separatam.

Quoad *Calcinationem Philosophicam*, vocatur hæc etiam *calcinatio vaporosa*, quia partes animalium duriores, ossa, C.C. &c. in alembico posita per vaporem appropriatum, ex cucurbita vel vesica elevatum, quasi calcinantur & friabilia ac pulverisabilia redduntur.

Liquor, qui adhibetur, potest esse aqua simplex destillata, vel alia appropriata; & rectè dicit *AUTOR noster*, quod vapor vi caloris elevatus cornua penetrando friabilia paulatim candidaq; reddat: sic v.g. calcinatio C.C. sine igne fit cum aqua quadam composita alexiteria, cranii humani cum aqua cephalica, liliorum convallium, cerasorum nigrorum aut aqua quàdam antiepileptica alia.

Usta autem ista in genere sunt substantiæ terreæ, acidorum absorptivæ, hinc stypticæ & per accidens sudatoriæ. Conveniunt inter se omnia, sale nempe volatili & oleo destituta, adeò ut sunt nuda terra mortua, omnibus particulis activis destituta: in philosophicè calcinatis istis salis volatilis & olei aliquantulum superest, quod destillatione patet. Si enim C.C. & ossa humana per vaporem calcinata per retortam consueto more destillentur, adhuc suggerunt spiritum, oleum & sal volatile, utut non adeò copiosum & vix quartam partem ac cruda: conf. *ZWELFERUS Animadvers. in Pharmac. Ang. pag.463.* item *Pharm. Reg. pag.242. & 248.*

Sunt equidem, qui etiam C.C. & alia ossa animalium minutissimè trita adhibent cruda in usum medicum; & certum est, quod præferenda sint calcinatis quibuscunque sine igne actuali, sine calcinatione vaporosa, & potentiali. Cæterùm requiritur stomachus validus, qui solvere atq; digerere possit eadem, aliàs in debili stomacho instar cinerum & farinarum fluctu-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1030-3 DFG

fluctuant, atque sine omni usu egeruntur, sicut fuerunt assumpta.

Huc pertinet, quando non ratò in locis subterraneis reperiuntur ossa varia variorum animalium, quæ & ipsa reperiuntur friabilia, & linguæ admota ipsi adhærent, & in genere omnes habent proprietates, quas haben: ossa Philosophicè calcinata. Hæc revera à natura sunt calcinata Philosophicè per vapores calidos & humidos, elevatos ex locis subterraneis, à quibus sensim sensimque calcinantur, & friabilia reddunturi; Nam eadem est ratio, sive ejusmodi ossa sint posita in alembico, & sensim per vapores aqueos friabilia reddantur, sive sint posita in locis subterraneis, & ab humoribus vel vaporibus elevatis, ita præparentur: & hæc ossa hoc modo præparata in terræ visceribus reperta, vulgo venditantur pro unicornu fossili; sed falsò: vid. quæ *dixi de unicornu fossili.*

Vegetabilium calces cineres dicuntur, sale fixo alcalisato impregnati, unde ex iis vini affusione parantur lixivia pro scopo diuretico antihydropico usitata:

℞. *cin. stip. fabar.*
genistæ,
sarment. viticis,
sterc. columb. calcin. à ℥iij
c. f. q. *vini* vel *aquæ lixivium*,
D. S.

Harntreibende Lauge.

De lixivio hoc potantur singulis horis matutinis ℥iij vel jv. pro provocanda urina hydropicorum. Si cum aqua simplici paratur, miscetur cum vino, interdum saporis gratia additur aliquantillum sacchari, quando nolumus miscere cum vino, aut syrupus appropriatus.

Pro incineratione autem vegetabilium conveniens est *furnus singularis à GLAUBERO inventus*, qui habetur *in ejus scriptis* der Preß-Ofen dictus: in hunc furnum Glauberianum induntur vegetabilia, incenduntur, & ita incinerantur. Habet enim hoc beneficii, ut præter sal è cineribus elixiviandum, per canalem oblongum ex vegetabilibus spiritus acquiratur, qui aliàs in igne aperto avolat. Est modus singularis, & probè observandus. Sic D. *MICHAELIS* aliquando ex absinthio acquisivit sal fixum, & spiritum per hunc furnum, qui spiritus fuit egregius admodum salinus urinosus, & diversæ naturæ à spiritu aliàs absinthii sulphureo, per ignem enim corpora maximè alterantur. Primarius artifex est ignis in chymia, ut sine eo vix quicquam laude dignum præparari possit; non tamen adæquatus & sufficiens corporum analysta; vid. *BOYLE in chym scept.* hinc producta chymica plus habent dotis artificialis per artem introductæ; quàm seminalis nativæ; Ignis enim alterat corpora per motum. Nam utut in igne sit acidum, tamen hoc acidum non multum habet in recessu; motus potiùs observatur, qui nunc per σύγκρισιν, nunc per διάκρισιν alterat corpora. Per διάκρισιν separantur volatilia à fixis; salia volatilia scilicet & spiritus à capite mortuo, per σύγκρισιν verò fit, ut fiant novæ societates particularum, & oriantur corpora aliena: v.g. in oleis destillatis, salib⁹ fixis, &c. In nullo enim corpore sunt olea destillata, qualia sunt extracta: nunquam in cornibus reperiuntur olea sub ea consistentia, quæ eliciuntur foras. Sic per incinerationem elicitur sal fixum, quod formaliter non præexistit.

In legitima autem ignis administratione, quæ in decenti & proportionata ejus quantitate consistit, considerandi sunt 1. *ignis gradus*, quibus determinatur, prout minorem vel majorem activitatem habere debet. Hinc ali⁹ ignis est digestionis, destillationis, sublimationis, reverberationis, &c. quod graduũ regimẽ legitimum in tota pyrotechnia attendendum est; cùm & ignis regiminis potentiam *MORHOFF de Transmut. Metall. p.* 30. 47. 48. & 53. diversis observationibus deprædicet. *Vulgò octo gradus ignis numerantur:* verùm multò plures sunt, si ad omnes encheirises attendere volumus. Corpora enim, quo magis compacta aut dura sunt, eò fortioré requirunt ignis gradum; quò volatiliora verò, eò remissiorem ignis gradum exigunt. Sic remissiori ignis gradu ascendunt spiritus inflammabiles & salia, fortiori phlegmata & olea: sic nõnulla, quæ igni fortiori resistunt, mitiori interdum cedunt, e.g. Talcum: de quo *MORHOFF loco allegat.* refert, quod, licèt summo etiam igne ad diuturnum etiam tempus torreatur, hujus tamen vim eludat; totum nihilomin⁹ intra dimidiæ horæ spatiũ igne paucissimo ita calcinatũ fuisse, ut colore flavo deposito, substantia illius spongiosa facta sub digitis in pulverẽ minutissimum redigeretur: qualia phænomena plura in Chymia quotidie observantur. De igne probè dirigendo pro experimentorum felici successu vid. *BOYLE de Noctiluca Aërea pag.* 11.

2. *Materia ignis* consideranda est: *an operationes fiant aperto igne? an in arena, in cineribus, an in* MB. *vel vaporis balneo, &c.* nam hæc materiæ differentia multum habet in recessu, v.g. unus idemq; ignis gradus præcisè, qui est in balneo vaporis, MB, cineribus, &c. propter diversam materiam, diversa producta dabit. Sic igitur, quæ in MB eliciuntur, non item rectè in cineribus destillantur; licet idem gradus observentur: scilicet salia volatilia in igne arenæ vel cinerum, spiritus verò in MB destillentur. In MB nunquam bullire possunt spiritus, licèt aqua insigniter effervescat, secus verò in arena. Ergo Mariæ Balneum pro spiritibus egregium est. Intensiorem quoq; reddunt ignem carbones fossiles; remissiorem verò vegetabiles. Sic alius digestionis gradus est in sole, alius in balneo vaporis, Mariæ Balneo, fimo equino, &c. Solis ignis plus habet in recessu, sive ad digestionem, sive ad corporis solutionem; mediante enim speculo ustorio longè ali⁹ habetur ignis, quàm culinaris. In sulphurib⁹ certè ab igne solari longè majorem alterationem acquirunt res naturales propter fixitatẽ, magis perficiuntur, &, uti *Ortelius in Sendivog.* loquitur, austerâ & ferâ suâ eruditate exuuntur atq; privantur atq; ad suavissimã maturitatem deducuntur, quæ ab igne culinari magis volatilisantur. Contingere hoc videtur non raltẽ, quatenus solis calor interiorem & corporibus implantatã potentiam excitat & actuat; sed simul etiam virtus solaris luminis his imprimitur, ita ut pondus eorum notabiliter satis augeatur, & antimonii vis emeticæ & catharctica in diaphoreticam mutetur.

3. Deniq; *chymica tractantur vel in vase aperto, vel in clauso:* v.g. ferrum in vase aperto calcinatum abit in scorias; in vase verò clauso abit in chalybem: cornu cervi in vase clauso nigrescit, in aperto albescit.

Hæc incidenter de ignis œconomia.

Redeo ad cineres vegetabilium: Horum quatuor recensentur ab *AUTORE p.* 164. qui in officinis usitati: nempe cinis absinthii, cinis stipitum fabarum, cinis genistæ, & cinis sarmentorum juniperi.

Ex his

CINIS SARMENTORUM JUNIPERI

commendatur contra calculum & hydropem, utut cinis ex fimo columbino ipsi præferatur in hydrope; nõ verò in calculo. Simile lixivium adhibetur externè in tumoribus partium œdematosis post morbum acutum, &c. Nam lintea humectata ex hoc livivio, & applicata pedibus sub ingressum lecti, tumorem sensim, sed feliciter discutiunt.

Inter cineres animalium sunt:

CANCRI USTI,

qui jam à Galeni temporibus commendantur singulariter contra morsum canis rabidi.

ERINACEUS USTUS

confert specificè in incontinentia urinæ.

HIRUNDINES USTI

ingrediuntur cataplasmata contra anginam & affectus faucium.

Sunt qui calcinant ciconias & corvos, & calces istas commendant egregiè contra epilepsiam.

Sequitur *Mineralium Calcinatio corrosiva*, quæ est, quando beneficio menstruorum acutorum corroduntur subjecta immersa; quâ ratione postmodum fiunt *Magister*. Liquores corrosivi sunt varii; Varia enim subjecta varia etiam postulant menstrua, cùm non omne menstrum solvere possit quodlibet subjectum. Nam propter hanc differentiam adeò sudant chymici, ut inveniant *menstruum universale*, seu *liquorem Alcahest*, id est, tale menstruum, quod solvat omnia subjecta ex tribus regnis indiscriminatim; & quidem non superficialiter in partes integrantes, sed radicaliter & in suum liquorem seminalem: & hic est verus *liquor Alcahest*. Cæterùm, cùm hic sit rara avis, necesse est, ut simus contenti menstruis particularibus, quæ sunt varia, pro varietate subjectorum solvendorum. *AUTOR pag.* 163. recenset menstrua simplicia, quibus addendus est spiritus viridis æris: Composita sunt aqua fortis, aqua regia, &c. item ex spiritibus salis & aluminis.

De Mineralium Calcinatis corrosivis *infra* dicam.

CAPUT XLIV.

DE CATAPLASMATIS.

Cataplasmata frequentis sunt usus in chirurgicis: sunt autem nihil aliud, nisi remedium in forma pultis crassioris, quæ applicantur externè partibus pro usu chirurgico imprimis.

Præscribuntur cataplasmata instar decoctorum, nisi quod in decoctis assumatur liquor, in cataplasmatis pulpa seu materia trajecta.

Quoad medium componendi talia cataplasmata: solent fieri ex decocto simplici; scilicet decoctiones fiunt tamdiu, donec colliquescant vegetabilia in tantum, ut instar pultis tenuioris & mollioris fiant, atque per setaceum trajici possint: Trajectæ pultæ adduntur varia, in specie olea convenientia, pulveres, farinæ, &c.

In omni igitur cataplasmate tria consideranda:

1. *Species decoquendæ*,
2. *Liquor, quo fit decoctio*; &
3. *interdum addendæ*.

Quoad I. nempe species: illæ variæ esse possunt pro diversitate partium atq; usus. Usitatissimè præparantur ex vegetabilibus & animalibus, præsertim horum stercore, quod efficacissimum est in pluribus casibus.

Quoad II. nempe liquorem: hic varius pariter est; interdum enim aqua, interdum vinum, lac, olea infusa, interdum & alia sumuntur; interdũ pro conficiendis cataplasmatis loco liquoris recipitur acetum & vinum, vel posca, sive aqua cum aceto mista: sicuti dedi exemplum ubi de fabis, quando in tumore testiũ cum inflammatione fit cataplasma, ex aceto seu posca cum farina fabarum coctum: interdum pro liquore accipitur urina pueri, ubi adsunt flatulentia, & ubi opus est flatuum discussione: sic v.g. ex stercore caprillo, cocto in posca, vel etiam subacto cum urina pueri, fit potens cataplasma discussivum, pro discutiendis flatibus & resolvendis tumoribus. Pro discussione imprimis conveniunt cataplasmata ex stercoribus in tumoribus pedum œdematosis, in quibus stercora coquuntur in urina propria, & miscentur pro cataplasmate: item in tumoribus seroti, qui non sunt rari.

Quoad III. adduntur pulveres, qui sunt varii pro varietate scopi: nunc farina seminum, nunc pulvis albi Græci nunc stercora animalium, nunc alia: ita etiam pro oleis interdũ adduntur succi, in specie ceparum, vel etiã olea, tàm infusa, quàm expressa: quæ tamen nõ semper necessaria sunt, propterea quoniam oblinunt poros partium, eosq; obducunt & infarciunt. Et ob id nõ ratò omittenda sunt olea; idq; imprimis, ubi opus est discussione, in quo casu pori debent aperti esse & patuli; ubi verò opus est suppuratione & emollitione, ibi additur oleum; non verò in nimia quantitate, quoniam in inflammationibus emolliendis & suppurandis ex obstructione pororum nimia per cataplasmata oleosa à chirurgis sæpius loco puris inducitur gangræna, quæ cautela summa est necessaria in correctione chirurgorum.

Proportio horum *ingredientium* definita est à *MORELLO*, ita quidem rectè, ut ad ℥x. vel ℔j pulpæ aut materiæ trajectæ addantur pulveres ab ℥jß ad ℥ij, vel ad summum ℥iij, quarta nimirum pars; & oleorum tantundem vel ℥jv, interdum saltem q.s. & ita vel decoctione vel solâ contusione conjunguntur in remedium liquidum cataplasmatis, quod calidum linteo exceptum admovetur parti: si verò olea destillata sumantur, pro ℔j pulpæ ℥ij vel ℥iij sufficiunt.

Quantitas simplicium decoquendorum ad putrilaginem variat pro magnitudine partis, cui applicandũ venit cataplasma; uti etiam pro crebriori usu ipsius cataplasmatis, quando vel rarius vel frequentius est applicandum: sic v.g. major requiritur quantitas pro cataplasmate contra anginam, & tonsillarum inflammationem singulis diebus bis applicando, quàm pro cataplasmate ad oculos, vel etiam ad digitum gangrænosum. Quantitas ergo definienda venit ex judicio Medici. Ratò autem ℔j excedat, vel ad summum ℥xv, pulpa cataplasmatis.

Non prostant in officinis, sed ordinantur à Medico, extemporaneè præparanda.

Usus eorum est *multiplex*: usitatissimè pro scopo emolliendi, temperandi ac maturandi & discutiendi tumores atque dolores sistendi: pro resolvendo sanguine congrumato, in diarrhæa, dysenteria, &c. vel & pro scopo vesicatorio, adhibentur.

In horum usu observetur: ne nimis frequenter usurpentur, nec diu etiam sine renovatione imposita relinquantur, quia infrigerata horrorem cuti incutiunt, hinc clauduntur pori, prohibetur insensibilis transpiratio, sicq; plus nocent quàm prosunt. Crebriùs ergo renovanda, & calida repetitis vicibus imponenda.

Cataplasmatum varias formulas habebimus *in Collegio Formularũ*: paucis adhuc cataplasmata magistralia ab *Autore nostro* descripta consideremus, ubi *n.* 1.

CATAPLASMA RESOLUTIVUM *FORESTI* occurrit, egregium in tumoribus durioribus, scirrhosis & scrophulosis. Usus ejus est, ut dissolvatur sanguis grumosus, & adstringendo major tumoris crescentia impediatur.

CATAPLASMA LAXATIVUM *num.* 3. *p.* 165. Cataplasma hoc laxativum convenit imprimis, ubi metus est de vermibus; ibi enim commodè potest applicari umbilico. Quidam recipiunt electuaria purgantia fortiora, subigunt cum unguento dialthæa, & instar cataplasmatis applicant plantis pedum, ut fiat purgatio alvi. Hoc in memoriam revocat, quendam olim confectionem Hamech & unguentum populeũ miscuisse, plantis pedum illiniviſſe, & sic ægros suos purgasse. Alii

℞. *Cata-*

℞. *Cataput. min.*
tithymall.
colocynth. à ʒv.
scammon. ʒiij.
c. s. q. *mellis* subigunt in formam cataplasmatis: de quo gr. v. imponuntur umbilico pro laxatione per inferiora, imo ventriculo pro vomitu. Idem lumbis applicatum promovet urinæ fluxum.

Sic si *aloë hepatica* subigatur cũ *felle tauri*, & vesicæ bubulæ illinatur, & tanquã cataplasma umbilico imponatur, evporiston optimũ est pro pellendis lumbricis.

CATAPLASMA DE NIDO HIRUNDINIS *MYNSTCHTHII num.* 4.

Hujus species pro scopo anodyno, emollitivo & suppurativo in lacte coqui, & sic applicari possunt: revera in angina, tonsillarum inflammatione, aliisque similibus affectibus, egregium est.

ANACOLLEMATA.

Anacollema Græcis idem est, atque Germanis est **Dörband** / cataplasma nempe valde adstringens, quod applicatur à chirurgis in principio luxationis & fracturarum. Nihilominus, uti Græci Anacollemata fracturis; ita eodem usu applicant etiã Germani fronti. Fiunt, quando nudi pulveres adstringentes excipiuntur albumine ovi, & applicantur, ubi opus est, ut sistatur hæmorrhagia, ut impediatur nimius humorum affluxus, in recentibus vulneribus, rupturis, fracturis, &c. ubi solent chirurgi, perperã tamen, applicare tale cataplasma cum liquore acri, aceto, vino auster. vel etiã aqua simplici frigida; idq;, uti dicunt, pro repulsione, ne nimis affluat sanguis, maledicta methodus!

AUTOR n. 6. habet exemplum *anacollematis frontalis*, quod solet esse in usu in hæmorrhagiis narium contumacibus, imprimis si subigatur cum acero: imò bolus vulgaris subacta cum aceto, valdè etiam convenit in desperata narium hæmorrhagia.

Sinapismi in desuetudinem abierunt, quos loco vesicatoriorum nostratium usurparunt Veteres. Ita dicuntur à basi, quæ fuit semen sinapi, quod permiscetur cum pulpa ficuum, & applicatur. Nam notũ est, quod omnia simplicia, quæ constant sale valde volatili & acri, uti est semen sinapi, ranunculus, flammula, pyrethrum, zingiber, euphorbium, &c. extrinsecus admota cuti soleant inducere & excitare ingentem ruborẽ, & ita facere quasi quandam attractionem. Ubi ergò opus fuit hac attractione, Veteres applicarunt sinapismum. Egregium habent usum externũ, nempe loco vesicatoriorum, ubi paulò mitius agendũ est, commodè usurpari possunt: v. g. in oculorum affectib⁹ nuchæ, in febribus carpis, imponi possunt. Præter modũ Autoris *n.* 7.

℞. *fermenti acerr.* M. j.
sem. sinapi condit. ʒvj.
erucæ, ʒ ij.
c. s. q. ∽ *vini* f. *cataplasma.*

Potens est, & fortiter operatur.

VESICATORIUM *num.* 8.

Moderni loco sinapismorum adhibent *Vesicatoria*, quæ sunt fortiora, & fiunt ex basi cantharidum. Cuti applicata solent excitare successivè vesicas, modò citiùs, modò tardiùs, prout vel copiosiores vel pauciores sunt cantharides; aut etiam prout vel magis vel minus sunt permistæ cantharides cum aliis ingredientibus.

Applicantur talia vesicatoria ad magnitudinẽ thaleri variis in locis, v. g. carpis manuum in statu febriũ malignarum & ardentium apud Italos non sine successu felici, item tibiis, item temporibus pone aures, ubi erumpere solent parotides ad promovendam expulsionem malignitatis; quoniam rarò usurpant sudorifera. In arthritide, malo ischiadico, & similibus morbis, à lympha acida oriundis, conducunt optimè pro evacuanda tali lympha, & impediendo motu ad articulos. In specie ad vertiginem & affectus capitis multùm conducunt tales vesiculæ, si nuchæ applicentur; uti & in affectibus oculorum, imprimis in inflammatione, lippitudine & aliis oculorum morbis, in lethargo, apoplexia & similibus affectibus soporosis; quoniam ibi opus est ut concitetur dolor, & evigilet æger: sin verò vesicatoria in hoc casu sint lenia, & non excitentur vesicæ cum dolore, tunc sine fructu applicantur. Ulteriùs in tumoribus aperiendis, imprimis malignis in bubonibus & anthracibus, commodissimè tales vesiculæ excitari solent, ut materia venenosa evacuetur. Applicata ita vesicatoria ex cantharidibus parata, penetrant sensim sensimq; sale suo volatili & partem quasi adurunt, ut elevetur in vesicas aquâ limpidâ plenas. Quod si in morbis periculosis ex applicatis his vesicatoriis nulla sequatur operatio, nullaq; excitetur vesica, certissima expectanda est mors. Hinc etiam in corporibus mortuis etiam fortissima vesicatoria applicata vesicam nullam excitant: unde in ægro si non operentur, felicissima expectanda est ad mortem curatio.

Præscribuntur duplici modo: vel sub forma emplastri, vel sub forma cataplasmatis. Usitatiùs autem applicantur sub forma cataplasmatis, ita quidem, ut pulvis cantharidum misceatur vel cum fermento, vel cũ pulpa ficuũ: cum fermento, ubi mitius agendum; cum pulpa ficuum, ubi fortius. Rationẽ dedi, ubi habui de cantharidib⁹: nempe quoniam acidum fermenti solet figere sal volatile acre cantharidũ, propterea comũniter dissuadetur fermentum. Quicquid sit, utroque modo præscribi possunt. Cum fermento comũne est chirurgorum vesicatorium, quod secundùm *Autoris* præscriptum commodè usurpatur. His ipsis pro stimulo potest addi interdum pulvis euphorbii, vel sinapi, cum pauco aceto destillato. Modus præscribendi sit talis:

℞. *fermenti veter.* ʒij vel ℥ß, (plus minus pro varietate scopi)
cantharid. ablatis alis & capit. nu. jv
semin. sinapi pulverisat. ʒj
M. D. S.
Blasen ziehender Brey.

Applicatur in quantitate thaleri, compactum in pultem. Vel:

℞. *fermenti acerr.* ℥ß
pulv. cantharid. ℈j
euphorbii gr. xij
castor. ℈j
M. f. *cataplasma* in quantitate thaleri,
D. S.
Blasen ziehend Pflaster.

Cum pulpa ficuum præscribitur hoc modo:

℞. *pulpæ ficuum* ℥ß.
cantharid. ablat. alis & capit. ʒß vel ℈ij.
malax. c. ∽ *vini* vel *cum aceto.*
D. S.
Blasen ziehend Pflaster.

Quando applicatum est vesicatorium, tunc excitatur vesica, quæ excitata aperitur acu, ut evacuetur humor contentus, & ne citò denuò exsiccentur vesicæ, aut consolidentur, applicatur folium brassicæ rubræ leviter torrefactum, & mirabile est, quantum soleat elicere continuò humorem; instar fontanellorum evacuant. Hæc folia brassicæ, quamdiu manent applicata, vesica manet aperta; illis verò remotis, consolidatur. Ne ergo tam citò consolidetur, applicetur emplastrũ irritans: de quo plura dicentur in Collegio Practico. Tales vesicæ sunt quasi succedaneum fontanellorum, & quasi fontanella parva, quoniam pura lympha seu serum exit. Præfero tamen cataplasmati emplastrum vesicatorium, de *quo infra suo loco.*

CAP.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1033-1 DFG

CAP. XLV.
DE
CLYSTERIBUS.

ENemata, *Clysmata* seu *Clysteres* communiter, & utplurimum ex Infusis aut Decoctis appropriatis parari solent, propterea de iisdem nobis hac vice agendum erit.

In genere ergò quod attinet clysteres, à voce Græcâ Latinis *abluitio* dicitur *clyster*; uti etiam videri potest in *MORELLO*. Injectiones tales clysmaticæ fiunt aut in cavitates naturales, uti sunt injectiones in podicem, inuterum, inaures, os, palatum, &c. aut in cavitates præternaturales, quales sunt: abscessus, ulcera sinuosa, fistulæ, &c.

Clysmata ano injicienda sunt duplicia; ratione usus scilicet vel eluendi solum intestina, eorumque defectibus succurrendi gratiâ injiciuntur; aut intestina stimulandi & purgandi.

In omni autem clysmate consideratur 1. *clysmatis corpus*, quod frequentissimè est Decoctum, pro varia intentione & scopo Medico varium: sic v.g. quando in colica adhibendi clysteres, hi ipsi fiunt ex decoctis carminantibus: quando in dysenteria adhibendi clysteres, hi ipsi fiunt ex medicamentis leniter adstringentibus, vel vulneratiis consolidantibus: ubi adhibendi clysteres in alvi obstructione & fæcibus induratis, fiunt Decocta ex emollientibus blandis, & fæces seu scybala indurata fluida facientibus, & similibus. Interdum etiâ simplicior liquor sufficit; itaq; v.g. pro leniter emollienda alvo fiunt interdum clysteres ex jusculo pulli, ex jute carnis hœdinæ, vitulinæ, carnis pulli, carnis carponum & similibus; interdum sumitur lac, vinum, urina, oleum, &c. Deinde non minus liquoris quantitas varia est, pro varietate subjectorum: sic in infante unius vel duorum annorum ℥ij vel iij, infanti trium vel quatuor mensium ℥j vel ℥jß; puero adulto & staturæ justæ ℥x ad ℔jß sufficiunt.

2. *Addenda*, & *in corpore* hoc *dissolvenda*; quæ rursus sunt varia: sic anti qui electuaria sua laxativa, e.g. electuarium lenitivum, &c. ab ʒj ad ℥ij addidêre: Dissolvitur etiâ in clysteribus unguentum clysmaticũ, quod prostat in officinis, & abstergere partim etiam cõsolidate solet intestina: usitatè etiã dissolvitur electuariũ de baccis lauri ad ℥j, ad discutiendos flatus; saccharum item & mel, vel simplex, vel rutaceum, vel rosaceum, vel mercuriale, ab ℥j ad ℥iß. Olea, tàm cõmune, quàm appropriata, vel horum loco etiã butyrum, ab ℥ß ad ℥j. olea destillata à ℈ß ad ʒß: salia stimulantia à ℈j ad ʒj: Deniq; & vitellum ovi pro temperanda intestinorum lubricitate; de quibus omnibus *speciatim* agetur *in Collegio Formularum*.

Quoad *usum* clysmatum in genere, rejicit hæc ipsa *HELMONTIUS de Febribus*, sed ipsi satisfit ab *HOFFMANNO de Methodo Medendi, ubi de clysteribus*. Sanè polychrestum & multi usus est remediũ clysma; plus enim præstant clysmata, quàm multa sæpe medicamenta; quæ licet ultra colon pergere nequeant corporaliter propter valvulæ obstaculum, quæ est in principio coli, ubi intestinum cæcum cohæret cum colo, nisi in desperatis casibus affectus iliaci seu miserere mei dicti, in quo cum omnium intestinorum motus sit inversus, deorsum sursum, etiam hæc valvula inverso modo movetur, & deorsum sursum potest admittere clysterem; sicut & in hoc affectu per os reddita observata sunt; nihilominus cum clysteres, ceu aliquid extrinsecum Infusi irritent & stimulent tàm intestinum rectum, quàm in specie intestinũ colon, & visciditatem in his contentã evacuant, tunc ex irritatione continua oritur contractio, & propter continuam substantiæ cohæsionẽ simul irritantur reliqua, quâ irritatione intestina contracta contenta excrementa expellunt, & inferiora versus detrudunt; sicut & per consenium pluribus aliis affectibus, etiã remotiora corporis loca affligentibus, conferre suo modo solet. Hinc & clysmata in passione hysterica, specialissimè autem in affectibus mesenterii spasmodicis, nephriticis, invomitu, cholera, &c. frequentissimus eorum usus est in sublevando dolore, & demulcendo furore spirituum. In febribus intermittentibus ante paroxismum injecti, in asthmate & tussi, it. in affectib. capitis, vertigine, epilepsia, per consensum abdominis, &c. egregium præstant levamen: hypochondriacis non minus ac scorbuticis, felicissimus est usus: In apoplexia valdè cõveniunt, in quibus fortiores & acutiores clysteres omninò sunt rejiciendi. *MICHAELIS* curavit hic aliquando famulum mercatoris horrendo hydrocephalo laborantem, solum beneficio clysteris ex hydragogis parati; sic etiã ex clysmate ex vino, cum aromatibus præ parato, delirium natũ quasi ebriosum observat *Rhodius Cent. 1. Obs. 38.* item ex clysmate, cui ʒj opii fuit addita, coma somnolentum obortum fuit, per clysterem ex vino Malvático curatum; *teste SALMUTH Cent. 3. Obs. 97.* Memini me observasse clysma ex lacte bubulo, in quo terebinth. ℥iij cum vitellis ovorum solutæ continebantur, manè injectum, & tota die retentum, vesperi urinã ægri odore sensibiliter infecisse: sic ab opio cũ clysmate injecto balbutiẽ secutam refert *Platerus Obs. p. 136.* Aliquando clysma ex nicotiana, prout communiter prostat in officinis mercatoriis, parari curavi per decoctionem in ▽ simplici, pauco melle addito: hoc injecto æger mox anastasiam quandã cum sumis præcordiorum anxietatib. sudoremq; extremorum frigidũ passus est; ita ut mox rejiciendum fuerit. Potus ergò clysteres ex fum. tabaci adhibeantur: de quo vid. *Bartholinus Cent. 6. Hist. Anat. 66.* Sed de clysmatum usu proficuo legatur imprimis elegans *Dissertatio MOEBII de Clysteribus.*

Quæstio est: *an clysteres etiam confortent & nutriant?* Sanè est insulsissimum, quasi coli & oris sit par ratio; magis verò illud, quando vinum, jusculũ gallinarũ cũ confectione alchermes ægro infundunt, ut nutriat & cõfortet; hinc & parũ aut nihil subsidii ex illis expectandum & promittendum. Cùm n. nihil possit nutrire, nisi quod fuit subactum in stomacho, & à quo heterogenea s. scybala per præcipitationẽ in duodeno ex admisto succo pancreatico & bilioso fuerunt separata; facilè patet, quod tales clysteres, cum nõ adscendant ultra colõ, non possint nutrire, multo minus confortare; sed ceu inania & ridicula figmenta anilia sint rejiciendi. *Instrumentũ* pro debita applicatione, præter canalẽ ligneum, osseum, &c. aut vesicæ est, aut sipho, qui hic illi præferendus. Galli certè nesciunt vesicas, quia longè melius cum siphonibus res procedit, quibus cum impetu quasi infunditur clysma, & altiùs atq; latiùs se extendit. *Graffius* novũ præparavit instrumentum, quod videb. in *Tr. ejus de clysmatib.* Quoniã verò intempestiva nonnullorum verecundia ordinaria hæc instrumenta vix admittit, de aliis quibus mediantibus aut sibimet æger, aut unus ex adstantib. sine illius denudatione, enema illi applicare valent, cogitare solent Practici; quo etiam pertinet instrumentum singulare, cujus delineationẽ & etiã modum fumum tabaci applicandi describit *Bartholinus loc. all. Sim Pauli Quadrip. Botan p. 462. Paraeus l. 25. c. 25.* (quod tamen instrumentum satis imperfectum, dum pyxidis saltem liquorem excipientis, instrumenti verò vibrantis sive impellentis mentionem nullam facit) & *Hildanus Cent. 1. obs. 38. Scultet. Armamẽt. chirurg. Tab. 13. & 42.*

Quoad *Formulas Autoris*, hîc parum est monendum: *num. 1.* notandum: quod urina pueri loco corporis in clysmatibus pro affectibus hydropicis, tàm aquosis quàm flatulentis adhibeatur.

Num.

Num. 2. Solum oleum olivarum integrum clysma constituit, ad leniendam alvum, & recte; quia PRÆVOTIUS etiam quendam nobilem contumacissimæ alvi denuò fluxilem fecit beneficio clysteris ex ℔j. olei communis confecti. In specie usurpatur oleum lini pro emolliendis fæcibus induratis in laxanda alvo nimis contumaciter obstructa, & RULANDUS curavit rusticum quendam, cujus alvus & abdomen ob scybala diutius retenta omnino dura & infarcta fuit, ita ut cum dispnœia, febre quotidiana & anorexia desperatus habitus fuerit, clysmate cum ℥v. olei lini infundendo hoc oleum nunc solum, nunc simul ʒj. trochiscorum alhandal. Interdum recipitur cum *oleo lini* simul *olei raparum* ana: tali enim oleo ex semine raparum desperatam alvi obstructionem curatam fuisse, observatum fuit. Hinc in contumaci alvi obstructione ex induratione fæcum:

℞. *Olei lini,*
rapar. ana ℥v.
diacolocynth. Qy. ℥vj.

M. pro clysmate infundendo tepidè.

Cum talibus oleis expressis interdum in flatulentiis possunt addi olea appropriata carminativa destillata, quæ potentius tunc possunt discutere flatus.

Non raro cum clysteribus injicitur aut dissolvitur sal gemmæ, quod est excellentissimum & omnibus præferendum, ubi intestinorum fæces ex nimia duritie non possunt excerni. Recte autem monet AUTOR *noster in notâ ad formulam tertiam*, quod dosis salis gemmæ imminuenda, potius ad ʒj. dissolutum mirificè commendatur à FORESTO, quod potenter emolliat fæces nimis duras, easque emollitas foras evocet.

Purgantium dosis in clysteribus semper in duplo sumenda est, in respectu scilicet dosis ordinariæ per os sumendæ, alias parum vel nihil operantur; & si stimulare animus sit, omittantur olea.

Post clysteres alvinos sequuntur clysteres uterini, qui pro varietate scopi etiam vel maximè variant: sic v.g. in nimio mensium fluore:

℞. *herb. plantag.* Mj.
rad. bistortæ,
sterc. asinini,
suill. rec. ana ℥vj.
gall. contus. ℥ß.

Ebulliant in s.q. ▽*a simpl.* Colatur. ℞. ℥ix.

D. S.

Anhaltende Einsprützung.

Excoriationibus & exulcerationibus uteri, vel etiam ejus colli, tales injectiones non sine fructu instituuntur; imprimis quidem, ubi tales excoriationes fiunt ex acrimonia nimia humoris, in fluxu albo per istam vaginam transeuntis: tunc fiunt injectiones ex aqua calcis vivæ, ubi est simul inflammatio, vel sola, vel cum ea ebulliant plantæ vulnerariæ, detergentes & consolidantes: ubi vero scopus est blande detergendi & demulcendi humorum acrimoniam, plantæ vulnerariæ coquantur in decocto hordei. Imprimis autem in talibus decoctis vel aquis appropriatis destillatis dissolvitur succus Mercurialis, qui est appropriatus pro purificando & detergendo utero; item mel Mercurial. & syrupus ex Mercuriali paratus. In exulcerationibus uteri Gallicis in vagina uteri, conveniens est, ut cum decocto appropriato, plantaginis, mercurialis, ligni sassafras seu ligni sancti, admisceatur simul, unà cum melle Mercurialis, aliquantulum Mercurii dulcis, seu medicamentum appropriatum contra ex ulcerationes Gallicas. In his & similibus injectionibus interdum etiam appropriata dissolvuntur. Sic in inflammatione uteri, in inflammatione vaginæ uteri, quæ interdum solent fieri post partum laboriosum, aut ex stagnantibus in iisdem locis lochiis, commodè injicitur decoctum florum chamomillæ, decoctum semper vivi, florum sambuci, &c. in aqua appropriata: in quo decocto aliquantulum sacchari Saturni dissolvitur pro dissolvendo sanguine congrumato, & discutienda inflammatione istius partis, datis simul interne menses & lochia promoventibus. Vel in doloribus, inflammationibus & ulceribus uterinis cacoëtheis:

℞. *herbæ lactucæ,*
nymph.
plantag.
scord. à Mj.

Coque in s. q. *seri lactis* vel *lactis ipsius*: Colat.

D. S.

Einsprützen-Milch.

Lac sumitur, ubi scopus est sedandi dolorem; serum verò, ubi ardorem compescere voluerimus.

In prolapsu uteri, seu potius prolapsu sinus pudoris, (uterus enim vix prolabitur) commode injicitur post repositionem injectio adstringens, parata ex decocto radicis bistortæ, cum radice tormentillæ, foliis plantaginis flor. balaustiorum, cortic. granatorum, semine Sumach, & myrtillis, in aqua ferrariorum seu extractionis chalybis: quibus decoctis interdum aliquantulum aluminis potest addi cum syrupo de rosis siccis, & ita per vices injiciantur.

Quantitas materiæ *injiciendæ* in uterum præscribitur ad ℔j vel ℔iß, cujus singulis vicibus calefactæ ℥ij vel ℥iij ad ℥iv. injiciuntur, nunc sæpius, nunc rarius, prout necessitas urgebit.

Instrumentum pro injectione vocatur Metrenchita, cujus delineatio prostat apud Chirurgos, v.g. in SCULTETO *Tab.* 13.

Non omittendum, nec reticendum hic est *singulare inventum Glauberi*, qui habet *instrumentum quoddam ligneum*, quod est canalis quidam oblongus, interius cavus, in anteriore parte cum foramine angusto, ita ut possit in cavitatem uteri commode immitti; huic canali applicatur corpus rotundum pomiforme, quod aperiri & claudi potest: quique tali instrumento in corpore anteriore rotundo intrudit spongiam plenam spiritu salis ammoniaci, vel in corpus rotundum indit misturam ex sale quodam alcalico, v.g. ex cineribus clavellatis cum sale ammoniaco, & ita applicat instrumentum ad uterum, ut beneficio salis volatilis, ex sale ammoniaco penetrantis, in uterum subtili sua penetratione menses remoratos & subsidentes promoveat. Est inventum Glaubero proprium, & illi multi usus in affectibus mulierum.

Injici etiam possunt tales spiritus volatiles ex C.C. urina vel etiam salia hujusmodi, ut odore tenus subintrent uterum, & menses provocent.

Post clysmata uterina dantur & aliæ Injectiones, penis & vesicæ infundendæ, in vesicæ excoriatione, factâ vel ab internis ab acrimonia urinæ acida, ut in stranguria; vel facta ab externis, qualia sunt applicatio cantharidum: sive enim hæ applicentur, sive assumantur, non raro solent inducere, aliis partibus illæsis, excoriationem vesicæ: item in gonorrhœa Gallica, & ubi incipit fieri in pene propè prostatas ulcus; vel quando meatus urinarius, vel etiam ex tali ulcere excrescat caruncula: In talibus casibus fiunt Injectiones in penem, quæ dolorem sopiunt, vesicam excoriatam consolidant, & detergunt, ulcus tam prostatarum, quam meatus urinarii detergunt,

uti etiam virulentiam veneni Gallici destruunt. Quæ dolorem lenimunt, sunt imprimis lac vel propriè sic dictum, vel emulsiones ex papavere, & similibus anodynis, & dolorem lenientibus; item decoctum hordei, commistum cum lacte, aut cum emulsionibus lacteis, commode potest injici. Ad consolidandum & detergendum injiciuntur decocta ex vulnerariis, ex agrimonia, hedera terrestri, & summitatibus hyperici; quæ decoquendæ sunt ab ℥viij ad ℔j. Additur his vel mel rutaceum pro detersione, vel syrupus de symphyto Fernelii pro acrimoniæ attemperatione: & quidem in ℥viij ad ℔j dissolvitur talium ℥j. ad ℥iß plus minus, prout sunt efficaces vel minus efficaces. Adduntur non raro trochisci de alkekengi cum opio, & sine opio: cum opio injiciuntur in dolore excedente, ubi opus est nudâ attemperatione acrimoniæ humorum, & detersione excoriationum & exulcerationum. Commode etiam potest institui Injectio emulsionis ex terebinthina, vel etiam decoctum appropriatum cum aliquot guttis olei terebinthinæ destillati & optime rectificati potest injici, & ubi suspicio est inflammationis vesicæ concurrentis, etiam lacti vel sero lactis sacchari Saturni aliquantulum potest addi: item aqua ferrariorum seu extinctionis chalybis, in qua radix symphyti, myrrha, & aliquantulum aluminis, decocta fuerunt, commodissime injicitur.

Ut res pateat exemplo me declarabo: sit nempe *clysma abstersivum penis injiciendum in exulceratione vesicæ & mictu cruento:*

℞. *fol. plantag.* Mj.
rad. liquirit. ℥ij,
cort. fabar. ℥j.
sem. cicer. r. p. ij.

f. decoctio in ▽ *simplici*, addendo parum *lixivii*, ne nimis f. acris & in ℔j decocti dissolv. *Terebinth. luric. c. vitello ovi in mortar. dissol.* ℥j. & adservetur pro usu Injectionis.

Vel

℞. *herbæ agrimon.*
plantag. ana M. j.
rad. liquirit. mund. ℥ß.

coqv. in ▽ *ferrariorum.* q. s.

Colat. ℞. ℔ß. adde
Ess. myrrhæ c. ♏ *vin.* ♋ *iss. parat.* ʒij.
mell. rosati ℥j.

Misc. pro *Injectione*, quæ fieri debet per syringam.

Quod si minus pateat via per catheterem est amplianda & aperienda. Loco hujus autem & sufficit clyster ex terebinthina. Sin ulcus sit contumax & inveteratum, aut etiam sordidum, simul in hoc Decocto potest dissolvi aliquantum de unguento Ægyptiaco, quod est acre, tantum scilicet, quantum ferre potest æger.

Post hoc *clysma* abstersivum sit hoc *consolidativum in ulceribus vesicæ:*

℞. *ramul. equiseti,*
summit. hyperic.
fol. plantag. ana Mj.
rad. bistorta,
consol. maj. ana ℥iß.
cort. granat. ℥iij.

coqv. in s. q. ▽ *ferratæ*: & in colat. ℔j. dissolv.
trochisc. alb. Rhas. s. opio. ℥iß
boli Armenæ ℥j.

M. pro *Injectione consolidativa.*

Injectiones in gonorrhœa virulenta, meatus urinarii exulceratione, fiunt ex plantis vulnerariis, decoctis in aqua appropriata in quo decocto dissolvuntur nonnulla appropriata, v. g. aloë, mel, &c. & quidem una vice ℥j vel ℥iß injecta sufficit (in vesicam injiciuntur ℥iij vel iv.) vel fit Mistura ex succo plantaginis & aqua plantaginis: quibus additur aloë rosata, & dissolvitur aliquantulum Mercurii dulcis pro injectione in penem, etiam in prostatarum exulceratione in virulentia Gallica: qualem misturam habet SCVLTETVS *in Observ. Chirurgicis Observ.* 79. e. g. in *gonorrhœa maligna cum exulceratione glandis:*

℞. *decocti plantag.* ℥iv.
▽ *a aloët.* ℥iij.
☿ *ii dulc.* ℥ij.
mell. rosac. ℥vj.
M. S.

Mixtur zur Einsprützung.

Ubi periculum est exulcerationis, aut malignum est ulcus, loco ☿ii dulcis capi potest Mercurius præcipitatus, item Mercurius sublimatus, qui est acrior & magis corrosivus, quam Mercurius dulcis; sed in parva dosi miscendo cum decoctis: ubi tamen aqua destillata potius quam decoctum plantaginis conveniret; quia aliàs se præcipitaret Mercurius sublimatus.

Aliud clysma pro pene in gonorrhœa benigna exulcerata:

℞. *lact. muliebr.* ℥iv.
adde
tut. præpar. ℥j.
aloës epat. ℥j.
sacch. candi ℥ß.

pulveres subtilissimè triti subigantur cum lacte, & injiciantur cum syringa, pro una vice ℥ß ad ℥vj. aliquandiu retineatur pene compresso.

CAPUT XLVI.
DE
CONDITIS.

Condita officinalia nihil aliud sunt, quam partes vegetabilium succulentæ cum saccharo dissoluto & clarificato, coquendo in talem consistentiam redactæ, sub qua non facile situm contrahere aut putescere possunt: v. g. radices succulentæ non commodè asservantur, nisi cum saccharo præparentur. *Modum* videbitis *in Autore nostro.*

Sic prostat in officinis

RADIX CICHORII CONDITA,

Quæ usurpatur vulgò in affectibus biliosis, in corrigenda sanguinis dyscrasia, in affectibus chronicis, &c.

RADIX CALAMI AROMATICI CONDITA,

Eingemachter Calmuß.

est egregium stomachicum.

In quibusdam officinis, non in omnibus, reperitur etiam.

RADIX CONSOLIDÆ MAJORIS CONDITA,

Quæ præscribitur iis, qui sunt vulnerati, qui laborant hernia, & similibus affectibus.

RADIX ENULÆ CONDITA.

Prodest in affectibus stomachi & pectoris.

RADIX ERINGII CONDITA.

Præscribitur in Electuariis aphrodisiacis seu venerem conciliantibus: id quod etiam intelligendum est de

RADICE SATYRII CONDITA,

Quæ similiter ad Venerem torpidos stimulat maritos.

RADIX ZINGIBERIS IN CHINA
seu
INDIA CONDITA,

(ita

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1036-8 DFG

(ita enim præscribitur) est egregia in affectibus capitis & stomachi in quibus abundantia est flatulentiarum.

Cortices eodem modo *condiuntur* atque radices, imprimis cortices aurantiorum & citri.

CORTICES AURANTIORUM CONDITI.

Conducunt stomacho & stranguria, similibusque affectibus medentur.

CORTICES CITRI CONDITI.

Usurpantur in præservandis contagiis malignis, & in Electuariis in morbis malignis præscribuntur.

Caules etiam condiuntur; sed pauci sunt talium conditorum. Imprimis.

LACTUCÆ CAULES.

Condiuntur, & fere ad eosdem usus præscribuntur, ad quos radix cichorii condita.

Fructus qui condiuntur, sunt vel duriores, vel solidiores, vel molliores. Molliores, ut fructus berberum, ribium, cerasorum conditorum & similia; coquuntur scilicet, sed additione sacchari, & præscribuntur in Electuariis ad temperandos æstus febriles, quoniam sunt subacidi: sin fructus sint solidiores, coquuntur prius s.q. aquæ ad mollitiem medocrem, & tunc cum saccharo condiuntur. Sic fiunt.

CYDONIA CONDITA.

Quæ conducunt in stomachi vitiis, vomitu, nausea, ructibus, colica, diarrhœa & cholera.

POMA CITRIA CONDITA.

In affectibus malignis curandis, in cardialgia, & affectibus stomachi flatulentis præscribuntur.

PYRA MOSCHATELLINA CONDITA.

In usu sunt delicatulis pro purgatione. Nimirum recipiunt ex cavatum leviter pyrum Moschatellinum, & locus excavatus impletur quibusdam granis pulveris purgantis, & propinatur pro purgatione.

NUCES JUGLANDES CONDITÆ.

Ratione aromatum solent conferre in affectibus stomachi & capitis.

NUCES MOSCHATÆ.
præscribuntur in India
CONDITÆ.

Valdè conveniunt in stomachi, intestinorum & capitis affectibus, in vertigine & scotomia, & similibus, item in apepsia senum, in dysenteriis & diarrhœis.

Hæc dicto modo condiuntur cum saccharo: sed culinam sapiunt, & muliercularum laboriosas nugas. His ergo pro usu diætetico relinquantur, cum nobis in usu pharmaceutico minus necessaria sint, modo radicem Zingiberis conditam & nucem Moschatam rite conditam in officinis habeamus; cætera matres familias etiam invitis Medicis ægris obtrudunt & præstat talia vel recentia sine saccharo adhibere, vel loco talium magis alimentariorum efficaciora medicamentosa substituere.

Sunt etiam quæ condiuntur cum sale & aceto. Sic sunt

CAPPARES CONDITI,

Qui laudantur in affectibus splenis, adeo ut comesti crebrius valde conveniant in infarctione splenis: item in dejecto appetitu, quem acuunt. Præterea quoque blande solent stimulare & ciere urinam.

CUCUMERES CONDITI.

Hic fructus omnibus est notus sed ad culinam, non ad pharmacopœiam, pertinet.

OCULI GENISTÆ CONDITI.

Ad eosdem usus conferunt, ad quos cappares conditi, in affectibus splenis, item in stimulanda urina.

OLIVÆ CONDITÆ.

Sunt egregium diureticum, & impediunt ferè, ne ebrietas non adeo celeriter occupet bibentes.

CAPUT XLVII.
DE
CONFECTIONIBUS SACCHARATIS.

Confectiones saccharatæ, die übergandirte und überzogene Sachen mit Zucker / sunt, quando semina & alia incrustantur saccharo, & inserviunt potius bellariis, quam usui Medico. Quidam pilulas saccharo incrustant, sed est lusus nullius pretii.

Modum conficiendi habet AUTOR, quæ præparatio vegetabilibus est propria: Sic habemus semen anisi confectum, coriandrum, cubebas pro capite & contra vertiginem; semen dauci pro cienda urina & aliis affectibus urinariis; semen fœniculi, carvi, cardamomi, &c. in flatibus ventriculi & intestinorum, cardialgia flatulenta, &c. semen santonicum convenit infantibus vermiculantibus.

Saccharum rosaceum & violaceum fit quando saccharum pulverisatum impregnatur succo rosarum aut violarum, & tunc vocatur Rosen-Zucker / & Violen-Zucker.

CAPUT XLIIX.
DE
CONSERVIS.

Conservæ nihil aliud sunt, quam vegetabilia cum saccharo subacta, eum in finem inventæ ut vegetabilia conserventur in suo vigore, & ne exsiccata vires perdant.

Modus est, ut folia, flores vel radices minutissimè concisa contundantur in mortario cum saccharo: ubi tria consideranda:

1. Mortarium, in quo contunduntur vel miscentur vegetabilia cum saccharo, non debere esse stanneum, aut æneum; imprimis si acidula sint vegetabilia conservisanda, sed lapideum cum pistillo ligneo aut lapideo, ne ramenta se permisceant cum conservis & vim malignam & vomitivam ipsi concilient.
2. Sacchari non nimium capiendum, sed q.s. pro impastatione florum,
3. Hæ conservæ irrorentur oleo proprio; vel earum loco fiant *Eleosacchara* seu *Magisteria saccharata*, de quibus *supra dictum fuit*.

Quoad *vires*: easdem habent cum simplicibus.

Conservæ, quæ prostant in officinis, sunt in AUTORE descriptæ.

CONSERVA PULPÆ CITRI.

Fit elegans gustu, si recens subigatur cum saccharo: post recipitur corticum recentium flavedo, ex quâ contrita exprimitur succus oleosus, qui saccharo excipiatur, & addatur pulpæ suprà dictæ; irroretur aliquot guttis olei destillati corticum citri: sic in febribus aliisque morbis malignis post sudorem prolectum pro viribus refocillandis egregia erit Medicina.

Sunt qui parant etiam.

CONSERVAM CORTICUM CITRI.

℞. *Cort. citri sine carne* ℥ij.
contunduntur in mortario marmoreo, & additur
Sacchari ℔ß.
coquuntur lento igne ad perfectionem, donec perveniant ad consistentiam debitam.

CONSERVA COCHLEARIÆ.

Non commode paratur, quia sal volatile avolat in præparatione.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1037-4 DFG

CONSERVA RADICIS CONSOLIDÆ MAJORIS.

Præscribi solet in vulneribus, in hernia, & similibus affectibus.

CONSERVA ROSARUM RUBRARUM VITRIOLATA.

Dicitur, quæ cũ aliquot guttis olei vitrioli irroratur.

CAPUT XLIX.
DE
DECOCTIS.

INtelliguntur hic Extractiones & solutiones, quæ menstruo imprimis fiunt aqueo, plus minus simplici, vel aliis, præsertim salinis particulis acuato; unde fiunt Gelatinæ, Emulsiones, Infusa, Decocta, Vina Medicata, & pro usu externo etiam clysmata, Cataplasmata, Gargarismi.

In hujusmodi pharmaceuticis præparationibus habenda est ratio & *liquoris* tanquam menstrui, mediante quo fit extractio; & *materiæ medicæ* seu subjectorum, ex quibus fit talis extractio, & tandem utrorumque ad se invicem mutuus respectus, ut nempe ratione quantitatis & qualitatis sibi mutuo respondeant, hoc est, menstruum sit sufficiens & homogeneum rei infundendæ.

Nam ut à posteriori hic incipiam, verum est axioma chymicum: Nullum menstruum sive liquor ultra modũ receptivitatis suæ recipi posse, hoc est, tantum particularum medicamentosarũ ex rebus infusis vel incoctis extrahere & imbibere, quantum particulis suis penetrando & dissolvendo à subjecto separare, ac hinc porulis suis recipere & continere valet: propterea requiritur certa proportio in quantitate menstrui ad rem extrahendam, ut tantum sumatur à liquore, quantum requiritur pro virtute materiæ infusæ elicienda, & quantum sufficit pro cura hujus vel illius affectus: v. g. si ego M. j. herbarum vellem affundere ℔j. liquoris pro extractione, esset nimium, & liquor non sufficienter imprægnaretur; è contra vero, si ego vellem decem manipulis affundere ℥iij. liquoris, esset parum, propterea, quoniam non reciperent in se omnes simplicis virtutes ex eo quod si semel sint ejus pori repleti, tunc non possunt plus recipere, licet vel centies addantur nova simplicia: hinc quadruplum & sextuplum spiritus vini pro subjectis resinosis plenariè extrahendis, triplum autem, quadruplum ▽ pro argento solvendo requiritur; & antimonialia infusa in vino non amplius, quam capere valent, ex croco seu vitro infuso recipiunt. Unde cum aquea menstrua plerumque solitaria, nec salinis particulis acuata, debilissima sint, propterea communiter in eo ac sæpius extratur, quod simplicibus decoquendis ac infundendis tam parum aquei menstrui addatur, & quod vix sufficit, penetrandis & quasi emolliendis rerum extrahendarum particulas: confer. ZWELFERUS *Animadverf. in Pharm. August. pag.* 146. & *Pharmac. Reg. pag.* 31. Cum enim nulla hic sit proportio, fit tantummodo medicamentum pretiosum, & minus fructuosum: pretiosum propter copiam ingredientium; minus fructuosum, quoniam liquoris parcitas & paucitas non potest sufficienter absorbere & imbibere particulas rerum infusarum medicamentosas.

Ratione qualitatis, *supra dictum, quod liquor sit homogeneus subjecto infundendo*, h. e. ejusdem naturæ in fundamento, ne detur actio inanis vel contraria: v. g. aurum vel argentum, si vel per centum annos decoquantur in aqua vel spiritu vini, nil elicitur; si cera vel resinosa decoquantur in aqua regis, vel aqua forti, frustra erit, quia invicem contraria, nullus coalitus, nulla invicem actio aut reactio. Propterea talia ipsi liquori aquoso, aut menstruo sunt infundenda, aut in eodem decoquenda, cui possunt suas virtutes communicare; unde magis resinosa aut oleosa subjecta apta sunt, quæ aqueis teneentur menstruis, qua ratione male à plurimis omnes radices, aut reliquarum plantarum partes resinosæ, e. g. jalappa, aut turpethum, aut agaricus, vino pro scopo laxativo infunduntur, aut pro eodem fine in aqua decoquuntur; quoniam, uti de Extractis monui, resinosa eliciuntur tantummodo per spirituosa volatilia seu menstrua sulphurea; nullo vero modo ab aquoso; quoniam inter oleosa (ex oleo enim & sulphure fit tertium resina) & sulphurea seu resinosa ad aqaam nulla est proportio commistionis.

Liquor ergo & menstruum aquosum, mediante quo elicitur vis medicamentosa per infusionem vel decoctionem, est multiplex, pro varietate scopi à Medico intenti, plus minus simplex, non compositus: v. g. aqua quælibet fontana, pluvialis, ros Majalis, serum lactis destillatum, seu depuratum, vinum, acetum destillatum, mulsum, Posca, succus quidam liquidior depuratus, v. g. pomorum Bosdorffianorum, &c. Et est vel menstruum simplex, vel compositum, acuatum cum sale tartari. Liquor hic primo, quo simplicior, eo potentius imbibit; hinc non Decoctum jam factum, & aliis imbibitis particulis medicamentosis ebrium, est recipiendum; sed aqua vel vinum simplex; vel si in quibusdam circumstantiis recipiendum sit decoctum aut Infusum jam factum, hoc porisapertis, i. e. maximè dilutum, & aliis substantiis minus imprægnatum esse debet, ut valeat recipere plures medicamentosas substantias. Vulgaris sane error est, ut factis Decoctis adhuc varia infundantur, ex quibus tamen liquor amplius quid recipere nequit.

Utilissima est *aqua fontana pura* & nitida in morbis tamen cachecticis, uti *superius dictum*, scorbuto, aliisque chronicis, usitato assumitur aqua ferrata, seu extinctionis ferri; quæ etiam opus est, ubi est laxatus stomachus & intestina: ferrum enim, uti *sæpius monui* & ex TACHENIO indigitavi, nunc adstringit, nunc aperit: per se adstringit contrahendo fibras; aperit vero absorbendo acidum. Interdum accipitur ▽ hordei, seu Decoctum hordei pro Infusione: Quidam accipiunt aquam tonitrualem, & plurimas huic vires adscribunt: vid. quæ *superius dixi de aqua*, ubi dedi quasdam Descriptiones. *Ros Majalis*, vel simplex vel alcalisata, est egregium menstruum pro extrahendis vegetabilium & animalium virtutibus, uti *patet ex supra dictis*.

Serum lactis est conveniens liquor pro infusione simplicium, quoniam notum; quod serum lactis per se non habeat parum virtutis medicamentosæ; ratione imprimis salis nitrosi temperati egregium est remedium in multis affectibus, uti *superius monui de lacte*. Et cum serum lactis per se sit egregium antiscorbuticum, & conveniat admodum, tam in scorbuto, quam febre cum scorbuto conjuncte, propterea fieri possunt Decocta & Infusa in sero lactis in malo hypochondriaco, scorbuto, & similibus morbis. Convenientissimè infunduntur in serum lactis plantæ antiscorbuticæ, ex eo, quoniam serum lactis temperat saporẽ acrẽ. Præter id quod temperet saporẽ acrẽ etiã adjuvat, ut plantæ antiscorbuticæ blandius operentur solent enim interdum ratione salis volatilis acris inducere phlogoses, & effervescentias in corpore: has prævenit serũ lactis, temperando salia acria, & sale nitroso temperato modice refrigerando. In juvenibus ergo biliosis

biliosis & in morbis calidis, uti potus seri lactis est conveniens, ita etiam in talibus Infusa & decocta, tam alterantia quam purgantia, commode possunt cum sero lactis fieri.

De *vino* dubitari posset; *an hoc ratione copiosæ partis spirituosæ inter menstrua aquosa referri posset*: nihilominus tamen, quoniam spiritus vini ante sui separationem est in vino dispersus, & copiosa aqua aut phlegmate dilutus, propterea fit ut omnino vinum menstrui aquosi rationem adhuc obtineat. Usurpatur imprimis pro Infusis, non vero pro Decoctis: ratio est, quoniam in decoctione imprimis nonnihil diuturniore ex vino evanescunt ejusdem partes spirituosæ, & exhauriuntur ejusdem spiritus remanente tantummodo latice aquoso sub acido & quasi tartareo: propter hanc rationem commodius est vinum pro Infuso, quam pro Decocto. Quod si verò vinum decocto sit addendum, vel pro augmentanda ejus virtute, vel pro concilianda eidem saporis gratia, tunc vel admiscetur vinum Decocto in fine decoctionis; vel, quod melius est, insisti debet *modo decoquendi Zwelferiano*, qui in decoquendis subjectis volatilibus & spirituosis cum vino recipit omnes species, una cum menstruo, easque conjunctim, includit cucurbitæ, cum suo alembico rostrato munitæ, in digestionem ponit in ℳ. & instituit sic coctionem: sic enim fit, ut partes volatiles & spirituosæ in decoctione eleventur in alembicum, ibique coagulatæ in guttulas per ejusdem rostrum decidant: quem liquorem destillatum in coctione prolectum Decocti colaturæ deputatæ denuo addit, & ita Decoctum efficacius ac gratius acquirit. *Modum* videbitis hinc inde *in Animadv. Pharm. Aug.* qui est elegans, & merito observandus à nostris Pharmacopœis negligentibus.

Interdum in *Mulso* decoquuntur simplicia, pro suo scopo convenienteac debito.

Sunt etiam, qui recipiunt *succos recenter expressos*, per subsidentiam & repetitam colationem depuratos; iisque infundunt simplicia vegetabilia, vel alterantia vel purgantia. Ita v.g. succi cochleariæ depurati & sero lactis misti ana partibus æqualibus comodè infunduntur simplicia, quæ in morbis chronicis usurpãtur, & conveniẽter aperitiva appellantur.

Porro cum sæpius liquoris seu menstrui aquosi virtus extractiva sit nimis languida, longè commodius procedit negotium pluribus in casibus si menstruum acuatum fuerit salino stimulo pro facilitanda extractione; pro quo scopo, item pro correctione ingredientium quorundam subjectorum, addatur cremor vel crystalli tartari in decoctis, vel sal tartari in Infusis; item terra foliata tartari; sicut jam hoc ipsum *superius monui, ubi de sennâ*, quod nunquam infundenda sit sine stimulo. Salt tartari prompte liquescit, & acuit menstruum, ut nempe partim melius dissolvatur subjectũ, partim ut corrigatur malignitas nobis hostilis, si quæ subest in subjecto. Sed observandum, quod cremor tartari, licet coctione dissolutus refrigerato liquore mox crystalli seuit denuo. Ergo si tartarũ simul solutum volumus, parum salis tartari etiam tunc addi potest; hoc enim in liquore crystallisationem impedit: v.g. ad ℥ij vel ℥iij cremoris addatur salis tartari ℈j ad ℈ij. Imò alia interdum adduntur stimulantia pro varietate circumstantiarum: nunc species infundendæ vel decoquendæ adsperguntur arcano tartari, quod est salinum, ut facilior fiat extractio, sicque virtutes medicamentosæ communicentur liquori; nunc additur tartarus vitriolatus, vel sal fixum aliud tam simplex quam compositum sic v.g. in Infuso purgante antiscorbutico comode adsperguntur ingredientia cum quodam spiritu antiscorbutico, v.g. cochleariæ, armoraciæ, &c. in Infuso anticachectico commodè infundenda adspergimus cum spiritu aperitivo Fenoti, Item cum spiritu volatili aut tinctura tartari (loquor de Infusis in decoctis enim spiritus tartari volatilis, spiritus cochleariæ, &c. exhalando pereunt.

Subjectum verò menstruis aqueis extrahendum, ex omnibus tribus regnis desumitur: sed potissimum ex vegetabili, hinc & animali regno; sicut recte dicit AUTOR *pag.* 173. quod fieri possint Decocta ex rebus omnibus, ut elixatione vires brodio suo communicent: vid. quæ habet AUTOR, qui est satis clarus, & non valde prolixus.

Verũ in hoc ipso, præter *supra monita*, ratio habeatur.

1. Conditionis materiæ infundendæ: *an volatilioris, an fixioris fuerit naturæ?* & ipsum concretum texturæ firmioris vel rarioris? Nam illa, v.g. ligna, radices, cortices, plantæ adstringentes, item quæ vocantur in specie spleneticæ, uti etiam quam plurimæ vulnerariæ, cornua, aliæque animalium partes, uti & mineralia, vix sine diuturna in aqua maceratione, & accedente insuper decoctione: hæc vero, v.g. aromata & aromatica, antiscorbutica dulcia, &c. quorum vis consistit in sale volatili facile exhalante, inepta sunt Decoctionibus, & simplici Infusione & digestione aut destillatione præparantur; quoniam coquendo maximè eorum virtus exhalat fixiora ecõtra inepta infusionibus, cum non sufficienter extrahantur. Infusa enim media sunt inter decocta & destillata; unde tam præscribuntur ad Infusionem, ut in loco tepido macerata sine sui exhalatione blandè deponant virtutes medicamentosas in menstruum. Sic plantæ aromaticæ dictæ, odore penetrante & volatili præditæ, uti etiam ipsa in specie sic appellata aromata, difficulter admodum ferunt decoctionem, propter partes spirituosas volatiles, leni in igne dissipabiles; sed potius pro sola tantummodo infusione cum liquore appropriato præscribuntur ut menstruum penetrando in poros extrahat materiam solubilem: sic crocum si decoquimus, non fit sine volatilium virium jacturâ; si vero ligna infundimus, minima pars medicamentosa extrahitur: si cinnamomum, cardamomum, aut sinapi decoquantur, certè multum de viribus perdunt. Quod si vero sint decoquenda cum aliis, aut propter intendendas virtutes medicamenti, aut propter gratiam saporis & odoris præscribuntur, tantum in fine decoctionis adjicienda quando coctio jam ferè est absoluta; aut certè in decoctionem adhuc calidam, & modo ab igne remotã, infunduntur. Quod ipsum similiter intelligendũ venit de simplicibus purgantibus, quorum virtus coctione dispergitur & perit, qualia sunt imprimis epithymum, item senna, quæ levi coctione egregium purgans, longiore vero coctione difficilè & mucilaginosum torminans producit Decoctum.

Hæc ergo & similia commodius infunduntur quã decoquuntur, cum in decoctione castretur potius quam augeatur eorum vis: ut nihil jam dicam, quædã simplicia prout infunduntur vel decoquuntur, virtutes suas immutare; uti *monui de Asaro*, quod infusione in aquam dat medicamentum vomitivo cathartcum, decoctione vero dat medicamentum deoppilativo diureticum id quod similiter in aliis usu venire observabit is, qui diligens est simplicium scrutator.

2. Requiritur, ut probe attendatur: *an subjectũ extrahendũ & solvendum, sit sulphureæ, aut salinæ, aut aqueæ naturæ?* hoc est, in concreto vel resinoso vel mucilaginoso hæreat, pro instituendo aliquali menstrui selectu. Salia enim acida pro subjectis mineralium; sulphureæ, nempe spiritus vini, pro subjectis pinguibus, resinosis & oleosis; aqueæ pro salinis adhibeatur. Observandum ergo: ne resinosa in aquã, mineralia in spiritum vini infundantur; hinc quidam male agaricum in hydromel infundunt. Ex hoc fundamento facile patebit, quod turbith, jalappa, item hermodactylus, gummi guttæ, kammoniata & similia resinosa, non nisi frustra infundantur cum aliis purgantibus, quoniam hæc & alia sine effectu, seu resinosa, permiscentur; reliqua,

3. *An subjectum extrahendum & resolvendum generosius vel potentius altero sit simplex, seu plus*

suggerat de vi medicamentosa? an sit debilius, & minus se exserat in menstruo pro legitimo quanto, dosique rite ejus determinanda? Aromatica enim plus suggerunt menstruo, quam fixiora; sic v.g. cinnamomi ℥j plus valet, quam absinthii M. x.

Plura quæ huc spectant videbitis in ZWELFERI *Animadvers. in Pharm. August. pag.* 146. & *Pharm. Reg. pag.* 31. & 84. item in HOFFMANNI *Clave pag.* 61. & 87.

Ex dictis vel sponte patet: quod principalis in his negotiis labor sit infusio cum digestione, & hinc decoctio, cui ministraliter inserviunt tam specierum incisio, contusio, mistio, &c. quam factæ jam extractionis & solutionis transcolatio, & interdum depuratio, clarificatio, & præsertim sub dispensatione edulcoratio. Species nempe mistæ, cum liquore simul conjunctæ, committantur digestioni, plus in decoctis & fixis, minus in infusis & volatilibus: mediante enim Infusione, tepore & calore, penetrat magis menstruum in corpora. Purgantia, quo diutius digeruntur, eo mitiora fiunt, & vim suam purgantem magis exserunt, penetrando scilicet mista. Digesta vel decocta transcolentur, ut fiat separatio liquoris impregnati à fœculentis remanentiis: Infusa autem antimonialia per chartam filtrentur, ne aliquid de substantia antimoniali hauriatur, & ita noxam adferat in corpore. Quoad edulcorationem: opus est in decoctis & infusis amaricantibus & nauseosis pro gratia saporis & odoris, ne nauseam pariant.

Quoad subjecta extrahenda, & præsertim decoquenda: primum est regnum minerale; ubi quæritur: *an* scilicet *ex iisdem virtus medicamentosa decoctione in aqua vel vino commodè possit elici?* nihilominus tamen pro nobis tantum stat LOCATELLI; sed in specie elegans hac in parte est POTERIVS *in Pharmac. Spagyr. lib.* 1. *cap.* 1. 2. *& reliquis capitibus se invicem subsequentibus*: sicut & multiplici experientia stat, multas vires ex mineralibus elici. Sic notum est, quod *ferrum* commode possit infundi, nunc in aquam simplicem, nunc in vinum, contra morbos cachecticos, chronicos, & malum hypochondriacum, &c. in quibus, uti notum est, vinum chalybeatum est elegans. Imprimis vero ferrum vino infusum commendatur in talibus casibus, cum subtilis vini aciditas solvat subtiliorem Martis crocum & exinde virtutes contra morbos chronicos elegantes eliciat. Hac ratione fiunt vina antica-chectica ex mineralibus, una cum cinnamomo & caryophillis vino infusis. Præterea huc etiam pertinet, quando chalybs ignitus extinguitur in aqua simplici, & fit *aqua chalybeata*, vel *aqua ferrariorum* quæ aqua extinctionis ferri est conveniens potus in morbis cachecticis & spleneticis: hinc etiam dicunt; quod canes fabrorum ferrariorum careant splene, aut certe habeant admodum imminutum: ex eo, quod bibant aquam ferrariorum, quæ aqua hoc augmentum præternaturale splenis præveniat & præcaveat. Talis chalybs vel ferrum ignitum, vel in aqua vel in lacte extinctum, egregium præbet liquorem, tam pro potu dysentericorum, quam etiam pro infusione instar clysmatis in iisdem. POTERIUS refert, *virum ictericum epoto vino, in quo pluries aurum candefactum extinctum fuerit, perfecte reconvaluisse*: & quidem hoc aurum in aqua extinctum suo ratiocinio comprobat BURRHUS *in Epist. ad Bartholin. de restituendis humoribus oculorum scriptis. Stannum calcinatum* & vino infusum laudatur ad affectus uterinos. *Aqua in qua plumbum extinctum*, ventrem & artus refrigerat, alvumque laxat; calcinatum aceto infusum, cuicunque inflammationi cito succurrit & ophthalmiæ medetur. De *antimonio superius dixi* quod à modernis permisceatur decoctis & infusis antivenereis cum lignis sudoriferis; sicut etiam antimonium crudum subtilissime tritum ad ℥ß. si maceratur per noctem in tribus vel quatuor unciis aquæ vel vini, supra & infra purgabit. Sic præparatum antimonium infusione sui plurimus dotibus impregnat. *Infusum vel decoctum Mercurii vivi*, bene à Mercurio vivo separatum, non tantum constituit *aquam Hermeticam Augenii*, quæ contra vermes puerorum internè, & contra scabiem externè cognita est: si nempe aliquot ejus drachmæ in aqua fumariæ vel commmuni ebulliant, & aqua ista à Mercurio subsidente decantata usurpetur; sed præterea quoque idem Mercurius decoquitur & infunditur in istiusmodi decoctis & Infusis antivenereis sicuti ipsum antimonium. *Aqua calcis viva* seu *ejus decoctum* polychrestum remedium est interne & externe. *Decoctum sulphuris* valdopere commendatur à POTERIO, si nempe decoquitur sulphur in aqua vel in vinum fuerit infusum; in aqua pro remedio alexipyreto seu febrifugo, quod scilicet febres pellat, epatis ardores compescat, & etiam quod erysipelati & scabiei usu interno medeatur: externo vero usu idem decoctũ sulphuris vel infusum quamcunque inflammationem sistit, erysipelati succurrit, scabiem sanat, ac rubores faciei tollit: Prostat etiam *decoctum scoriarum reguli antimonii* pro scabie, ulceribus, &c. De Mercurio sublimato, vitriolo alumine, &c. ut nihil dicam. Ex omnibus his ramenta medicamentosa plus minus communicantur aquæ, præsertim in decoctione, unde potus medicamentosus fit.

Ex animalibus, eorumque partibus, e. g. priapo cervi, C. C. &c. decoquendo cum aqua simplici elicitur substantia mucilaginosa, frigore facile in gelatinam concrescens; utut etiam ex vegetabilibus quibusdam similis gelatinosa substantia elici queat, v.g. ex jusculo avenaceo, cydoniis, pyris, &c. & quod gelatinæ sunt in animalibus, hoc esse videntur mucilagines seminum vegetabilium, v.g. seminis cydoniorum, milii, psyllii, &c. Citra gelatinæ præparationem partes animalium tam duræ quam molles commode decocta ingrediuntur; hinc habentur Decocta C.C. radicis scorzoneræ cum C.C. decoctum priapi cervi, splenis bovis, quod in cachexia & mensium defectu laudatur quo etiam pertinet decoctum epatis suilli; quæ commendari solent iis, qui laborant fluxu epatico sanguineo: qualia animalia nunc sola, nunc cum aliis vegetabilibus infunduntur. Item huc pertinent etiam juscula consummata, & similia, *de quibus suo loco.*

Quoad *vegetabilia*, semina quædam, lactea quasi oleosa substantia turgida, imprimis cum aquis terendo solvuntur, quo oleosa substantia nuclei eliciatur, & ita in corpus lactiæmulum, *Emulsionem* dictam, rediguntur, quæ tamen potius magistrales, quam officinales esse solent, de *quibus infra.*

Ulterius aqua ex seminibus quibusdam liquefaciendo elicit mucilaginosam substantiam, qua extracta incrustantur quasi semina; ut cydoniorum mucilago ad faucium affectus; psyllii, sclareæ, milii, &c. simplici infusione ac in aqua maceratione parabilia.

Decocta autem & Infusa in specie sunt vel pro usu interno, vel externo. Pro usu interno vel scopo alterandi, vel laxandi, vel utrique scopo satisfaciunt simul. Decoctum purgans nihil habet singulare præ alterante, nisi quod exacta requiratur supputatio dosium purgantium ingredienum; quæ cum sint vegetabilia, talia infundenda vel decoquenda sunt, quæ virtutes suas possunt communicare menstruo aquoso seu quæ non sunt resinosa, ut plurimum quæ cum aliis

aliis purgantibus frustra infunduntur. Et certe is, qui novit legitime infundere vel decoquere sennam, rhabarbarum & helleborum, vix opus habet reliquis; ut taceam Decocta purgantia propter nauseosum saporem, & propter horrendum gustum, nunc non esse amplius in usu adeo, atque fuerunt tempore Majorum; aut si adhuc præscribitur Infusum aut decoctum tale ex senna, pro una saltim dosi præscribitur.

Quod ergo attinet ingredientia: radices, cortices, ligna; item baccas duriores, ut juniperi exsiccatæ, &c. firmioris cum sint compagis, ut plurimum mediante decoctione extrahuntur aquosis aut vinosis menstruis; ita quidem, ut menstrui sextuplum, octuplum, aut duodecuplum, ut plurimum recipiatur, ut diuturnæ macerationi in loco calido & decoctioni, nunc ad mediæ, nunc ad tertiæ partis remanentiam instituendæ sufficiant. Cum verò quodam eorum sint volatilioris ex parte texturæ, ut sassafras, junipetinum lignum, &c. decoctio talis instituitur in cucurbita suo alembico munita, quo ita simultaneâ destillatione colligatur id, quod alias evanesceret in auras, quodque vel decocto ipsi, aut saltem Bocheto seu Decocto secundario possit addi, ut recte observat ZWELFERVS *Pharm. Reg. pag.* 87.

Herbæ & flores, semina item aromatica, nunc simplici Infusione, nunc simultanea decoctione, cum menstruis aquosis aut vinosis tractantur; idq; iterum vel simplici decoctione, vel juncta simul destillatione. Simplici Infusione illa, quæ volatilioris & varioris sunt texturæ, v. g. senna, rhabarbarum, item flores acaciæ in sero lactis; herbæ recentes aromaticæ; simultanea vero decoctione tractantur ea, quæ firmioris sunt texturæ, ut diuretica plurima, vulneraria, adstringentia, pectoralia, &c. Tandem Decoctione & Destillatione simul, quæ mediæ sunt constitutionis & de volatiliori facilè exhalabili substantia participant, & simul fixioris coalitus moleculas seu corpuscula obtinent, & quæ non nisi rigorosi ignis examini auscultant, dum ista volatiliora per alembicum avolarent. Talia sunt aromatica, cephalica & stomachica, v. g. mentha; rosmarinus salvia, &c. unde coctio sæpe in diplomate instituitur.

Diploma est vas duplex clausum, eum in finem, ne, quando fit decoctio, vires facile exhalent; sed ut cum minori medicamentosarum virtutum jactura institui possit. Commodius tamen est inventum ZWELFERIANUM, dum cucurbitæ suus imponitur alembicus rostratus, uti *paulo ante dixi*. Speciatim plantæ antiscorbuticæ non bene ferunt decoctionem, ergo imitemur HORSTIUM *in Observ. pag.* 338. & succum exprimendo, & relictum decoquendo, v. g.

℞. *herb. nummular.*
nasturt. aquat.
anagall. aquat.
cochlear. ana Mij.
comar. absinth. vir.
rutæ,
sedi minor. ana Mß.

Incidantur & conterantur lapideo mortario, trajiciatur *succus* per pannum lineum, qui *in vase vitreo conservetur*:

℞. Porrò *herbas, ex quibus succus expressus*:

Coqv. in *sero lactis caprini depurato* leviter, per pannum lineum exprimatur parum; Expressioni addatur

succus prior;

Misc. & aromatisentur cum

℞ *cinnam.* ʒj.
oo destill. macis,
nuc. Mosch. ana grr. iv. vel v.

Misc. pro Potione; cujus dosis sint ℥iij, iv. vel v.

Ordo ingredientium pro decoctis solet observari talis, ut primo quidem ponantur radices, hinc folia, utut ab aliis promiscuè modo folia primo loco, modo radices præscribantur, & nulla hac in re certa præscribi queat lex; postea flores, hinc semina: quo etiam pertinent fructus & aromata. Ad radices etiam pertinent cortices & ligna: denique adduntur aromata, partim ut corrigant ingredientia purgantia, quæ commodè ponuntur post radices & folia, partim ut concilietur gratia saporis & odoris.

Quod attinet animalium partes, si sint duriores radicibus & foliis permiscentur & immiscentur; sin vero sint molliores, postmodum adduntur: sicut hæc ipsa sunt satis clara in MORELLO, ad quem lectorem remitto. Proportio hæc est: ut v. g. radicum ℥j respondeat corticum & lignorum ʒij ad summum ℥ß herbarum Man. ij, florum ʒj seu pug. 1. ad ij, seminum ʒij vel iij ad ℥ß, fructuum minor. paria 2. vel 4. fructuum majorum num. 1. vel 2. aromatum ʒj. Manipulus mediocris habetur pro ℥ß. Animalium & mineralium dosis variat, sicque proportionata non possunt dari. Proportio in liquore est, ut respondeat triplum: scilicet unciæ uni specierum, respondeant ℥iij vel iv liquoris libræ uni infundendorum respondeant ℔iiij vel iv liquoris: in durioribus autem & fixioribus respondeat sextuplum, octuplum, duodecuplum, uti videri potest in AUTORE, qui satis est fusus in docendo, quomodo parari debeat decoctum, vel infusum sicut & hæc docet usus & lectio Autorum; impossibile enim est, omnia inculcare.

Observetur præterea; quod quando variæ vel multæ vegetabilium partes infunduntur aut decoquuntur, singula in minori describantur dosi, ne cumulus ingredientium coacervetur: item si præscribendæ tales partes, quod reliqua omittantur, reliqua in majori præscribantur dosi: Plantæ & radices, quæ sunt mucilaginosæ & viscidæ, ut radix althææ, symphyti majoris & similes, non commodè & bene possunt infundi aut decoqui; quoniam mucilagines Decocta reddunt ingrata & nauseabunda.

Quoad *quantitatem purgantium infundendorum & decoquendorum* pro dosi satis est prolixus AUTOR ne ergo excedamus, aut insulse præscribamus, bene legendum *hoc caput de Infusis & Decoctis purgantibus in* MORELLO. *Cautelæ* quas habet *in annotationibus* legantur & observentur; quoniam sunt summè necessariæ, & summe elegantes: *circa finem* etiam habet *exemplum*, ubi *ordo ingredientium* satis est elegans adeo ut quia sunt satis clara, non opus sit multis exponere.

In specie quoad *decocta Autoris officinalia*, offert se *num.* 1. *pag.* 175.

DECOCTUM ALTERANS.

In hoc recte AUTOR monet; acuendum esse cum spiritu vitrioli; Ita Julepum dat extemporaneum in febribus continuis & malignis, & pluribus scopis satisfacit. Loco spiritus vitrioli sumatur spiritus nitri dulcis, & loco ligni santali rubri, quod prædicatur inter cordialia & epatica, & etiam elegantem & suavem colorem attribuit tali decocto, lignum sassafras. A quibusdam loco decocti hujus Alterantis Decoctum radicis scorzoneræ cum C,C, pauco succo citri acidulatum, usurpatur; *non secus*

secu atque decoctum C. C. cum ligno sassafras perquam egregium est pro corpore Juleporum, in hujusmodi malignis affectibus.

DECOCTUM ANTIMONIALE

nro. 2.

Decoctum antimoniale D. D. Hornigii paratur ex antimonio crudo & aliis ingredientibus; sed quantitas ejus nimis exigua est; ad minimum ℔ß ad ℔j. sumatur. Modernis imprimis in usu est, antimonium, item mercurium, decoctis addere pro scopo sudorifero, sanguinisque alterativo. Egregium est in lue Venerea & similibus aliis. Ab AUTORE commendatur in affectibus catharralibus, in scabie impuriore, aliisque cutis impuritatibus, ratione ligni sassafras: Conf. quoad decocta lignorum cum antimonio WILLIS *Pharm. Rational. Part. 1. pag. 202.* item HOFFMANNUS *Clave pag. 62.* sic non inelegans est *Decoctum lignorum diaphoreticorum antiscorbuticorum*:

℞. *raf. ligni juniperi* ℥ij.
rad. chinæ in taleol. incisæ ℥iß.
bacc. junip.
lauri
sambo. ana ℥ß ad ℥j.
℥ij *crudi in petia lig.* ℥iv.

Infunde in ▽ *comm.* Mens. iv. seu ℔ xij.

Macerentur in MB. per 24. horas hinc ebulliant ad consumpt. medietatis: Colatura detur & usurpetur.

Plures formas congeneres habebimus in *Collegio Formularum*, ubi *de diæta sudorifera.*

DECOCTUM CARMINATIVUM CLYSMATICUM.

Non usurpatur internè, tantum adhibetur loco baseos in clysteribus; de quo *supra, ubi de clysteribus.*

DECOCTUM EPATIS VITVLINI.

nro. 4.

Decoctum epatis vituli, sive simplex sive cum aliis herbis pectoralibus, in affectibus epatis, fluxu alvi hepatico, item in hydrope ex imminuta sanguinis fermentatione, uti etiam in hydrope ex nimia refrigeratione partium & similibus, dari solitum: sed nil valet; est enim decoctum nutritivum, non medicatum. Potius aquæ destillatæ eligendæ.

Idem judicandum de *Decoctis pulmonum vulpis, lupi, apri & similium*, cum plantis pectoralibus, quæ aliis valdè commendantur in phthisi & erosione pulmonum, asperitate faucium, & in specie in atrophia, ex pulmonum vitio oborta.

DECOCTUM FLORUM ET FRUCTUUM.

Solet præscribi & adhiberi partim loco digestivi ante purgantia, partim solet usurpari loco corporis pro dissolvendis Electuariis aut Extractis purgantibus, & habetur potens digestivo laxativum.

DECOCTUM HYSTERICUM.

Decoctum hystericum, ab AUTORE *pag. 176.* descriptum, cui nam usui inserviat? ingredientia examinanti facile patet.

DECOCTUM MAJALE.

Decoctum Majale duplici ratione ita vocatur:

1. Quia solet vernali potissimum tempore usurpari, in specie Majali, præservandi gratia in morbis chronicis; unde ipsa constant ex crasin sanguinis corrigentibus, nunc cum quibusdam laxativo purgantibus.
2. Quia loco menstrui quidam rorem Majalem usurpant. Talia possunt fieri frequenter pro purificando sanguine.

DECOCTUM PECTORALE.

Usitatum est in affectibus pectoris. Possunt dissolvi in eodem syrupi appropriati; item Electuaria appropriata, tam alterantia quam purgantia, pro scopo à Medico intento. Interdum ex decocto pectorali fit clysma pro temperanda acrimonia in alvi fluxibus.

DECOCTUM PURGANS PRO DELICATIS.

Elegans compositio est, & imprimis poma Borsdorffiana recipi possunt: imo, loco aquæ pomorum solo succo depurato pomorum horum fol. Sennæ infusa suave laxativum præbent: post colaturam autem succo pomorum succus citri vel limonum præferri debet, qui corrigit mucilaginem torminosam sennæ, & suavissimum saporem conciliat.

DECOCTUM SPLENIS BOVIS.

Decoctum splenis bovis ultimo loco descriptum, quo frequenter usus est B. D. MICHAELIS in affectibus lienis, in ejusdem scirrho & infarctu, in scorbuto & ictero, imprimis nigro, in affectibus mulierum, mensibus inordinatis ac plane suppressis, idque sæpe feliciter.

Præter hæc decocta in officinis etiam prostat.

DECOCTUM HORDEI CUM C.C.

Quod æstum & calorem massæ sanguineæ sedat, & ebullitionem temperat, ratione hordei. Præterea ratione C.C. sensim sensimque disponit corpus ad lenem diaphoresin, quæ unice expetitur in morbis malignis.

DECOCTUM C.C. CUM RAD. SCORZONERÆ

In febribus malignis solet præscribi.

DECOCTUM PRIAPI CERVI, & DECOCTUM PRIAPI TAURI.

In dysenteria non minus, quam pleuritide, est usitatum. Miscetur commodè cum syrupo de coralliis Quercetani, item cum syrupo de rosis siccis; quoniam adstringunt, & acidum dysentericum corrigunt.

Non inelegans *Decoctum alexipharmacum de C.C.* habet SIMON PAULLI, *Medicus Regis Daniæ*, in Παρεκβάσει seu *Digressione de Febribus malignis*, cujus hæc est descriptio:

℞. *raf. C. C.* ℥ß.
rad. fœnic.
contrayerv.
scorzoner.
carlinæ ana ℥ij.
semin. aquileg.
fœnic. ana ℥j.
cibebar. exacinat. s. passul. exacinat. ℥ij
coq. in s. q. *decocti hordei*; sub finem coctionis add.
conserva ros. rub. ℥ij.
borrag.
buglossæ à ℥j.
℞. Hujus decocti colati ℔ij: adde
syrupi rubi idæi ℥ij.
(parum additur, propterea, quoniam conservæ & passulæ dant gratum saporem)
succi citri ℥j.
℞ ⊖ⁱⁿ ℈j. vel q. s.

M. D. S:

Hertzstärckender alterir-Tranck / auf etliche mahl.

Est elegans in febribus malignis & ardentibus, malignitatem sapientibus.

CAPUT

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1042-1 DFG

CAPUT L.
DE
ECLEGMATIS LOHOCH,

EClegmata non in tali amplius æstimatione sunt, in quâ veteribus habita fuerunt: hi enim putarunt, Eclegmata hæc successive lambendo assumpta, sicque pedetentim deglutita, penetrare etiam in asperam arteriam, sicque proximè malis pulmonum mederi: unde ne tam propere per gulam delabantur, sub spissiori tali consistentia eadem præpararunt. Sed vana est persuasio. Quicquid fauces ingreditur, ventriculum petit ne tantillo, citra tussis incommodum aut suffocationis metum sensibilissimum bronchum attingente; unde & eclegmatum putatitius usus vanitatis est convictus à SCHNEIDERO *de Catarrhis*, & ab HELMONTIO *Tr. Tussis & Asthma*. § 6. Quicquid ergo commodi ex loch hujusmodi expectare possumus, hoc est, quod fauces, s. pharyngem asperiorem excoriatum, phlogosi tubentem, & hinc plus minus dolentem, blande lubricare, delinire, & molesta illa pathemata ita nonnihil palliare queant. Sed in hunc finem non opus est tot ac tantis compositionibus, sufficit *Loch passulatum num.* 2. *pag.* 178. vel etiam ipsum *rob passularum minorum*, sive *syrupus diacodini Montani*, cum pauco syrupi scabiosæ permistus.

Quod si Eclegma compositum præscribere aut ordinare placeat, optime fiunt ex mucilaginibus, v. g. radice althææ, semine cydoniorum, psyllii, &c. cum pauco saccharo permistis, & ita lambendo pro faucium delinitione assumptis.

CAPUT LI.
ELCTUARIA.
pag. 178.

HAbuimus *cap.* 42. *Bolos ex conservis & pulveribus & syrupis appropriatis* paratos, quibus affinia valde sunt *Electuaria*: est siquidem Electuarium quædam compositio crassior, mollior tamen, in forma crassioris mellis, pro aliquot dosibus. Sunt autem Electuaria vel *mista simpliciter*, vel simul *fermentata*: *illa*, quæ extempore miscenda in officina & præparanda ordinantur à Medico, vel etiam officinales quædam modernorum compositiones; *Fermentata* verò sunt jam à veteribus acquisitæ compositiones, quæ propter copiam ingredientium, & præparationis identitatem, *Compositiones theriacales*, item propter ingredients simul opium, ceu basin, aliàs *opiata* dicuntur, uti etiam à MORELLO vocantur. Verum usus horum opiatorum veteribus erat nimis strictus; usurpabant enim pro alexiterio sudorifero tantum: nunc verò in usitatum est nomen opiati, & retentum jam est nomen Electuarii, quæ prolixius & ad alios scopos alterandi, purgandi & laxandi extenduntur.

Constant duplici subjecto nempe

1. *Ingredientibus pulverisatis*; &
2. *Excipiente*, quod imprimis mel est.

Miscebant nempe veteres, speciatim Arabes, artis pharmaceuticæ studiosissimi, ingredientia pulverisata, cum triplo, quadruplo, &c. mellis: mista hæc & probè agitata in loco temperato asservabant, & ita ratione mellis fermentari permittebant; quâ sane fermentatione, & tanta plurium ingredientium farragine, quasi tertium novum concretum medicamentosum emergebat. Exempli loco sit famosa illa Theriaces Andromachi, aut Mithridatii Damocratis, compositio, ex quibus Theriaca juxta Arabes decem annos fermentare debet, antequam in usum Medicum recipiatur. Usus fermentationis, præter modo dicta, sufficienter se exerit in opii correctione, quod à quibusdam ceu basis Theriaces æstimatur. Hujus ratione Theriaca vetus minus anodyna, seu narcotica, recens è contra magis, observatur. Hinc dubitarunt quidam: *an infantibus tuto possit porrigi theriaca vel Mithridatium?* de quo *suo loco*.

Quoad Electuaria ab AUTORE recensita, paucissimæ horum veterum compositiones in usu sunt; unde magis usitatas examinabo. A fronte sese offert.

ELECTUARIUM DIACORI,
Augustanorum.

Electuarium hoc describitur à MESUE, & valdè usitatum est in affectibus stomachi & intestinorum flatulentis: item in digestione deficiente seu vitiata sive imminuta, similibusve aliis stomachi affectibus.

ELECTUARIUM PSEUDO-ACORI STOMACHICUM.
num. 1. *pag.* 180.

Electuarium hoc non est contemnendum constat enim ex radice acori adstringente & adjunctis simul aromaticis; unde egregium est in stomachi affectibus cum vomitu vel alvi fluxu conjunctis. Aliàs etiam acorus verus conditus manè assumptus in se elegans est stomachale, appetitum & digestionem promovens ac malignitatem insimul corrigens. Præsens vero pseudoacori Electuarium adstringit, & aromatica vi restaurat.

Pertinet huc etiam

ELECTUARIUM DIACORI
Altenburgensium.

℞. *rad. acori in vino coctæ* ℔j.
amygd. dulc. ℥vj.
pinear. ℥ij.
zingib. cond. ℥iij.
calami arom. cond. ℥x.
cinnamomi ℥j.
galangæ
nuc. Moschata
caryophyll. ana ℥vj.
cardamomi utr.
macis ana ℥ß.
sem. coriandri ℥iij.
santali rubri ℣ *macer.* ℥ß.
sacchari clarif. ℔ivß.

M. pro *Electuario*.

ELECTUARIUM ALEXIPHARMACUM.

Electuarium alexipharmacum, quod describit AUTOR *num.* 2. est ingens compositio, similis Theriacæ: nihilominus tamen non est inelegans. *Basin ejus* constituunt *nuces juglandes*, *Zingiber*, & *Theriaca Andromachi*, uti apparebit ex compositione. His reliqua adduntur, partim ut vires intendantur, partim emendant, ut fiat *Electuarium alexipharmacum*.

ELECTUARIUM ALEXIPHARMACUM DE CICONIA,
uro. 3. *pag.* 181.

Dixi *superius*, *ubi de ciconia*, quod exinde fiat Electuarium ex sanguinibus, à CROLLIO & PARACELSO valde commendatum in morbis malignis & similibus. Huic fere simile est *Electuarium alexipharmacum de ciconia*, cujus *basis* est *sanguis de ciconia* certo modo *præparatus*; cui adduntur reliquæ pro meliori effectu, eodemque exaltando; & loco mellis pro consistentia sit *Electuarium* cum *oleo pini expresso*. Cæterum, utut ciconia bufonibus & serpentibus vescatur, à quibus vis alexiphar-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1043-6 DFG

maca in ciconiam derivatur; cum tamen vis serpentum alexipharmaca in ciconiæ stomacho alteretur, ipsæ viperæ, & ex his parata remedia, ciconiæ præferendæ erunt. Quoad *Electuarii hujus præparationem* conf. *HOFFMANNVS Clave lib. 2. cap. 51. pag. 64. & 89.*

Pertinet huc ratione convenientiæ

ELECTUARIUM AL-CHERMES
seu
CONFECTIO.

Confectio Alchermes ita dicitur, quoniam paratur ex succo granorum chermes, tanquam basi; qui tamen non adeo magni usus est in confectione hac; unde loco hujus, cum apud nos non prostet, quidam linteamina rubeo colore tincta solent assumere, qui color rubeus est ex granis chermes. De his granis expertum est à modernis, quod illorum rubedo consistat in minutissimis vermiculis, qui sub maturationis tempore generantur, unde postmodum tinctura rubicunda provenit, uti potest videri apud Botanicos, imprimis in *Theatro Botan. Baubini cap. 1. de Rhamno Infectoria.* Paratur vulgo Confectio alchermes vel cum Moscho & ambra pro viris; sine illis pro mulieribus, quibus talia ingredientia solent esse infesta & nociva, propter metum passionis hystericæ; sed cum basis ejus vera sit ambra, quæ sola vim analepticam absolvit; succus chermes econtra parum valeat, ideo & ipsa confectio alchermes sine Moscho & ambra parvi usus erit. Commendatur aliàs valde in quam plurimis affectibus, uti videri potest in *Tract. Eustachii*, Medici Dantiscani de Conf. Alchermes. Imprimis summum commendatur cordiale, quodque valdè conducit in roborandis viribus & refocillandis spiritibus animalibus, *in melancholicis affectibus, in tristitia & mœrore:* usitate præscribitur *in febribus malignis, ubi* est virium imbecillitas: *in lipothymicis reficiendis insigniter* commendatur.

Dosis est à ℈j. ad ʒj. Raro præscribitur in substantia, si assumenda hæc Confectio; sed potius vel permiscetur Electuariis, vel, quod usitatius est, dissolvitur in potiunculis aut Misturis, & ita propinatur. Exemplum potiunculæ, quam ingreditur Confectio alchermes, sit sequens analeptica in febribus malignis.

℞. ▽ *cinnamom. borrag.*
lil. convall. c. v.
cordial. Herc. Sax. frig. ana ʒß.
esf. meliss. ʒj.
confect. alcherm. ʒj ad ʒiß.
syrupi rubi idæi ʒiij.
M. f. Potio. S.

Stärck-Tränckleint auf etliche mahl.

Cæterum his laudibus confectionis alchermes multum detrahunt moderni, à quibus non paucis ceu compositio inepta & ridicula solet perstringi: uti videre potestis in GUIBERTI *Medico officioso pag. 529.* Compositionem videbitis in *Pharmac. Augustana*, ubi habetur correcta à ZWELFERO. Hoc tempore confectio hæc solet præparari Monspelii, quoniam in agro Monspeliensi copiosa crescit Rhamnus infectoria.

ELECTUARIUM DE ALLIO.

Hujus basis sunt capita allii, quæ vocantur ab AUTORE digiti allii. Ingrata est compositio; si tamen examinentur ingredientia, apparebit facilè, quod sit egregia contra colicam & passionem hystericam, propter castoreum, allium, & sperma ceti: quæ vi anticolicâ & antihystericâ, uti & antinephriticâ, egregia sunt remedia; nephriticos enim affectus curat, & sabulum eliminando ac acidum corrigendo curat. AUTOR *noster* simul habet grana juniperi in hoc electuario, quæ mihi in mentem revocant *compositionem PARACELSI* contra affectus catharrhales, quam habet *Tom. V.* ubi observandum, quod ejus compositio non æque succedat, nisi nimia quantitas sacchari addatur, quod tamen *supra rejeci.*

Istud autem Electuarium optime præparatur hoc modo:

℞. *bacc. juniperi contusar.*

Coque probe in ▽: Decoctum inspissatur usque ad consistentiam Rob seu Mellis crassioris: tunc

℞. Rob. ℔ß.
pulv. rad. zingib. ℥ß.
acori veri
macis ana ʒij.
cubebar. ʒj.

& hæc c. s. q. *sacchari* redigantur in consistentiam debitam Electuarii, quod in vitro bene clauso exponatur soli pro ulteriori digestione, & erit optimum Electuarium stomachale, omni vespera post pastum assumendum.

Loco zingiberis crudi quidam addunt Zingiber conditum, sed maximam partem est enervatum; quia radix prius coquitur in aquâ, quæ abjicitur.

Dosi ʒj ad ʒij. egregium est in apepsia & in senibus, qui carent digestione in stomacho.

ELECTUARIUM ANACARDINUM.

Confectio sive *Electuarium anacardinum* ex basi anacardio ita denominata est, vocatur etiam *confectio sapientum*, quia ab Arabibus tanquam cephalicum & ad memoriæ robur conciliandum laudatur imprimis in senibus, & ad perficiendas operationes mentis. Sed compositio est cruda nimis, & propter ingredientia nimis aromatica cautè usurpetur, cum ab usu ejus memoria penitus abolita, & fatuitas reddita fuerit; quin etiam incautè usurpata febriculas accersit & senes labefactat. Conveniens ergo dosis est propinanda, & hæc convenienti subjecto.

ANTIDOTUS MATTHIOLI

Est compositio theriacalis, quæ prostat in *Pharm. Augustana*, vel etiam in aliis *Dispensatoriis.* Usus est in peste, tam præservationis quam curationis gratia, dosi ʒj. Præservationis gratia permiscetur cũ cochleari aceti, & ita hauritur; sive sit acetum simplex, sive florum tunicæ sive acetum Zedoariæ, sive alia aceta bezoardica. In curatione permiscetur cum aqua theriacali & cum spiritu theriacali camphorato, & ita hauritur, expectato sudore.

ELECTVARIVM CAMPHORATVM REGLERI *nro. 5. pag. 182.*

Electuarii hujus tanquam commendatissimi sudoriferi in febribus, aliisque morbis malignis, variæ prostant compositiones: sed mancæ & confusæ AUTOR duplicem habet compositionem, quarum *neutra* est *genuina: Magis legitima sequens* habetur:

℞. *unic. veri* ʒj.
rad. tormentillæ,
dictamni albi
nuc. vomicæ
oss. de corde cervi ana ʒij.
rad. pimpinellæ,
valerianæ
bacc. lauri
sem. erucæ
croci Orient. ana ʒiß.
zingib. ʒij.
camph.
sacch. penidiati vel *candi* (quod omitti potest) ʒj.
℥ *destillati bacc. junip.* ʒij.
Theriacæ Androm. ʒiiß.

Misce-

Misce in mortario lapideo calido ad consistentiam debitam.

Compositio admodum est elegans, cujus *basis est Zingiber & camphora*; ratione quorum dosi ʒj. convenit in morbis malignis pro scopo sudorifero alexipharmaco.

ELECTVARIVM CHALYBEATVM AUGUSTANORUM, AUGENII.

num. 6.

&

ARCVLARII.

num. 7.

Electuaria chalybeata ratione chalybis in malo hypochondriaco, morbis cachecticis, aliisq; affectibus mulierum, & virorum chronicis, egregia sunt. Compositiones pro lubitu & ratione Medici parantur. In Electuariis tamen Augustanorum & Augenii loco crocorum Martis usurpantur Extracta Martialia, seu vitriola Martis liquida, imprimis cum succis vegetabilium, optimè cum succo pomorum Borsdorffianorũ, parata. Hinc Electuarium chalybeatum Arculatii præferrem reliquis, tanquam simplicissimum quoddam, nihilominus elegantissimum & efficacissimum; est enim revera solutio Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum inspissata, hinc convenienter pro corpore aliorum Electuariorum inservire poterit, e. g.

℞. *elect. hujus ♂ialis* s. *Rob. & Extracti ♂ c.*
succo pomor. inspiss. ʒj.
rob. junip. ʒij ad ℥ß.
zingib. in India condit. ʒij vel ʒiij.
cardamomi,
caryophyll. ana ʒj.
croci ℈j..

c. *syr. fumar.* q. s. f. *Electuarium chalybeatum*, quasi *anticachecticum.*

Crocus levis est, multum facit in pondere & potens est remedium; unde respectu reliquorum ℈j. satis est sufficiens.

ELECTVARIVM CORROBORANS SPECIFICVM CROLLII.

num. 8.

Usitatum est pro juvandis vitibus, & iisdem roborandis, tam in juvenibus quam senibus: sed horrenda & plane insulsa est compositio, in qua mista sunt acida cum alcalibus, rotunda cum quadratis, adeoq; penitus in desuetudinem abiit: spiritus enim vitrioli cum Magisterio cranii humani se invicem destruunt; olea succini, cinnamomi & macis cum salibus impossibiliter cohærent. Miror ergo Crollium hujus compositionis Autorem esse, qui alias satis eruditus Chymicus est.

ELECTUARIVM DE CROCO.

nro. 10. pag. 183.

Electuarium de croco constat paucis ingredientibus, sed efficacibus, saltem camphoræ quantitas non nihil augenda est. Potens est sudoriferum alexipharmacum, dosi ʒj vel ʒij in vehiculo aceti, vel simplicis vel destillati usurpandum, ut corrigatur acrimonia volatilis sem. erucæ, atque curando febres malignas egregia Medicina est.

ELECTVARIVM DIACODION.

Electuarium seu potius *syrupus diacodion*, & speciatim *syrupus de siliquis Montani*, egregius est in tussi à lympha acida salsa, indeque nata faucium excoriatione, phlogosi, dolore difficili exspuitione, &c.

ELECTVARIVM HYSTERICVM.

nro. 12. pag. 184.

Quid opus est tanta ingredientium fartagine ac rapsodia, in specie cum dosis sint grana iv. unde quæritur: *quid ex tot ingrediensibus de quovis habeatur in dosi?* Loco hujus ergo *Laudanum hystericum supra insinuatum* sufficit, vel ut delectum faciamus, concentretur Autoris descriptio, ita:

℞. *opii ferment.*
extr. castor. ana ʒß.
zedoar. ʒj.
croci ℈j.
flor. ♀ℹ ℈ij. ad ʒj.
myrrh. el. ʒß.

c. ♏ *destillato succini* f. *Massa*, quæ in forma pilularum sub nomine *laudani antihysterici & anticolici* ad ℈ß vel gr. xij. convenientissime usurpatur vel hac dosi diluitur in vehiculo appropriato.

ELECTVARIVM DE BACCIS LAURI.

Electuarium hoc videbitis in *Pharm. Augustana.* Non amplius in substantia, nisi in clysteribus, pro usu carminativo adhibetur, in quibus dissolvitur pro adultis ab ʒß ad ʒj. nam egregie flatus dispellit & eosdem discutit, & in clysteribus in colica, passione hysterica, & similibus torminibus ventris, solet præ aliis convenire.

MITHRIDATIVM.

Nota est compositio Mithridatii & Theriacæ.

Mithridatium quod attinet nomen obtinet à Mithridate, Rege Ponti, quæ compositio fuit facta ex nucibus juglandibus, ficubus pinguib9, & foliis rutæ. Hæc constituerunt Mithridatium, quo se præservavit Rex Ponti, MITHRIDATES, contra omnia venena, etiam clanculum illi propinata. Ab hac compositione simplicissima, facta est illa laboriosissima Officinarũ. Est hæc mistura salino volatilis oleosa, anodyna & sudorifera; unde magnam habet convenientiam cum Theriaca, nisi quod ingredientia sint penetrantiora & calidiora. Ergo necessum est, ut in ejus usu simus cautiores, quam in usu Theriacæ. Equidem incondita est fartago in ingredientibus Mithridatii; unde etiam ZWELFERVS *in suis Animadvers.* & POTERIVS *in Pharm. Spagyr. chymicam Mithridatii correctionem laudabili conatu instituerunt.* Alias in peste, aliisque febribus malignis, solet usurpari, imprimis in affectibus stomachi & intestinorum, diarrhœa, vomitu, choleta, & dysenteria, similibusque morbis convenit; quia ratione opii admisti spirituum influentium impetum sistit, & propter ingredientia aromatica & gummata sudores movet. Hisce accedit mel, quod fermentativâ turgescentiâ non saltem corrigit suo modo opium, sed etiam cæterorum ingredientium particulæ oleosæ & resinosæ dissolutæ, hincque penetrantiores, magisq; activæ evadunt. Pro quibus scopis similiter obtinendis, facilè concinnior compositio potest effingi. Præscribitur interdum in forma boli ad ʒj. interdum permiscetur cum quibusdam conservis in formam Electuarii; interdum dissolvitur in liquoribus appropriatis ut fiat Potus aut Mistura.

ELECTVARIVM ORVIETANVM.

nro. 13.

Electuarium hoc ab Orvieto, urbe Italiæ, ita dictum est, quia ibi primo fuit præparatum, & à Medicis inventum, quibus in magno fuit usu contra pestem & febres malignas. Sunt qui hoc, si non præferunt, tamen æquiparant Theriacæ Andromachi; & verum est, quod ingredientia sint pauciora, & magis selecta, quam Theriacæ. Credo interim, quod Theriacæ eadem efficacia futura sit, quam hujus Electuarii.

ELECTVARIVM NVCVM.

nro. 14.

Electuarium nucum aliter vocatur *Antidotus Mithridatii*: & est remedium idem, de *quo supra*, quo se præservavit à venenis, & præparatur ex ficubus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1045-8 DFG

ruta, & nucibus; hinc etiam contra phthisin prodest. Inter alexipharmaca alias refertur: sed prostant remedia elegantiora & tutiora.

ELECTVARIVM DE OVO

Electuarium de ovo Gülden-Ey / ita dicitur, quoniam ingrediuntur ova dura, & quoniam compingitur in formam ovorum deauratorum. Compositio est theriacalis; unde commendatur in morbis malignis & pestilentialibus. Verum *est* medicamentum *admodum acre, & propter croci copiam stupefactivum sudoriferum, adeoque rari usus.* Nam, ut hoc obiter moneam:

1. Hujusmodi Electuaria theriacalia constant ex farragine multorum simplicium ingredientium, sæpius sibi invicem contrariorum.
2. Ingredientia sunt sæpe aromata, volatili sale admodum impræguata.
3. Excipiuntur melle, succo admodum fermentativo.

Nam propter has tres rationes cautus ejus usus sit, in morbis malignis cum febribus malignis ardentibus, ubi sunt ebullitiones, deliria, incandescentia, & phlogoses corporis. Ne ergo hujusmodi ebullitiones aliaque symptomata immoderato horum usu intendantur, sunt qui suadent, quod nunquam debeant usurpari sine acido. Ulterius habetur in iis opium, quod agnoscitur pro eorum basi: de quo vid. *Methodus Medendi* WALÆI. Ergò non propinanda sunt iis, quibus nocere possunt opiata, imprimis gravidis. Istud, quod dixi de acido probè est observandum; quoniam acidum effervescentiam & ebullitionem compescit, & opium corrigit; quod non omittendum est, si medicus velit consulere suis ægris.

Correctiorem Electuarii de ovo compositionem concinnavit CNOEFELIUS, quam videb. *in M.A.N.C. Ann. 6. Append. pag. 29.*

PHILONIVM MESUÆ PERSICUM, ROMANUM, & THARSENSE.

Hæc omnia *Philonia* pro basi agnoscunt opium, uti & partim semen papaveris, partim semen hyoscyami, & à veteribus dosi ʒß. ad ʒiß. fuerunt usurpata, ubi nos laudanum opiatum. Et quidem *Philonium Persicum* tantum est in usu, & reliquis præfertur. Adhibitum fuit à veteribus in vigiliis nimiis, in doloribus partium, imprimis capitis, item in deliriis & similibus. Præterea internè propinatur in hæmorrhagiis quarumcunque partium, in quibus, ceu ad ultimum asylum, confugiunt ad Philonium. Exemplum curatæ hæmorrhagiæ à Philonio Persico videb. in *VALLERIOLÆ lib. 4. Observ. 6.* Rari hodie Philonia sunt usus, cum talium loco concinna ex opio parato, aut ipsum laudanum opiatum à gr. j. ad ij. sufficiant. Interim componendi eorum rationem ex opio & acribus aromatib. explicatam, videb. à WILLISIO *Pharm. Rat. Vol. 1. Sect. 7. cap. 3.*

ELECTVARIVM CONTRA PHTHISIN,

num. 15. pag. 185.

Omnia ejus Ingredientia huc collimant, ut temperent & demulceant acrimoniam seri & lymphæ, qua alias corroduntur pulmones.

ELECTVARIVM REGUM,

nro. 16.

Vi analeptica convenit propter basin ambræ & Moschi.

ELECTVARIVM DIASATYRII.

Ad ciendam Venerem usurpatur; cujus descriptio prostat *in Pharm. Augustana.* Pertinet huc *Electuarium ad coitum Comitis à VVALLENSTEIN*, cujus compositio hæc est:

℞. *sem. erucæ,*
urticæ,
satureja, ana ʒj.
cerebri columb. & passer. in coitu.
transfoss.
priapi cervi in coitu occis.
tauri ana ʒij.
scinci mar. ʒiß.
ambræ gris. ʒj.
moschi ℈j.
c. s. q. *Mellis despum. f. Electuarium.*

Dosis est quantitas nucis juglandis, mane & vesperi.

ELECTVARIVM SCORBVTICVM.

nro. 18.

Compositio est elegans antiscorbutica, & valde conveniens in scorbuto; potest tamen adhuc intendi, si vel addatur Electuarium chalybeatum Arcularii, vel crocus Martis aperitivus, aut Extractum aliquod aperitivum. Usurpatur magnitudine nucis juglandis quo tempore semper adspergendum aliquot guttulis spiritus cochleariæ, ut potentius operetur.

ELECTVARIVM DIASCORDII FRACASTORII.

Compositum est ex sudoriferis alexipharmacis adstringentibus, atque paucis aromaticis, cujus basin constituit opium, atque propterea egregium est in febribus aliisque morbis malignis, & pestilentialibus, cum fluxu imprimis humorum quorumcunque colliquativo, vel hæmorrhagiis quibuscunque & similibus symptomatis conjunctis non secus ac in diarrhœis, dysenteriisque malignis: sicut ego in nuperrima dysenteria epidemica maligna grassante felicem ejus usum sæpius expertus sum, & commodè potest propinari *in iis locis & conditionibus*, ubi theriaca & Mithridatium non sine periculo aut sine metu noxæ potest propinari. Alias maximè afficit præpostera fluxus sedatio, quando malignitas adhuc inhæret corpori, unde oriuntur deliria & postmodũ mors; unde scio, quod nuperrime quidam ex tali immatura adstrictione alvi incideit in febrem ardentem lethalem. Electuarium ergo hoc diascordii sit instar regulæ curandi omnes fluxiones. Dosis est ʒj. Modus utendi est, ut in febribus cum succo citri, aceto destillato, vel aliis appropriatis usurpetur, addito antimonio diaphoretico: e. g.

℞. ♁ *rad. scorzon.* ʒij.
tenell. C.C. ʒj.
✠ *vini simpl.* vel *destill.* vel *succi citri*, ℥vj.
elect. diascord. Frac. ʒij.
ʒii diaphor. ʒß.
syr. rubi idæi ℥iß.
M. f. Potio pro tribus dosibus.

Quæ in diarrhœa dysenteria, hæmorrhagiis, febribus malignis, &c. frequentis usus & evpotiston est; pellit enim sudorem, & per sudorem malignitatem, & adstringendo sistit fluxus, quod non nocet, quoniam jam malignitas per sudorem est expulsa.

Præscribitur etiam sub forma boli; vel dissolvitur in julepis, aut etiam potu. Equidem *FRACASTORIVS* & alii dicunt; compositionem diascordii tutiorem esse in gravidis Theriaca, quæ tamen etiam in gravidis, nec non in pueris, adhiberi potest: sed rudis est electuarii diascordii compositio, unde correctiorem chymicam compositionem vid. *in Sylvii PRAXI lib. 1. cap. ultimo.*

Sequuntur Theriacæ, inter quas

THERIACA ANDROMACHI.

Seu *Veneta* palmam obtinet, Ita dicta ἀπὸ τοῦ θηρίου, quod

quod viperam, item deleterium venenum significat, quibus ceu appropriatum alexipharmacum Thèriaca fuerit opposita. Suos natales habuit sub *Imperatore* NERONE, sub quo vixit *ANDROMACHVS* Græcus, *NERONIS* Medicus. Corrasit & congessit illuc, quicquid potuit, & ipsi unquam de simplicibus notum fuit. *GALENVS* tamen, qui tempore *ANTONINI* vixit, eandem adhuc auxit & ulterius quædam addidit, unde adhuc dum usitata fuit. Veruntamen à plurimis lacerata & discepta fuit: vel (1) quia multa sunt nullius usus in hac compositione, v. g. agaricus, æs ustum, &c. vel (2) quia plurima veteribus illic usitata nobis desunt, ut opo balsamum verum, quo nunc temporis destituimur; unde succedanea, loco opobalsami v. g. oleum cinnamomi, substituuntur. Et sic partim manca, in aliâ formâ etiam redacta, reperitur: vid. ZWELFERUS *in Pharm. Regia.*

Dubium ergo est: *an apud nos dispensari queat cum genuina Italorum deficiant viperæ*; siquidem Trochisci viperini à quibusdam absque ratione basis Theriaces æstimantur. Sed cum Trochisci viperini revera parum valeant, ac parum de viperis iis insit, de quo vid. *ZVVELFERVS Animadvers. ubi de Trochiscis viperinis*: Propterea longè meliori consilio à Norimbergensibus pulvis viperarum legitime præparatus, vel serpentes nostri præparati, sive eorundem pulveres ad imitationem pulverum viperinorum aut Bezoardicorum animalium usurpantur, & iisdem substituuntur. *De basi* ergo *Theriacæ valde discrepant Autores*, & meretur hic ut legatur ZWELFERUS: ab aliis chalcitis habetur pro basi. *Basis* autem *genuina est opium*, cujus gr. ij. ingrediuntur Theriacæ ʒj. Unde differentia oritur inter Theriacam veterem & recentem: ratione enim opii Theriaca vetus minus anodyna seu narcotica, adeoque magis sudorifera, magis calida, & in vi opiata per fermentationem correcta magis temperata; recens econtrà magis crudior & narcotica, propter opium non ita correctum, observatur. Totum interim compositum est aromatico-opiatum. Quando ergo opus est opio, præscribitur recens theriaca; quando vero alexipharmacum postulamus, præscribimus Theriacum veterem, & quidem in majori dosi; unde etiam Theriaca recens est utilis ad omnes usus illos, ad quos alias solet commendari opium. Hinc quidam dubitarunt: *an infantibus tuto adhiberi possit Theriaca, Mithridatium*? quod affirmatur: Nempe loco opiatorum commodissime infantum remediis tantillum Theriacæ admiscetur. Incondita quidem est farrago in ingredientibus Theriaces & Mithridatii, aliarumque similium compositionum, v. g. in Electuario Orvietano, Diascordii Fracastorii, & similibus; unde etiam plures corrigere, ac correctiorem, simulque efficaciorem compositionem & præparationem suggerere laudabili conatu instituerunt. Sic præter ea, quæ habet *ZVVELFERVS* prolixè satis *in suis Animadvers.* chymicam Theriacæ correctionem videb. in *POTERII Pharm. Spag.* item CNOEFELII *correctionem*, correctarum theriacalium compositionem *CNOEFELII* descriptiones videb. in M. A. N. C. Anni 6. & 7. Append. pag. 31. & seqq. quo etiam pertinet *methodus STLVII corrigendi el. diascordii Fracastorii*, quæ vid. *in Pr. lib. 1. cap. ult.* ad cujus imitationem comode & aliæ compositiones theriacales reformari poterunt.

Pro imitanda ergo in succinctiore & selectiore forma theriacæ veterum observetur, quod theriaca illa (par ratio est Mithridatii el. diascordii Fracastorii, Orvietani) duplici modo & scopo operationem suam perfecerit:

1. Spirituum influentium vim sistendo,
2. Sudores movendo.

Prius obtinet ab admisto opio; posterius ab ingredientibus, primario aromaticis, amaricantibus & gummatibus. Hisce accedit mel, quod fermentativa turgescentia non saltem corrigit suo modo opium; sed etiam ingredientium reliquorum particulæ oleosæ & resinosæ dissolutæ, hincque penetrantiores & magis activæ evadunt.

Pro quibus scopis similiter obtinendis facile concinnior compositio effingi potest. Est scilicet theriaca mistura salino volatilis oleosa, anodyna & sudorifera: unde v. g. spiritus C.C. suo sale volatili probe acuatus, nec in totum ab oleo suo liberatus, cum opio ejusve essentia sociatus in larga dosi tantum præstabit, quantum theriaca sub larga sui compositione. Quod si itaque succinctiorem, sed selectam theriaces compositionem velimus instituere tunc ad imitationem *LVDOVICI in Pharm. pag.* 271. *& seqq.* posset fieri *compositio theriacalis*:

℞. *pulv.* aut potius *extracti rad. Angel.*
torment. ana ʒiß.
gentiana,
zedoar. ana ʒj.
serpent. rite parat. ℥iij.
☿ æ sigillatæ ʒij.
myrrhæ el.
fl. ♃is ana ℥j.
cinnam. ʒß.
croci ʒiij.
caryophyll. ʒij.
opii in ✕, vel *succo citri soluti & inspiss.* ℥iij. ad ℥ß.

cum triplo *mellis & rob junip.* ana part. æqual. subigantur probè, & debitam in consistentiam redigantur, exacte terendo & agitando, hinc ad perfectam fermentationem seponendo

Dosis ʒj ad ʒij;

Conferatur hic aliquo modo Theriaca Germanorũ vid. HORSTIUS *in Disp. pag.* 319. Addi possunt sub mistionis actu dictæ compositioni olea destillata bacc. junip. & citri à ʒj ad ℥iß, vel dum usurpatur, guttæ aliquot instillentur. Propinari potest vel in aceto, vel in conserva citri, & præterea usus tempore addi potest. Ubi opus est, ut cieatur sudor, simpliciter convenit theriaca; tantas tamen vires, quas adscribunt veteres, nullo modo obtinet, cum hic antimonium diaphoreticum & Bezoardicum minerale similiaque propinentur longe utilius, e.g.

℞. *☉ij diaphor.* aut *Bez. miner.* ℈j.
camph. gr. iij. vel iv. M.

Ac sane dictis modis multæ veterum compositiones corrigi & concinniori usui adaptari poterunt. Scilicet occasio tot compositionum theriacalium, & ex compositis quingentarum decompositionum, fuit,

1. Ignorantia venenorum, tam distinctorum, eorumque læsionis modi; quibus universale quoddam alexipharmacum opponere fuit animus.
2. Non perspecta satis natura & efficacia simplicium, aut ex illis resultantium compositionum.

Hinc quicquid in morbo maligno, venenoso, aliave simili calamitate aliquando profuisse observatũ fuit, sive per se, sive per accidens profuerit, hoc omne, licet etiã vulgi saltẽ fama increbuerit, in theriaces corpus covasatũ fuit. Eædem penitꝰ causæ postmodũ & 1000 varietates, novasque compositiones induxerunt, quoties novũ quoddam simplex cognitũ, aut nõnihil

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1047-0 DFG

approbatum inventum fuit, mox nova emersit compositio, ut plurimum tamen de Theriaca simul addita, plus minus participans.

Sed ut revertar ad usitatiorem Andromachi Theriacam, hujus usus est imprimis in morbis febribusq; malignis, plus minus pestilentialibus, morsu canis rabidi, &c. præservative, uti & curativè in vehiculo aceti; idque imprimis, ubi æstus intensior, aut graviora capitis symptomata urgent; idque tam in forma sicca, quam in forma humida, addito sale absinthii, antimonio diaphoretico, vel Bezoardico minerali, aliove simili: v. g.

℞. *Theriacæ Androm.* ʒj.
Salis absinth. ℈j. ad ʒß.

Mista capiantur in haustu vini aciduli, vel cochleari aceti; potentissimè sudorem movet.

Vel

℞. *Theriacæ* ʒj.
Salis diaph. ℈j.
M. f. *Bolus.*

Usurpetur simili ratione.

In forma liquida:

℞. *Aq. flor. samb.* ℥ij.
Succi sambuci ʒiij ad ℥ß.
Theriacæ Androm. ʒij.
Salis diaphor. ʒß ad ℈ij.
Camphoræ gr. iv.
Syr. card. bened. ʒij.
M. pro duabus dosibus.

Potentissime sudores movet.

Observetur probe: quod Theriaca non sit propinanda die critico, quoniam ratione opii naturæ cursum impedit.

Præterea in quibusvis symptomatibus, indeque natis doloribus, egregia est Theriaca propter opium, quod basin theriaces vocat WALÆUS *Tr. de Methodo Medendi* utpote sine quo ne sudoriferam vim obtineat Theriaca; hinc in vomitu, diarrhœa, cholera quacunq; hypercathartsi, cardialgia, colica, hysterica passione, non secus ac aliis quamplurimis ventriculi primarumque viarum affectibus, à causa frigida & mucilagine acida obortis, Theriaca ad ʒj unum ex familiarissimis & optimis est remedium, modo tamen alvus sit aperta: temperat & destruit acidum dolorē sistit, & vi sudorifera morbum curat. In affectibus stomachi & intestinorum acidis, & inde in anorexia, appetitu depravato seu pica, &c. Theriaca revera evporiston est remedium in vino assumpta. Sic & in hæmorrhagiis quibuscunque propter opium commendatur. In febribus pariter intermittentibus curandis, imprimis quartana, præmissis præmittendis egregia admodum est ante paroxysmum in aceto destillato usurpata: Nam ratione opii rigores tollit, miasmata febrilia expellit, ac paroxysmos sufflaminat. Infantibus quoq; feliciter propinatur gr. j. pro dosi, ubi tormina habent, & agrypnia vexantur, Si lac à vitioso acido coagulatur, Theriaca in ipso lacte si propinetur remedium erit optimum.

De cætero biliosioris qui sunt constitutionis, ut vocant, seu calidiores aridiores minusque succulenti, talibus frequentior Theriacæ usus nocivus est, ad atrophiam aut hecticam, propter nimiam caliditatem aromaticam, disponens: unde recte MAJOR *de Chirurg. Infus.* dicit: quod *Theriaca illegitimo usu accessit in venenum.* Magis econtra convenit pituitosis & phlegmaticis quorum morbos corrigit, & iis potenter auxiliatur. Et hæc de Mithridatio quoque intelligantur. Interim tamen cum hæ compositiones omnibus affectibus, imprimis in principio & incremento febrium malignarum, in quibus est ingens sanguinis ebullitio, non æq; conveniant hinc earū loco Elect. diascordii Fracastorii, propter vim constrictivam & sanguinis effervescentiam sedativam, longe tutius adhibetur.

Externè in amissa loquela cum Theriaca si fricetur lingua & palatum, imprimis si adspergatur cum spiritu cerasorum nigrorum, cum oleo destillato anisi & similibus, expertum est remedium. Si inungatur ventriculo, sistit vomitus & choleram; si illinatur umbilico, sistit tormina, diarrhœas & hypercatharses.

THERIACA DIATESSARON.

Theriaca diatessaron ita dicitur, quoniam ex quatuor ingredientibus, gentiana bacc. lauri, myrrha, & aristolochia rotunda componitur. Describitur à MESUE, & reperitur in *Pharm. Augustana.* Erit ejusdem & forsan melioris præsentaneique usus, quam ingens compositio Theriacæ & Mithridatii, modo opium sociatum sit, ut granum ejus integrum dosin ordinariam ingrediatur; & in majori copia præparetur, quo mellis motus fermentativus intendatur. Natura enim opii est, ut excretiones omnes sistat, præter sudorem. Dosis est ʒj.

ELECTUARIA PURGANTIA.

Electuaria purgantia Veterum interne non amplius sunt in usu apud nos, quoniam sunt nauseabunda, adeoque non sine horrore possunt assumi, utut Galli & Itali internum usum adhuc retineant, sub forma boli ab ℥ß eorum ad ʒvj. vel ℥j. imo ad ℥ij. nauseantibus ægris obtrudentes, propter quos AUTOR etiam apposuit dosin. Nos vero si volumus tale quid præscribere, præscribimus bolos purgantes, qui in minori dosi possunt assumi; de quibus *in Collegio Formularum*; aut utimur pilulis usualibus. In potionibus nunquam aut ratissimè præscribuntur; saltim in clysteribus dissolvuntur & quidem pro stimulo, in quem finem Electuarium lenitivum Florenzolæ, & Electuarium benedictum laxativum item de Hiera cum à garico, ad ℥j instar omnium pro stimulo clysmatum sufficiunt:

In specie

ELECTVARIVM HIERÆ PICRÆ GALENI SIMPLEX.

Dissolvitur in clysteribus cum agarico ab ℥j ad ℥iß, ubi acribus stimulare volumus alvum in apoplexia & epilepsia.

TRYPHERA PERSICA.

adhibetur in clysteribus ad ℥j in febribus petechialibus, pestilentialibus, delitiis, &c.

ELECTVARIVM DIASARI FERNELII

Pro scopo vomitorio quibusdam in usu est, cujusq; dosis est ad summum ℥j, & satis efficax est. Postquam vero antimonialia innotuere, non opus habemus hoc Electuario.

ELECTVARIVM ANTIMONIALE CROLLII

Ob ingredientia antimonialia præferendū præcedenti.

ELECTVARIVM BENEDICTVM LAXATIVUM

Est usitatum ingrediens pro clysteribus, acidum intestinorū detergentibus ad ℥j. Adhibetur in colica, alvi obstructione, fæcibus induratis, & similibus aliis.

ELECTVARIVM DIACARTHAMI.

Præscribitur in clysteribus, ubi opus est stimulo, & quidem ubi opus est, ut evacuetur pituita, crassa aut viscida intestinorum. In clysteribus potest adhiberi ad ℥iß, sicuti in substantia tantum ad ʒvj.

ELECTVARIVM SEV CONFECTIO HAMECH MAJOR

Veteribus in scabie, melancholica hypochondriaca, mania, aliisque affectibus melancholicis, nec non lue venerea, in usu fuit; sed apud nos non amplius usurpatur, utut alias Itali cum nausea propinent ægris.

ELECTV-

ELECTVARIVM HIERÆ COMPOSITVM.

Ingreditur clysteres stimulantes; & quidem ubi opus est, ut fortiter è remotioribus partibus evacuetur in paralysi, tremore & similibus affectibus, item propter castoreum, quod ingreditur, est egregium in affectibus cephalicis, in apoplexia, epilepsia, lethargo & cephalalgiis, item in passione hysterica graviori, mensibus suppressis & similibus mulierum affectibus usurpatur.

Ad Electuaria laxativa pertinent etiam.

PASSVLÆ LAXATIVÆ.

Harum aliquot compositiones dedi, ubi de passulis. Interne commodè possunt assumi.

Pertinet huc Purgans Mindereri cujus gran. j. solet eleganter purgare:

℞. *succi rec. expr. elleb. nigri* ℥iß.
cucurb. asin. ℥ij.
violar. ℥j.
julor. sambuci ℥iij.
rad. bryon. ℥ß.

Mista & filtrata indantur cucurbitæ cum alembico & parvo recipiente, digerantur in fimo equino per sex septimanas: sic enim humiditas destillatur sponte, quam massæ remanenti affunde, solve & filtra, adde:

vini Malvat. ℥ij.
℘ *Macis* ℈ß.

evapora ad consistentiam massæ; cujus dosis gran. j. cum conveniente vehiculo 6. vel 8. movebit sedes.

CAPUT LII.
DE
ELIXYRIIS.

E*Lixyria* hoc capite ab AUTORE considerata, cognata sunt Essentiis & Extractis: Nempe Elixyria nihil aliud sunt, nisi Essentiæ magis compositæ & re ipsa conveniunt, non nisi accidentario, & promiscua appellandi ratione differunt, dũ Essentiæ communiter dicuntur Extractiones liquidæ unius vel plurium subjectorum, & Extracta κατ' ἐξοχὴν, à quibus menstruum ad rob seu pilularum consistentiam abstractum. Ut plurimum ex variis ingredientibus aromaticis mediante spiritu vini vel alio liquore spirituoso composito pro intentionis ratione diversis encheirisibus, ut patet ex AUTORE, in quibus & præterea liquida dissolvuntur non nulla ad augmentandas vires medicamenti: vid. M. A. N. C. *Anno 6. & 7. Append. pag.* 100.

Vox est origine Arabica, cujus derivationem ministrat D. LANGIVS *in Dissert. de Elix. Proprietatis.*

AUTOR recenset seqv. famosiores & officinales, quales sunt Elixir citri, Elixir menthæ, febrile MYNSICHTI, camphoræ, proprietatis, &c.

ELIXYR ALLIATVM.

nro. 1.

Elixyr alliatum paratur ex duobus egregiis antipestilentialibus, ex camphora, & ex capitibus alliorum, abstrahendo per alembicum. Maximi facio: certus enim sum, hoc si rite camphora impregnetur, nobile esse antipestilentiale in præservatione & cura morborum malignorum, ubi summa urget malignitas, & quidem sine magno calore. In præservatione tamen pestis & pestilentialium morborum huic Elixyri debet addi s.q. aceti, vel ana vel duplum & ita ceu acetum bezoardicum potest assumi. Talia enim volatilia & calidiora contra AUTOREM nunquam solent præservare à peste, potius in ipsis peste correptis testante experientia ubi talia prætervationis loco fuerunt adhibita, subsecuta sunt gravia & periculosissima deliria; cum acida econtrà utramq; faciant paginam. Præterea etiam est egregium remedium carminativum, anticolicum & antihystericum, præviis clysmatibus valdè proficuum. Præter dictas vires multum etiam convenit in calculo præservando, imprimis si originem ducat ex acido coagulante: convenit etiam in pellendis lumbricis & vermibus, tam in intestinis quam aliis locis stabulantibus.

In præparatione aliàs hujusmodi elixyrium observetur: quod, quando virtus medicamenti in extractionibus destillando potest transcendere alembicum, tunc præter digestionem nuda, n etiam fiat destillatio; sin verò periculum sit, ne magna Essentiæ pars, aut melius ejusdem Extractum, remaneat in fundo, tunc per nudam Extractionem & digestionem sine destillatione parantur Essentiæ & Elixyria. Jam verò notum est, quod ex allio partes volatiles extractæ facilè adscendant per alembicum: ergo optime paratur per destillationem.

ELIXYR CITRI.

num. 2.

Compositio hæc est legitima, modo succi citri pro ratione ægri plus minus addatur, ut fiat acidulum nec inelegans Elixyr citri erit, si spiritus vini semel à corticibus abstractus denuo novis corticibus affundatur, & digerantur, & post filtrationem cum succo citri misceatur. Usus est analepticus in febribus malignis, & in summa imbecillitate virium, & quando ægri post nimium sudorem nimis prostrati sunt viribus; potenter enim restaurat: conducit valdopere stomacho, cujus tonum laxatum corrigit, ejusque apepsiam emendat. In colica similiter valde convenit, quoniam potenter flatus discutit, & in genere, quæ superiùs dicta sunt, de citro possunt dici de hoc *Elixyri.*

Dosis est *cochlear* ß pro varietate præparationum:

Ad hunc Elixyris citri modum etiam à quibusdam solet præparari.

ELIXYR MENTHÆ.

Fit scilicet hoc per spiritum ex mentha paratum, qui postmodum herbæ menthæ exsiccatæ denuo affunditur; sic enim in digestione viridem acquirit colorem: post separationem per filtrum parum edulcoratur pro gratia saporis, & fit elegans medicamentum stomachicum; imprimis si addatur aliquantulum spiritus vitrioli philosophici. Dico aliquantulum: ut scilicet parũ aut nullo modo percipiatur ejusdẽ sapor.

Paratur etiam à D. MICHAELIS *Elixyr stomachale* aliud ex simplicibus medicamentis aromaticis stomachicis cũ spiritu menthæ, acidulato cum spiritu vitrioli Philosophico, & postmodũ dissolvitur in eodem Extractum stomachale, seu succi expressi & inspissati ex simplicibus stomachicis & aromatibus in tantum quantum capere potest.

Similibus Elixyriis commodè potest addi opium, & similia opiata ad conciliandam virtutem anodynã sedativam dolorum & spirituum: sic præparavit D. MICHAELIS *Elixyr diureticum anodynum*, quod prolicit urinam, & dolorem compescit: Sic habemus *Essentiam anodynam*, in qua speciebus per spiritum theriacalem extractis additur opium, & habetur egregium Elixyr in malignis, in agrypnia, & similibus opio indigentibus.

ELIXYR CAMPHORÆ

num. 3. *pag.* 188.

Elixyr camphora seu ut aliàs dicitur, *spiritus vini camphoratus Hartmanni* optime fit, si *spiritus vini rectificatissimus* acuatur cum *spiritu salis ammoniaci*. Scilicet ut simul destillentur; sic enim promptè solvitur cãphora quam spiritus vini secum rapit per alembicum. Est nobile remedium curativum & præservativum in peste, morbisque malignis & quam plurimis aliis affectibus, potenter movendo sudorẽ. In præservatione comoda permiscetur cum liquore acido. Præter

Præter hoc, quod movet sudorem interno usu, externe usurpatur in Erysipelate, & arthritide calida, conjuncta cum tumore erysipelateo, vel solus vel mistus sale ammoniaco, vel spiritu salis ammoniaci, si scilicet admoveatur cum linteis calidis; discutit enim tumorem, & una omnem dissolvit tumorem. In gangræna & incipiente sphacelo partium externarum, ulceribusque putridis gangrænam minantibus, est egregius pariter, sive externè cum linteis duplicatis admoveatur pro fotu; facile etiam partes non penitus emortuas resuscitat, & mòdò sit à causa externa, gangrænam tuto solet amovere. In Cephalalgia febrium malignarum seu continuarum spiritus vini camphoratus crocatus circumligatus fronti, epithema optimum est; item in cholera externè stomacho applicatum. Quod si loco spiritus vini capiatur spiritus theriacalis, & combinetur hic cum camphora, erit remedium eò potentius & præstantius: Item tempore hyberno, si gelu constringit & labefactat membra, præsens remedium adfert hoc Elixyr.

ELIXYR HYSTERICUM & ANTIEPILEPTICUM

nro. 4.

Hic moneo: quod menstruum pro extractione sit spiritus sanguinis humani, & spiritus vitrioli volatilis. Si ergo spiritus vitrioli recte paratus sit, coit in salsum tertium volatile: Verum, si vulgari modo acidus est, destruit dicta salia urinosa; & sic minus conveniens fit Elixyr. Compendiosiorem & concinniorem præparationem docet HOFFMANNUS *Clave lib. 2. cap. 52. pag. 67.* Nempe spiritus vitrioli antiepilepticus Hartmanni commodè sumi potest, & speciebus affundi, digerendo & extrahendo procedi ulterius. Longe melius & convenientius est BILLICHII ELIXYR CEPHALICVM ET EPILEPTICVM recipiendo *castoreum*, *myrrham*, & affundendo *spiritum salis ammoniaci vinosum*, seu *spiritum destillatum è calce vivâ*, *sale ammoniaco*, & *tantillo succini*, cum spiritu vini prodit spiritus volatilis oleosus, qui elicit *essentiam antihystericam & antiepilepticam.*

ELIXYR EPILEPTICUM D.D. FREYEN.

nro. 5.

Præstat hujus loco simpliciter liquorem C.C. succinatum adhibere; vel ad hujus imitationem ex sale volatili cranii humani & succini cum spiritu sanguinis vel cranii humani liquor talis epilepticus: spiritus nempe sanguinis vel cranii humani succinatus, concinnati potest, si scilicet adhuc specialis statuenda est differentia salium, & spirituum horum volatilium.

ELIYYR EPILEPTICUM CROLLII.

nro. 6.

Præparatio non est adeo commoda, propterea melius est si recipiatur spiritus vitrioli volatilis, uti illum exhibet AUTOR vel uti superius præparationem suppeditavi, & misceatur cum spiritu sanguinis humani, aut etiam cum spiritu cranii humani; quæ mistura tunc acquirit colorem viridem, & valde convenit in cura Epilepsiæ cujuscunque.

ELIXYR ANTIEPILEPTICUM CRATONIS.

nro 7. pag. 189.

Observandum: tria hæc calcinata, cineres nempe turturis, cornicis, & cranium humanum calcinatum, beneficio spiritus vini nil suggerere. Per grana vero tiliæ quid intelligat AUTOR multi dubitant: Ego certe hæc grana tiliæ è Ricino majori esse credo.

ELIXYR PESTILENTIALE.

nro. 8.

Elixyr pestilentiale Crollii in magno solet esse usu, in curandis pestilentialibus & similibus morbis contagiosis. Pro præservatione datur à ℈j ad ℈ij. si oleum camphoræ, aut etiam oleum citri addatur, erit eo præstantius. Elegans *Elixyr pestilentiale*, tam curativum quam præservativum; describit BARTHOLINVS *Cent. 2. Epist.* 44. ex compositione Dni D. JOELIS LANGELOTTI.

ELIXYR PROPRIETATIS.

nro. 10.

Sequitur decantatum istud *Elixyr proprietatis*, uti vocant, de quo elegantissimam scripsit *Disputationem B. Doctor* LANGIVS. Hic observandum: quod Elixyr sit vox, ut dictum Arabica, & nihil aliud notet, quam Essentiam seu vim substantiæ extractam. Duplex autem ejus vocis acceptio est: Jubetur enim

1. *Elixyr Vniversale*; &
2. *Particulare.*

Sub nomine *Elixyris Vniversalis* intelligitur Elixyr Philosophorum, seu lapis Philosophorum, per quem omnia metalla ignobiliora in aurum transmutantur, & totum corpus humanum restauratur. Ad hujus similitudinem particularia dicuntur, quæ vel tingunt particulariter quædam metalla, vel vi balsamica corpus nostrum conservant. Ex his in specie Elixyr Proprietatis in usu est, polychrestum & decantatissimum remedium. *Prima* hujus origo debetur PARACELSO, qui in *Arch. l. 8. de Elixyriis* suum Elixyr Proprietatis valdopere commendat ad quam plurimos usus, & ita describit:

℞. *aloes exotic.*
myrrhæ.
croci, ana vel Vierling.

Laß in Pelican ascendiren mit ℞. auf das mildeste 2. Monath/ sic resolvuntur successivè mista in formam olei volatilis; darnach separire per Alembicum herüber das oleum von fæcibus sine adustione, und das oleum digerire einen Monath mit *circulato Magno* in gleichen Gewicht/ darnach behalte es.

Descriptio hæc pluribus nauseam movit præsertim cum, quoad Circulatum, discrepent AUTORES. Clavem suggerit HELMONT *in suis scriptis* hinc inde, qui PARACELSUM mediante suo menstruo universali seu liquore Alcahest hoc ipsum Elixyr præparasse asserit; adeo ut nullum sit dubium, quin propter radicalem solutionem ingredientium Elixyr Paracelsi longe præferendum sit Elixyr nostro communi.

Verum cum liquoris Alcahest possessio non nisi adeptis concessa sit, propterea multi negant, hoc Elixyr parari posse, nisi habeatur Alcahest. HELMONTIVS tamen medium hoc præparandi Elixyr viam, ex vestigiis PARACELSI desumptam, suggerit *Tr. Qua sequuntur sunt liquida aut imperfecta*; Ibi scilicet ex iisdem ingredientibus mediante digestione & circulatione acquirit *Elixyr album*, quod nihil aliud est, quam oleum trium illarum specierum, phlegmate suo commixtum, cui HELMONT multa tribuit, & præterea ceu succedaneum PARACELSI substituit. Epcheirises ejus præscribit HELMONTIVS, pro quarum illustratione observandum: totius rei cardinem in hoc consistere, ut ignis exactissimè per integrum mensem, vel etiam per duos menses regatur, idque speciatim in balneo vaporoso, ut nempe cum calore blandissimo digerantur, ita ut semper æqualis maneat: nisi enim hoc exactissimè observetur, & ubi vel leviter excedamus in gradu, aut ignis sit nimius, alembicus frangi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1050-5 DFG

frangitur, & omnia contenta pereunt; sin vero calor nimis exilis fuerit, frustra laborabimus. Hoc observato; donec species per se in picem confluant, & liquor oleosus in lateribus vasis se conspiciendum præbeat, species eximantur ne comburantur à calore fortiori: quo facto cum *aqua cinnamomi spirituosa* per mensem adhuc circulantur, sic demum destillantur, & elicitur oleum volatilisatum. Parum quidem subministrat hæc præparatio cum ℥ij. ingredientium vix 50. vel 60. guttas suggerant.

Utut pauca sint ingredientia, magna tamen & capacia requiruntur vasa, ut spiritus rectè circulari queant, quia alias sub circulatione vitra franguntur. Conf. HELMONTIUS Tr. *Arbor vitæ.*

Dosis est à gutta j ad ij vel iij, & plus faciunt quam nostrates guttæ xx.

Cum itaque paucis concessum fuerit adire Corinthum, hinc loco circulati illius Paracelsi spiritus vini pro parando Elixyr accipitur; cuique pro meliori specierum solutione & extractione nunc *per acidum*, nunc *per alcali*, suppetiæ feruntur.

Per acidum quidem, dum spiritus vini rectificatus cum moderata quantitate spiritus sulphuris per camp. imprægnatus, affunditur speciebus, vel conjunctim vel separatim, modo quem docet AUTOR *pag.* 190. vel etiam HOFFMANNUS *l.a. pag.* 69. *Acidulandi* vero *modi* sunt varii: quidam per spiritum salis, alii per spiritum vitrioli, alii per spiritum sulphuris per camp. id efficiunt. Ego, si acidulandus sit, præfero spiritum sulphuris per campanam, qui optime extrahit. Observandum tamen in aloë, ut si simul laxare debet, hæc primitus extrahatur cum aqua, aut alio menstruo aqueo, non verò cum spiritu vini; hinc aloe reliqua cum aliis speciebus misceatur, quæ spiritu vini novo acidulato extrahantur: tandem binæ extractiones misceantur. Beneficio enim aquæ ex aloe elicitur mucilago ejusdem purgans; per spiritum vini verò ex aloë tantum elicitur resina adstringens. Pro varietate ergo scopi, varie extrahitur aloë: vid. quæ *de aloë superius.*

Sunt, qui volunt præparare Elixyr proprietatis sine amaritudine hoc modo:

℞. *myrrhæ Alexandr.*
aloës succoter. ana ℥iv.
croci Orient. ℥ij.

Has species invicem probe mistas indunt vitro, & irrorant *spiritu vini*, donec bene sint humidæ; hinc affundunt *spiritum vini non rectificatum* ad supereminentiam 4. digitorum, hinc digerunt ad aliquot dies debili calore & postmodum affunditur *oleum sulphuris per campanam* tantum, quantum fuit spiritus vini, digerantur aliquot dies, hinc decantetur clarum à residentia, & abstrahatur spiritus vini; qui ubi omnis fuerit abstractus, singulatim capiendum est phlegma, grati saporis & odoris, donec incipiat acescere: Huic phlegmati reaffundatur spiritus vini abstractus, ponantur in digestionem aliquantum, hinc filtrentur, & sic habetur *Elixyr sine amaritudine.*

Sine acido moderni parant id per alcalia, eaque vel per alcalia fixa, vel per volatilia.

Dum per alcalia fixa promovetur extractio:

℞. *Sal tartari* (vel *tartari & nitri* ana part. æqual. ex quibus per detonationem in crucibulo paratur alcali fixum.)

Hujus cum aqua paratum *lixivium* speciebus pro Elixyr proprietatis affundunt ad consistentiam pultis, digerunt, & affusionem repetunt. Ubi omnia ad siccitatem exhalarint, *spiritus vini probe rectificatus* vel *tartarisatus* affunditur, qui intactum relinquit sal alcali fixum, & substantiam ab eo sale solutam, seu balsamicam resinosam essentiam elicit, sicque fit elegans *Elixyr proprietatis*, grati saporis & convenientissimi usus mulieribus & infantibus in cruditatibus acidis.

Sunt qui etiam terram foliatam, idque non inconsulto, speciebus extrahendis addunt, & hinc cum spiritu vini Elixyr non inconcinnum præparant. confer LUDOVICI *Pharm. pag.* 484. vel ipsum terræ foliatæ tartari liquorem speciebus affundunt, qui extrahit omnia quam optimè: post filtraturam asservant Elixyr proprietatis tartarisatum. Alii

℞. ⊙ *i cum* ☾ *o* alcalis. q. v.

Lixivio exinde parato inspergunt *tartari crudi pulverisati* tantum, donec non amplius fermentent, & liquor rubicundus inde emergat; qua LANGELOTT utitur ad vegetabilium & animalium præparandas Essentias & Extracti ones: quod incomodū etiā non menstruum est pro Elixyr proprietatis parando, dum species hoc ipso digestæ & extractæ ad siccitatem blandè evaporatæ cum spiritu vini affuso elegans Elixyr constituunt.

Quoad modum *per alcalia volatilia*:

℞. ♁ *sal.* ✠ *ci c.* ♈ *parat*:
affunditur
aloes,
myrrhæ,
croci, ana partib. æqual. q. s.

Hic ipse, ubi primò seorsim unumquodque ingredientium extractum abstrahitur in Extractum debitæ consistentiæ, quæ invicem permista denuo cum spiritu vini ammoniacali extrahuntur, & sic erit summa Medicina in cruditatibus acidis & viscidis. Dicatum est sexui sequiori. Dosis gutt. xxx.

Observandum: quod Elixyr proprietatis cum alcalibus præparatum se misceat vino, & aqueis sine præcipitatione, Ut autem magis specificetur, & quasi Elixyr proprietatis specificum fiat, loco spiritus vini simplicis sumatur spiritus appropriatus.

Aliis, qui volunt, quod spiritus vini terebinthinatus genuinum fuerit PARACELSI *menstruum*, placet eum pro menstruo Elix. propr. parando seligere, qui tamen nihilominus errant, quoniam multum abest à liquore alcabest. Alii speciebus Elixyr proprietatis affundunt oleum destillatum terebinthinæ seu spiritum, & procedunt digerendo & extrahendo, lenissimo tamen ignis gradu, eo modo atque fit in præparatione Balsami sulphuris; atque ita Elixyr proprietatis verissimum, singularissimum, revera balsamicum, non tamen in omnibus casibus conveniens, acquirunt.

Elegans quoque est *præparatio* CNOEFELII, qui recipit *crocum & myrrham*, & hæc pulverisata insuit nodulo lineo, quem suspendit in cucurbita in cujus fundo est aloe cum *menstruo extrahente*, & hanc cucurbitam bene clausam imprimis superimposita alia parva cucurbita, ponit in digestionem arenæ: sic enim, dum beneficio circulationis spiritus menstrui in vase incipiunt sese insinuare in nodulum, & imprægnare species in nodulo, eas extrahunt, & denuo è nodulo guttatim decidunt; sicque sensim sensimque essentiam elegantem & admodum potentem extrahunt: quo negotio ad longum tempus peracto spiritus vini est abstrahendus, donec remaneat essentia in fundo instar mellis tenuioris, quæ est egregia medicina? spiritus vero vini hic abstractus, totus est volatilis, & mite balsamicus.

Ex hoc Elixyr proprietatis quasi simplicioti plures aliæ compositiones magistrales fuerunt enatæ, quorum descriptiones videbitis in ROLFINCII *Chym.* & in aliis scriptoribus. Hinc Elixyr proprietatis purgans,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1051-1 DFG

seu cum rhabarbaro, vulgo usurpatur. Concinniora tamen sunt Elixyria proprietatis purgantia, solida & liquida CNOEFFELII, quæ videb. *in Append. Anni 6. & 7.* M.A.N.C. *pag.* 18 *&* 19.

Polychrestum alias est remedium hoc elixyr, stomacho ac primis viis conveniens, sordes imprimis acidas à digestione prima relictas abstergens, appetitum provocans, bilem acriorem blande temperans, lumbricos ex putredine funesta ortos tam præservans quam enecans, & menses provocans. In retentione secundinæ post partum, ne eadem putrescat, est egregium remedium, præservat putredinem, & pellit secundinam ratione croci & myrrhæ; unde etiam mulieribus valde convenit in certis casibus, non vero gravidis propter dictas rationes. In affectibus pectoris valde convenit: nam in pleuritide & peripneumonia suppurata impedit; quo minus degenerate possit in phthisin, purificando & consolidando ulcera pulmonum, si sumatur cum decocto vulnerario, imprimis hederæ terrestris, cujus felicem usum imprimis expertus sum: Convenit in tussi à mucilagine crassa, si hæret in bronchus pulmonum, & expectorationem promovet. Scorbuto resistit, in quem finem egregium est *Elixyr proprietatis antiscorbuticum D. Michaelis*, qui recepit pro menstruo *spiritum cochlearia*, vel *spiritum antiscorbuticum compositum*, acuatum cum *spiritu aperitivo* Penoti. In vertigine & imbecillitate visus, ortis ex stomacho, hoc elixyr est egregium. In ulceribus & vulneribus partium internarum & externarum valde convenit hoc elixyr; unde etiam à quibusdam externo usu applicatur ambustis & combustis ab igne, ubi æstum & calorem mitigare dicitur imo externo usu in ulceribus & vulneribus sordidis & putridis instillatur, aut cum unguentis applicatur.

ELIXYR SYNCOPTICUM SAM. CLOSSÆI.

nro. 11.

Elixyr syncopticum est Mistura analeptica, parum habens in recessu.

ELIXYR UTERINUM.

nro. 12.

Longe melius extrahuntur species per spiritum vini, cum spiritu urinæ vel spiritu salis ammoniaci acuatum, ad imitationem nempe Infusi illius, quod habet BARBETTE *in Praxi cap.* 1. *de Epilepsia*; & facilius se conjungit cum oleis destillatis, in magna copia additis.

Est multi usus in passione hysterica dosi ℈j ad ʒß. Deinde feliciter convenit in mensibus remoratis, aut lochiis obstructis: valde enim has ipsas excretiones promovet, & convenit in omnibus morbis has suppressas in sequentibus.

ELIXYR VITÆ MAJUS & MINUS QVERCETANI.

Elixyria hæc laboriosæ sunt præparationis, & habetur tantum essentia spirituosa aromatica composita

CAPUT LIII.
DE
EMPLASTRIS, CERATIS, & DROPACIBUS

DE modo horum parandi, & ingredientium proportione, *infra cap.* 81. ubi *de unguentis*, *dabo*.

Inter *Cerata officinalia* & alia ab autore descripta se primo prodit.

CERATVM EX BETONICA.

Male ita dicitur, cum parum de Betonica participet; sed olibanum, mastix & mumia caput rei sunt. Commodius fit ex succo Betonicæ cum melle & balsamo Peruviano, sic optime convenit in affectibus catarrhalibus, vulneribus & contusionibus capitis; sicut & in omnibus capitis vulnerationibus cum balsamo Peruviano emplastra malaxanda sunt.

CEROTVM CAPITALE.

Cerotum capitale, quod etiam aliàs appellatur *Cerotum pro Bregmate*, valde convenit in affectibus capitis senum.

Cerata hæc, si misceantur cum Emplastro de Ranis Vigonis cum Mercurio, mirabilia præstant in contumacissima cephalæa quacunque; sive sit èx lue Gallica in quo casu commendatur à BARTHOLINO, sive etiam oriantur ex aliis quibuscunque causis tales cephalææ contumaces: ubi videri potest in *Observ.* PLATERI, qui aliquot habet exempla. Imo D. MICHAELIS curavit aliquando Principissam, cui ex nimia & diuturna cephalalgia & capitis dolore suturæ capitis à se invicem discesserant, idque cum strepitu, uti referebat: Talem suturarum discessum cum horrendo capitis dolore curavit beneficio horum Emplastrorum ita præscribendo:

℞. *emplastri de ran. c. ℥io,*
cerati de beton. ana ʒiß.
pro bregm. usit. ʒvj.

Malaxentur invicem *unguento alabastrino*: massa inducatur super *alutam*, & obducatur *sindone rubra*, postmodum adspergatur cum ℥ *destillato succini*.

D. S.

Haupt-stärckends-Pflaster.

Commode etiam Emplastris capitalibus seu cerato pro bregmate usitato misceri potest gummi Tacamahaca, & hæc invicem malaxari cum oleo succini, sic valdopere conveniunt in affectibus capitis catarrhalibus, imprimis senum.

CEROTVM DIACHALCITEOS.

Est etiam in officinis usitatum *Emplastrum diachalciteos*, quod etiam, quia ejus mistura cum baculo ex palma agitatur, *diapalmæ* dicitur. Vocatur alias Fontanell-Pflaster/ Italis enim, præter alios usus, in usu est fonticulis imponere, ut eadem munda, & à putredine aut corruptione, aliisque symptomatis liberâ asserventur, singulis diebus post purificationem in forma thaleri applicatum. Inservit etiam ad vesicas excitatas diu apertas tenendas.

Huc pertinet Emplastrum diaquercus Quercetani quod ejus vicem subire potest.

CEROTVM DE GALBANO.

Cerotum de Galbano externe umbilico applicatum in affectibus abdominis spasmodicis, uti etiam in specie in passionibus hystericis, & colica, egregium est, si malaxetur cum oleo castorei, cum oleo succini vel spicæ & balsamo Peruviano. Vel optimum magistrale emplastrum est quando:

℞. *galbanum liquef.* qu. v.
addatur
castoreum

Hæc invicem mixta cum *oleo succini* malaxentur, & satis efficax erit remedium pro hystericis.

CEROTVM PRO HERNIOSIS.

Notandum: quod in Hernia duplex medendi scopus sit:

1. *Locum relaxatum adstringendi*,
2. *Locum lasum relaxandi quasi*, ut facilitetur intestinorum ingressus in abdomen.

Pro priori scopo adstrictorio emplastra resinosa applicantur, quæ veteres sparadraporum forma adhibebant; quæ nihil aliud erant, quam linteum in misturam Emplastri liquefacti intinctum, ut ex utraque parte obductum fuerit binc bina vice applicari poterant, idque in herniis, fracturis & luxationibus.

CEROTVM STOMACHALE.

Nobis in usu est *Cerotum de Ladano Cratonis*, quod est

est insigniter stomachale, & valde convenit in affectibus stomachi, si malaxetur cum oleo stomachico composito Cratonis, & ita applicetur uti moris est. Optimum etiam est, si permisceatur cum ana Tacamahacæ, & invicem malaxentur cum balsamo Peruviano, fiatque Emplastrum seu scutum stomachale, irrorandum pro ditioribus cum oleo caryophyllorum, mastichino, item macis postquam scilicet jam sindone est obductum.

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

Loco hujus, & omnium reliquorum emplastrorũ, quorum basis est saturnus, ut sunt de cerussa, deminio lithargyrio, &c. comendo *Emplastrum Mirabile* seu *Miraculosum*, cujus descriptio est in M.A.N.C. *Anno 8. Obs. 16. pag. 23.* adeo tumoribus sanguineis inflamationibus, abscessibus, ardoribus, doloribus mitigandis, acidis talium causis absorbendis, & suppurationi promovendæ, imprimis conducit. Pertinet huc etiam *Emplastrum de alcalibus* TACCHENII *in Morbor. Princ. p.* 177. & eo exenatum *Emplastrum Mirabile Mecibomii*, quod *supra* dedi, ubi *de Plumbo*.

EMPLASTRUM E LAPIDE CALAMINARI,
Zelten-Pflaster.

Ad ulcera dysepulotica, & difficulter in cicatricem cœuntia claudenda, est optimum. Pro incarnatione autem cum terebinthina minus recte paratur.

EMPLASTRUM DIACHYLON.

Emplastrum diachylon, tam *simplex*, quam *compositum cum gummatibus*, in frequenti utu est chirurgis in tumoribus recentibus, abscessibus, scirrhis, strumis, grumis resolvendis, emolliendis, & tumoribus maturandis, ut facile abeant in pus, & prompte sub cute aperiantur. Descriptiones omnium videb. *in Pharm. Augustana.*

EMPLASTRUM CITRINUM.

Convenit in furunculis ad suppurationem & maturitatem perducendis.

EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS.

Emplastrũ de crusta panis, juxta ZWELFERI correctionem paratũ, in affectibus stomachi, imprimis in vomitu, item in dysenteria, valet: applicatur etiam commodè gravidis, ubi vomitus eas infestat, ut metus sit subsecuturi abortus, malaxatũ cum balsamo Peruviano juxta Augustanorum descriptionem nil valet.

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.
nro. 3.

Est egregium emplastrũ, quod MYNSICHTHUS *pag.* 185. cum oleo destillato fœtido tartari applicat in Podagra, ischiaticis doloribus, item in artuum & crurũ pro funis lancinationib9 per quã est egregium.

EMPLASTRUM FEBRIFUGUM STROBELBERGERI
num. 2.

Descriptionem quidem habet AUTOR quæ tamen non in omnibus est perfecta; STROBELBERGERUS enim *in Tract. de febr, ita descripsit:*

℞. △
≙
▽
≚

M. f. *Emplastrum.*

Araneæ, quæ adduntur non sunt illæ, quæ reperiuntur in hypocaustis, sed sunt majores degentes in cellis & certum est quod in araneis sit magna vis febrifuga.

Usus ejus est, ut in forma thaleri applicetur pulsibus, in quibuscunque febribus chronicis, ubi signum non infaustum est, si æger puncturas quasdam ab applicatione ejus sentiat, atque pars tubescat; paulo enim post febres cessant. Rationes videbitis in WILLIS. *de Febribus* si per novem dies relictum fuerit, eãdem hora, qua fuit applicatum, denuo resolvatur, postmodum defodiatur, vel incendatur: nam si quis alius id emplastrum contingat, is ipse extemplo febre quartana laborare incipiet.

Quidam solent commendare idem emplastrum in febribus malignis.

Huc & referri potest emplastrum febrile Dni D. MICHAELIS, à se expertum contra quascunque febres, in specie quartanam; sicut tali aliquando virum 80. annorum curavit sine ullius medicamenti adhibitione, id quod mirabile est. Compositio est hæc:

℞. *fulig. furni splend.* (Spiegel-Ruß) ℥vj
ad ℥iß.
terebinth. ℥vj.
telar. aranear. ℥j.
camph. ℈j.
oo. aranear. q. s.

M. f. *Emplastrum.*

Quod applicatur pulsibus ad magnitudinem thaleri in febribus ardentibus continuis & intermittentibus.

Basis sunt fuligo & araneæ.

EMPLASTRUM AD FONTICULOS
num. 5. pag. 196.

Egregium est ad fonticulorum symptomata præcavenda & arcenda.

EMPLASTRUM AD HERNIAM.
num. 7.

Malè recipiuntur exuviæ anguillarum, serpentum exuviæ esse debebant: coquuntur donec crassescant in formã emplastri; ita enim non in enterocele modo, sed & hydrocele, optimũ est, & pro arcano habetur.

EMPLASTRUM AD HYDROPEM
AUGUSTANORUM.

In usu est, ut applicetur abdomini pro expellendis aquis per alvum. Quidam usitatius in tali casu applicant cataplasmata, facta ex stercore caprillo cum aqua & aliis: qualia cataplasmata imprimis conveniunt in tumore scroti ex nimia aquarum coacervatione.

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI.

Egregium est contra flatus & tormina abdominis, præsertim infantum; item contra inflationem ventriculi. Miscetur etiam interdum emplastro contra hydropem, ubi simul adsunt flatus & malaxari potest cum oleo chamomillæ destillato, & baccarum lauri; vel solis vel adduntur his simul aliquot guttæ olei macis destillati.

EMPLASTRUM MAGNETICUM.
num. 8.

Emplastrum magneticum ita propter Magnetem arsenicalem dicitur, quem *habuimus supra.* Quin & propter usum dicitur Magneticum emplastrum illud, dum curandis bubonibus pestilentialibus inservit. Et sane melius & præstantius hoc non datur in tumoribus malignis pestilentialibus, anthracibus, bubonibus, parotidibus malignis seu pestilentialibus. Usum ejus in dictis casibus videbitis imprimis in BARBETTE *Descriptione Pestis*, ubi per experientiam propriam confirmat quod valeat hoc emplastrum in peste; hinc etiam in ANGELO SALA, & *ejus scriptis.* De cætero etiam in quartana regioni lienis admotum convenit; item ad restituendas hernias scrotales egregium est lumbis admotum; sic sensibiliter percipiunt ægri intestina retrahi: videatur *HOFFMANNUS in Methodo Medendi.* Egregium porro est in tumoribus cancrosis, & ulceribus malignis, in quibus melius hoc non habetur.

EMPLASTRUM DE MELILOTO.

Inservit emolliendis, resolvendis, discutiendis, &c. tumoribus tonsillarum, aliarumque partium glandulosarum inflammationem minitantibus; sicut inflammationes factas maturare & ad suppurationem perducere

ducere juvat. Qui accuratam ejus præparationem desiderant, adeant *SIMONEM PAVLLI Quadrip. Botan.* ubi de Meliloto. Certe haud inconcinna est descriptio.

EMPLASTRVM DE MINIO.

Usurpatur ad ulcera antiqua & corrosiva, imprimis tibiarum & partium nervosarum.

EMPLASTRVM NERVINVM.

Adhibetur in affectibus nervorum & partium nervosarum, à sic dictis catarrhis oriundis: quin in imbecillitate artuum, affectibus paralyticis nothis, & tremore dorso calide imponatur: malaxatur cum oleo nervino composito.

EMPLASTRVM OPPODELDOCH.

num. 11. pag. 179.

Primus author fuit *PARACELSVS.* Compositū catholicum ad vulnera vel ulcera antiqua curanda & consolidanda intelligit AUTOR, ubi tamen Emplastrum diasulphuris Rulandi præstat. Descriptio Emplastri Oppodeldoch non adeo concinna, correcta fuit à D. ROLFINCIO ita:

℞. *ceræ virg.* ℔ij.
terebinth. ℔j.
balsami ♁ *u Rulandi* ℥vj.
liquefiant: postea adde
Ess. caryophyll.
veronicæ,
alchymillæ,
flor. papav. errat.
hyperici, ana ℥ij.
gumm. opopanac.
galbani
serapini
ammoniaci
hederæ
bdellii ana ℥j.
ebulliant; facta mistione ab ♁e removeatur, & add.
succini pulver. ℥ß.
aloës epat. ʒiij.
colophon. ℥j.
sarcocollæ
myrrhæ Alex. ana ʒij.
thuris
mastich. ana ℥ß.
rad. aristoloch. long.
rotundæ ana ʒj.
Cum parum refrixerint, adde
magnet. in ☌ *ii dulc. extinctii*
hæmatit. præp.
corall. rubr. præp. ana ℥iij.
mumiæ
sangv. draconis ana ℥ß.
boli Arm. Orient.
croci metall.
croci ♂ *is*
♀ *is* ana ℥ß.
Sub finem adde:
lap. calam. præp. ℥x.
lithargyr. aur.
argent. ana ℥ij.
Cum ferè refrixerint, immisce
♁ *a* ☿ *li dulc.* q. s. ad rubeum colorem.

EMPLASTRVM E RANIS VIGONIS.

Emplastrum hoc habetur duplex: *cum & sine Mercurio.* Quod est cum Mercurio, usitatissimum est in symptomatibus Gallicis partium externarum contumacioribus, nodis, ulceribus, doloribus, imprimis tibiarum & capitis, tumoribus seu gummatibus Gallicis, item in tumoribus duris scirrhosis discutiendis & resolvendis, & in omnibus ex acido viscido oriundis pathematibus; hinc contra tumores quoscunque duros resolvendos in partibus nerveis, contra scrophulas, ganglia, scirrhos, scrophulas mammarum, &c. citra salivationem optimum est. In cephalæa antiqua, imprimis in hemicrania, mirabile est: vid. *BOOTIVS de Affectibus omissis.*

EMPLASTRVM SATVRNINVM.

nro. 12, pag. 198.

Notanter observandum est in hoc Emplastro amalgama Mercurii & Saturni, polychrestū in usu chirurgico, quodque in gravissimis etiam ulceribus, tumoribus ac doloribus singulare est. Saturnus fluat, & ubi adhuc nonnihil fluidus est, immittatur Mercurius pro ulteriori amalgamatione. Ratione hujus Emplastrum hoc, post arsenicale, est elegantissimum, & certe polychrestum emolliens tumores nerveos contumacissimos scrophulosos: Conf. hic DECKERS *in comm. in Praxin Barbette pag. 61.* Multi usus est in casibus etiam desperatis ulceribus callosis, aut labia fistulosa habentibus, quæ resolvit, & emollit potentissimè.

Facit huc etiam Mercurius coagulatus à Saturno. quē videb. in *Hoffmanni Clave pag. 261.* qui exostosib9 nodisq; ossiū duris, vel strumis applicatus, est egregi9;

Pertinet huc mistura plumbi antimonii cum Mercurio ira coagulata; de qua vid. KERCKRINGIUS *de Antim. pag. 303.*

POTERIVS in suis centuriis hinc inde facit mentionē *Mumiæ mineralis*, mediante qua mirabilia præstitit in affectibus chirurgicis externis. Forsan non multum abfuit hæc ipsa mumia ab hujusmodi amalgamate.

EMPLASTRVM AD SCIRRHOS S. CLOSSÆI.

Compositio hæc non contemnenda est. Per aquilam albam intelligit Mercuriū dulcem, vel poti9 Mercurium vivū, pro emolliendi scopo optimū. ZWELFERVS equidem taxat Mercurium vivum, sed male additq; Mercurium sublimatum, sed pessimè.

EMPLASTRVM SPLENETICVM DE CICVTA.

Est spleneticum optimum. Variæ ejus sunt compositiones; præ cæteris tamen duo primaria solent esse ejus Ingredientia, gummi nempe ammoniacum in aceto solutum, & hinc succi simplicium narcotici, v. g. de cicuta, nicotiana, hyoscyamo, &c.

EMPLASTRVM DIASVLPHVRIS RVLANDI.

nro. 17. pag. 200.

Pro usu quotidiano nobile ac polychrestū admodū est emplastrū, multis usibus, speciatim partium glandulosarum, adeoq; & mammarū ulceribus, conveniens. Compositio est concinna, modo recte liquescat myrrha. Quod si loco sulphuris vulgaris sulphur antimonii recipiatur, eo præstantius erit compositum.

Tria hæc sufficiant chirurgo: Balsamus Peruvianus pro vulneribus, Emplastrum diasulphuris pro tumoribus, & Balsamum sulphuris pro abscessibus mundificandis & consolidandis.

EMPLASTRVM STOMACHICVM DE TACAMAHACA.

num. 18 pag. 201.

Est emplastrum pro stomacho elegans, multis usibus, præsertim cardialgiæ, singulariter conveniens. De anxietatibus cordis certe ægri maxime & frequenter conqueruntur, quæ plerumque sunt ex stomacho. Ergo Tacamahaca contra eas convenit.

EMPLASTRVM AD TOPHOS & GVMMATA VENEREA CLOSSÆI.

Pro basi habet cinnabarim vulgarē vel antimonii; quare propter Mercurium vivum, qui reperitur in cinnabari. Loco ej9 ergo Mercuri9 viv9 admisceatur.

EMPLASTRVM VESICATORIVM.

nro. 20.

Maximè attollo hoc vesicatorium, quod egregie operatur & leniter cum pauco admodum dolore; reliqua econtra vesicatoria sunt dolorifica; saltē propter

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1054-8 DFG

asam fœtidam est ingratum. Descriptio pro meliori consistentia sequenti modo mutari potest:

℞. *ceræ* ℥ij.
terebinth.
butyri ana ℥j.
℘ rosati ℥ß.
cantharid. ℈ß.
pulv. asæ fœtidæ,
mastichis,
myrrhæ,
camphoræ ana gr. xv.

f. *Emplastrum molle*: excipiatur aluta & ad magnitudinem thaleri applicetur aut manibus aut pedibus, &c. Sin debeat esse fortius vel mitius, augmentanda vel imminuenda est dosis cantharidum, pro constitutione ægri. Sicuti etiam asa fœtida, si ejus odor sit molestus, omitti potest.

Quod si tale Emplastrum non prostet in officinis, tunc extempore recipitur aliud Emplastrum, in specie Emplastrum ex mucilaginibus, quod est emollitivum & attractivum per se: hinc additur pulvis cantharidũ ad ℥j. pro singula ℥j. Emplastri; malaxentur invicem cum terebinthina, & applicentur sub forma thaleri; Vel pro usu vulgari:

℞. *cantharid. pulveris.*
ceræ, pingued. lepor. ana part. æqual.
addatur paucum terebinthinæ:

Hæc in *Emplastrum vesicatorium* conciñum satis coëunt.

Quia autem vesicæ non diu apertæ manent, hinc cum tribus vel quatuor partibus emplastri cujusdam, v.g. de spermate ranarum, stimulando vesicas misceatur, & sic, quam diu placuerit, vesicas apertas tenere poterimus: vid. HORSTIUS *in Observ.* 1. qui ceu utilissimum hoc vesicatorium commendat. Extemporaneum quoque Emplastrum vesicatorium una cum artificio diutius vesicas apertas servandi, videbit, in *LUDOVICI Pharm. pag.* 420.

DE DROPACE.

Dropaces non sunt amplius in usu.

Fuit autem Dropax seu picale Emplastrum, paratũ ex pice ceu basi: cui postmodum addiderunt olea, quæ fuerunt essentialia ingredientia uniuscujusque Dropacis. His tamen interdum additur pulvis ex pipere, pyrethro, zingibere, &c. quibus moderni addunt semen sinapi, stercora, &c.

Usus fuit, ut applicatus Dropax parti bene incalescat, ut partes marcidæ ac languidæ, & atrophiâ correptæ, denuo nutriantur, & attracto nutrimento denuo fiant auctæ & crassæ. Præterea usurparunt pro attenuandis, resolvendis, & ex alto derivandis humoribus frigidis & serosis.

Modum usurpandi videb. in AUTORE, cum non amplius apud nos sint in usu.

Nihilominus ut pateat formula, sit *dropax contra atrophiam* ex modernorum præscripto:

℞. *pulv. pyrethri* ℥iß.
sem. sinapi ℥j.
euphorb ℈j.
castor. ℈ß.
picis naval. cum ℘ costin. q. s.

f. l. a. *Dropax* applicandus calidè brachiis, vel etiam pedibus in eorum atrophia.

Sed uti dico, usus apud nos omnino exolevit.

His addo *Ceram Catholicam Burrhi*, de qua multi multa fabulantur, dum laudatur ab hoc culpatur ab illo. Duplicem quidem ceram habuit Burrhus in frequenti usu: *Ceram anti-diabolicam*, & *ceram catholicam*. *Descriptio ceræ Catholicæ* est talis:

℞. *opopanac.* ℥ij.
bdellii,
gumm. animæ,
caranna,
hederæ,
elemi
tacamahacæ,
sagapeni,
thuris, ana ℥iv.
balsami Peruv. ℥iij.
terebinth. ℥v.
ceræ ad pondus omnium.

Liquefacta invicem leni igne Misc. c. *cera*, & f. Mistura in forma ceræ.

Hac usus est interne & externe. Interne sub forma pilularum valde convenit stomacho: externe stomacho applicata egregia est in appetitu prostrato, & aliis stomachi affectibus. Imo externe genis in forma thaleri applicata odontalgiam optime curat, quem in finem & pilularum forma denti inseri potest. In podagra pariter interne & externe, præservative & curative, adhibita fuit à BURRHO.

CAPUT LIV. DE EMULSIONIBUS.

EMulsiones sunt lacti formes potiones; ex seminibus lacteis & oleosis cum aquis appropriatis elicitæ, quæ simul etiam, quantum fieri potest, debent æmulari gratiam lactis in sapore; unde rarissimè vel nunquam res tetræ & nauseabundæ sunt miscendæ. Tales utut olim pro scopo temperandi atq; roborandi usurpatæ sint hodiè tamen in alios fines adhibentur. Has autem tria primaria ingredientia constituunt.

I. *Semina lactea & oleosa*, item fructus quasi seminales, nuclei v.g. pinearum & pistaciorum. In hisce tamen seminibus notandum: quod talia in recessu habeant succum oleosum aquosum, utut sint sine sapore & odore insigniori, ut sunt amygdalæ dulces, pistacia & pineæ, semina quatuor frigida majora & minora, papaveris albi, portulacæ, lactucæ, cardui Mariæ, cardui benedicti, cannabis, violarum, napi, aquilegiæ, sem. citri, nuclei pæoniæ, persicorum nuclei, &c.

AMYGDALÆ DULCES.

Ex his fiunt Emulsiones, quando opus est vel roboratione, vel nutritione, aut in refectione ægri addũtur nuclei pistaciorum & pinearum, quoniam sunt nutritivi & conveniunt in hectica, in phthisi, febre cum tussi, & affectibus pectoris.

SEMINA QVATVOR FRIGIDA MAJORA.

Præscribuntur usitate in temperando ardore corporis, & commode permiscentur cum semine papaveris albi, ut leniter sopiatur dolor, ut in plevritide; vel quando opus est leni somno, in agrypnia, virium prostratione, & jectigatione corporis.

SEMEN PORTULACÆ ET LACTUCÆ.

Etiam ardorem temperant.

SEMEN CARDUI MARIÆ ET CARDUI BENEDICTI.

Præscribuntur in Emulsionibus antipleuriticis, & simul adduntur pulveres appropriati antiplevritici.

SEMEN CANNABIS.

Ex hoc fit elegans Emulsio in gonorrhœa, item in furore uterino mulierum: potest addi antimonium diaphoreticum; os sepiæ præparatum, succinum præparatum, &c. & erit Emulsio admodum elegans in gonorrhœa.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1055-4 DFG

SEMEN VIOLARVM.

Valde convenit, ubi est suppressio urinæ, item in affectibus nephriticis; pellit enim urinam, & simul solet per inferius guttur laxare: ad ℥ß. pro duabus vel tribus dosibus præscribitur.

SEMEN NAPI, AQVILEGIÆ, CITRI, &c.

Præscribuntur in Emulsionibus alexipharmacis, in febribus malignis, in variolis & morbillis, in febribus petechialibus: sed observetur, quod semen citri sit amariusculum, & propterea non in æquali dosi præscribitur cum aliis seminibus sed in minori, ne gratia saporis pereat. NUCLEI PÆONIÆ.

Ex his fiunt emulsiones quando metus est epilepsiæ in puerorum variolis; propterea commodè cum seminibus expellentibus permiscetur semen pæoniæ, & sic fit Emulsio antiepileptica expulsiva, & dissolvitur in ea una cum aliis pulveribus pulvis Marchionis, qui est coloris albi. NUCLEI PERSICORVM.

Ex his fit emulsio antinephritica urinam ciens, & calculum leniter movens: propterea etiam aliqualem vim habet somnum inducendi.

℞. Requiritur ad emulsionem *Liquor*, qui est varius pro varietate scopi ut aquæ appropriatæ destillatæ, decocta tam simplicia quam composita, v. g. in morbis malignis præscribitur aqua borraginis, galegæ ulmariæ: pro scopo analeptico aqua cinnamomi, melissæ, liliorum convallium cum vino, cerasorum nigrorum, rosarum, &c. quibus etiam pro eodem scopo addantur aquæ carbunculi aliquot drachmæ: in dysenteria conveniens est decoctum priapi cervi vel ceti in dysuria seu acrimonia urinæ Decoctum malvæ: in Emulsionibus antipleuriticis conveniens est decoctũ radicis glycyrrhizæ, quoniam dulcis est saporis, lenit asperitatem faucium, & expectorationem promovet: in emulsionibus viis urinariis destinatis, v.gr. semen violarum conveniens est: decoctum ciceris rubri pro abstergenda mucilaginę & promovenda urina: in affectibus malignis fiunt emulsiones cum decocto C.C. vel simplici vel cum radice scorzoneræ, quod vim habet expulsivam vel sudoriferam. Cum liquore appropriato semina teruntur & agitantur in mortario, donec fiat liquor lacteus per colatorium depurandus: id quod remanet in colatorio, sunt cortices seminum.

Hic est simplicissimus modus parandi Emulsionem; cui pro ratione scopi, propter quem præscribitur emulsio, ʒ. admiscentur Pulveres candidi, tali proportione, ut aquæ unciæ uni respondeat ʒj vel ℈iv, & ℥j. seminum ℥viij. vel ℥x emulsionis.

Pro dosi supputandum est ʒiß aut ℥ij vel ℥iij. Præterea alio modo etiam præscribuntur cochleatim assumendæ singulis horarum vel etiam semihorarum spatiis tria vel quatuor cochlearia: ad horas octo ℥v. vel ℥vj. pro tribus dosibus, vel etiam pro quatuor ad summum ℥ix.

Dissolvitur in his emulsionibus pro gratia saporis aut saccharum, vel quidam Syrupus appropriatus. MORELLVS comendat syrupum violarũ aut capillorum Veneris: sed male nam emulsio debet esse coloris lactei hi v. syrupi sunt coloris nigricantis & obscuri. Potius syrupus de Nymphæa, syrupus papaveris, &c. si enim recte sint præparati, sunt coloris albi, & possunt præscribi in emulsionibus. Aliquando in illis solvuntur rotulæ manus Christi perlatæ pro gratia saporis, q.s. v.g. fit *emulsio anti pleuritica:*

℞. *sem. card. bened.*
mar: ann ʒij.
c. ▽ *flor. papav. errat.* ℥iv.
f. *emulsio:* adde
dent. apri præp.
maxill. lucii pisc. ana ʒß. edulcor. cum
rot. manus Christi simpl. D. S.

Linderende-Milch gegen das Seiten Stechen.

Quod attinet *amygdalata* seu *Emulsiones amygdalarum dulcium*, die Mandel-Milch / usus eorum est in phthisi, hectica, atrophia curanda, &c. Non sunt distinctæ ab emulsionibus formulæ, sed tantum ita vocantur, quia basin earum constituunt amygdalæ: loco earum tamen hodie emulsiones medicatæ præscribuntur e.g.

℞. *amygd. dulc. Ambros.* ℥j.
sem. papav. albi ℥ij.
▽ *portulacæ* q. l.
f. l. a. Emulsio spi. Por ad ℔ß, edulcoranda pauco Saccharo.

D. S.

Stärck und Ruhe-Milch.

Usus talium Emulsionum est vel generalis vel specialis.

Generalis est, quod temperent acrimoniam salium mutuo effervescentium; amygdala enim admodum temperata sunt: *Specialis*, quod amygdala sint nutritiva; semina quatuor frigida, diuretica; semen cardui benedicti & cardui Mariæ antipleuritica, &c.

Abusus illarum pariter notetur, dum frequentissimè sine judicio usurpantur, & summo cum ægri detrimẽto adhibentur; cum enim oleosæ sint, fit ut relaxent tonum stomachi; & ita in genere omnes stomachum debilitant; quid quod succum stomachi fermentativum hebetent, prosternent appetitum, nauseam inferant, &c. Hujusmodi emulsiones etiam facile insuper rancescunt, id est, abeunt in copiosam vermiculorum progeniem, atque tunc fœtorem & pravum saporem contrahunt: hinc rancore suo impediunt legitimum concursum bilis & succi pancreatici, acrimoniam insimul magis sensibilem acquirunt & acescunt. Rarissimus igitur sit emulsionum usus, quia:

1. In majori quantitate præscripta, propter oleositatem facile rancescunt, & corrumpuntur, rancorem in stomacho febrientium fervido multo magis contrahunt.
2. Excretiones in stomacho impediunt.
3. Stomachi digestionem turbant.
4. In morbis calidis acescunt facile, & stomachum prostratum relinquunt, & hinc.
5. Malum sæpius contumacius reddunt, & propterea in minori dosi, nec magis una vice, solet præscribi, quam pro tribus dosibus.

Emulsio nephro cathartica ex semine violarũ, quam AUTOR *pag.* 203. habet, in urina & alvo suppressa est optimum remedium addantur *semin. milii solis* ʒij, & cum ▽ *alkekengi* seu *veronicæ* f. *Emulsio.*

Emulsio expulsiva in variolis est utilissima, præprimis ubi tempus ebullitionis adhuc durat, hoc est, primis quatuor diebus. Sequenti modo optime præscribitur:

℞. *sem. aquileg.*
napi ana ʒiij.
(quod si adsit vel jectigatio corporis, vel agrypnia, uti fit in primis diebus ante eruptionem variolarum, additur commode *semin. papaveris albi* ʒiß.)
c. s. q. △ *ulmar.* (e.g. ℥vj, vel hujus ▽ *galegæ & aquileg.* ana ℥ij.) f. Emulsio. adde
C.C. s. ▽ *e.*
℥ii *diaphoret.* ana ʒß.
bez. mineral. gr. xij.
edulc. cum *rot. manus Christi perlat.*

D. S.

Austreibende-Milch wohl umb zu rücteln.

Plures, variandi modos Emulsionum, & formulas dabo in *Coll. Formularum.*

CAPUT

CAPUT LV.
DE
ERRHINIS.

Hæc ipsa *Errhina* sunt in duplici differentia quædam dicuntur in specie Errhina, quædam Ptarmica. Differunt tantum, quoad majus & minus, quod nempe *Errhina* sint temperatiora, econtra vero *Ptarmica* sint acriora & fortiora. Dicuntur etiam aliàs caputpurgia, quoniam usu Errhinorum imitamur consuetudinem naturæ; quæ ipsa, uti ordinario humectando nares, præterea tamen superfluam lympham sub forma muci eliminat, unde sordes narium; ita per Errhina & Ptarmica imitatur naturæ modus, dum irritando & stimulando nares adjuvamus, ut fortior & celerior, & etiam copiosior lymphæ & muci per nares sequatur derivatio. Vias, per quas derivatur ista lympha & mucus per nares, quarum quædam sunt in confiniis oculorum, quædam sunt in naribus, descripsit STENO *de Vasis oculorum & narium.* Quando ergo per talia Errhina & Ptarmica irritatur membrana interior succingens, & beneficio istius irritationis simul concitatur acrimonia subtilis & penetrans medicamenti Errhini; tunc fit, ut incidatur mucus crassus & viscidus, & præterea ex irritatione hic incisus copiosius effluat, & ita per nares expurgetur. Quod si talia stimulantia sint moderata, ut sine sternutatione proliciant mucum, tunc vocantur *Errhina*; sin vero sint fortiora, ut propter fortiorem irritationem etiam ad sternutationem concitent nares, de qua irritatione scripsit eleganter SCHOOCKIUS, vocantur *Ptarmica* seu *Sternutatoria.*

Quod attinet modum usurpandi ac præscribendi Errhina; illa sunt vel liquida, vel consistentia pulveris.

Liquida quod attinet: ea sunt ordinarie succi ex ptarmicis expressi, ex vola manus in nares extrahendi. Talis succus est v.g. succus anagallidis purpureæ, qui valdopere conveniens est, & præ aliis omnibus commendatur: item succus expressus ex beta rubra; item succus cyclaminis, qui est paulò acrior; succus etiam cucumeris asinini: sunt etiam, qui usurpant succum radicis Ireos nostratis; sed hic ipse, quia paulo est acrior, raro usurpandus venit. Hos omnes succos, quando volumus acriores, permiscetur oleum nicotianæ, majoranæ, pulvis euphorbii, aut tantillum de pulvere liliorum convallium, & ita *humida Errhina* fiunt acriora & fortiora in stimulando. Nam diversitas est in naribus pro ratione tenuitatis vel crassitiei membranæ nares succingentis: in quibus est tenuis, à levissimis Errhinis facilè irritantur: in quibus est crassa spissa, humida & flaccida, in iis acriora & fortiora fiant sternutatoria. Huc etiam facit consvetudo; si enim qui assueti sunt sternutatoriis, vel qui quotidie utuntur fumo tabaci, non facile à levi stimulantur Errhino. Sic Itali semper utuntur sternutatoriis, & inde non facilè etiam à fortissimo Ptarmico irritantur, quia à continua humectatione membrana omnem sensum amittit, ut pulvis haustus ne irritet quidem. Hâc diversitate narium observata, præscribenda sunt Errhina, vel acria vel minus acria.

Loco succorum humidorum dictorum sunt, qui adhibent Decoctum, utut rarius, ex cephalicis, betonica, majorana, nicotiana, &c. quod decoctum cum vino paratum ex vola manus attrahunt in nares, & pro Errhino usurpant. Quod si volumus decoctum Errhinum acrius & fortius, radicis pyrethri ℥j. simul incoquitur, quæ valde stimulat. Quando ergo utimur talibus Errhinis humidis, impletur os aqua, & tunc ex vola manus hauritur liquor, propterea, ne Errhinũ illabens in fauces inferat noxam; dum enim Errhinum labitur in os, imbibit aqua, & ita temperatur.

Præter Errhina humida usitata sunt *Errhina ex pulveribus:* ita enim recipiuntur *Ptarmica simplicia*, pulverisantur & in forma pulverum applicantur. Talia simplicia ubique prostant, & debent esse cognita ex superioribus. Præscribendi modus est idem atque reliquorum pulverum à ʒij. ad ℥ß. vel ℥j, & hauritur tantillum in nares. Exemplum sit v.g.

℞. *pulv. fol. hyssopi*
major.
nicot. ana ʒß.
castor. gr. xv.
caryophyll.
zingib.
elateri ana gr. v. M.

irrorentur cum aliquod guttis olei majoranæ destillati

S.

Nasen-Pulver.

Non signentur **Niese-Pulver**/ quia non debent concitare sternutationem.

Quod si talis quidam pulvis excipiatur cum oleo quodam appropriato, v.g. cum oleo majoranæ, irino, & quantum sufficit ceræ, tunc redigitur *in formam liniment i*, quod linimentum naribus illitum, stimulat similiter, & mucum ac pituitam elicit: v. g. tale *linimentum* sit hoc:

℞. *pulv. thymi*
nuc. mosch.
rad-acori ana ℈j.
pyrethri.
zingib.
elater. ana gr. v.

c. s. q. ♁ *Major* & *cerat.* linimentum,

D. S.

Nasen-Sälblein.

Quod si his pulveribus addantur succi & mel, vel potius si melli cum succis inspissato addantur pulveres hi, tunc fit consistentia Electuarii, cujus particula in nares est intrudenda pro eliciendo muco.

Quod si talis pulvis ex Errhinis excipiatur cum mucilagine Tragacanthi, addita vel omissa *terebinthina*, & formantur in trochiscos pyramidales naribus intrudendos, tunc vocantur *Nasalia*, quæ oleo appropriato illita induntur naribus, pro stimulandis iisdem & pro eliciendo muco. Dabo exemplum utut rarius præscribantur talia, sed fere in forma pulveris subsistatur:

℞. *caryophyll.*
macis,
nuc. moschata
fol. Nicot. ana ʒj.
hyssopi.
majorana ℈j.
rad. pyrethri ℈ß.
elleb. albi
elater. ana gr. v.

ex pulverisatis c. s. q. *mucilag. Trag. c.* ▽ *Major.* solut. f. *Nasalia* s. *Trochisci pyramidales* pro Nasalibus; illinantur ♁ *destill. major.* & *anisi.*

D. S.

Nasen-Zäpflein.

Eodem modo atque sunt præscripta Errhina, etiam præscribuntur Ptarmica seu sternutatoria, utut sternutatoria ut plurimum tantum in forma pulverum præscribantur in quibus pulvis majoranæ & pulvis nigellæ cũ pulvere nicotianæ, & denique liliorum convallium, utramq; faciunt paginam: nam hæc quatuor

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1057-5 DFG

præ cæteris solent usurpari. Sic v.g. sit *pulvis sternutatorius* præscribendus hoc modo:

℞. *pulv. fol. major.*
nicot.
flor. lilior. convall. ana ℥j.
rad. elleb. albi ℈j.
castor. ℈ß.
℞ *i destill. major.* gtt. iv.
M. D. S.

Niese-Pulver.

Hic flores liliorum convallium sunt elegantes: loco eorum interdum etiam sumi potest radix liliorum convallium, quæ est acrior & fortior quam flores & folia nicotianæ. Pro gratia odoris in ditioribus solent addi suaveolentia talibus pulveribus ex ambra moscho & similibus. Talis pulvis fit hic:

℞. *pulv. Tabaci Ind. s. nicot.* ℥ß.
major. ℥ß.
℞ *i destillati roris marini*
salv. ana ℈ß.
caryophyll. gr. vj.
moschi gr. iv.
ambræ gr. iij.
M. D. S.

Haupt stärckendes Niese-Pulver.

Alio modo pulvis hic potest reddi odoratus sine talibus impensis, si addatur odoris gratia pulvis rad. Ireos Florent. in tali formula:

℞. *pulv. rad. Ireos Florent.* ℥ij.
euphorb. ℈ß ad ℈j.
lil. convall. ℈j.
℞ *i destillati caryophyll.* gtt. v.
M. D. S.

wohlriechent Niese-Pulver.

Nam sternutatoria raro præscribuntur in alia consistentia, quam pulveris.

Quod attinet usum Errhinorum & Ptarmicorum: facile patet, quod tantum usurpentur, primario quidem ad eliciendum mucum & derivandam lympham ex naribus, & ita, dum derivatur lympha ex naribus, tunc vicina loca ab ea onerata solent liberari, & quæ antea quasi erant inundata, sic denuo exsiccantur.

Quæstio nihilominus est: *an etiam conveniant in affectibus oculorum*: ita quidem, ut in lippitudine, item in defluxionibus oculorum, item in suffusione notha & similibus commode possint usurpari? Affirmat BARTHOLINVS *Cent.* 4. *Epist.* & STENO, ubi aperte affirmat BARTHOLINVS, quod *ex pulvere sternutatorio usurpato, mediocriter tamen, suos oculos, alias imbecilles fortes fieri senserit.* Affirmat etiam STENO; hic enim dicit; quod *quædam viæ, quæ derivant lympham in nares, oriantur ex oculorum glandulis, ita ut dum per istas vias derivatur lympha in nares, etiam hoc modo superfluitates eliciantur ex oculis.* Cæterum dum econtrario consideramus experientias & observationes ac exempla ab HILDANO *in Hist. & Observ. Chirurgicis* recensita de sternutatoriorum infaustissimo usu & successu, ita ut non raro totalis cæcitas post sternutatoria fuerit insecuta. Sententia hæc admodum adhuc videtur dubia, adeo ut potius in negativam declinem, quæ prohibet, ut talia in affectibus oculorũ usurpentur, quam ut ægri proximi oculis, noxam conciliem: videatur HILDANVS. Ubi tamen sunt usurpanda sternutatoria in oculorum malis:

1. Malum sit in principio non inveteratum.
2. Oculi sint robusti, non imbecilles.
3. Æger sit junior.

Alias nunquã usurpanda sternutatoria; & certe vidi Italos fere in juventute uti perspicillis, seu vitris specularis, ex abusu nimio sternutatoriorum. Usurpantur imprimis talia ptarmica & errhina matutino tempore, & conveniunt iis, qui laborant sæpius coryza, aut qui obnoxii sunt aliis affectibus catarrhalibus. Præterea quoque conveniunt senibus, & qui vertigini vel apoplexia sunt obnoxii; præcavent enim partim hos affectus, partim præmissis universalibus eosdem curant.

Præterea in paroxysmis epilepticis, hystericis, apoplecticis & soporosis conveniunt eadem sternutatoria, aliis præmissis; quoniam forti irritatione excitant ægros, & à paroxysmo liberant. Mulieribus difficili partu laborantibus similiter conveniunt forti enim isto nisu, & abdominis per diaphragma compressione, enititur fœtus & promovetur partus.

Ex hactenus dictis apparet, quod sternutatoria & errhina conveniant tantum pro expurgandis naribus. Nihilominus tamen, uti habet MORELLUS, interdum tantumodo applicantur pro alterando: id quod fieri solet imprimis in affectibus narium in specie quidem in earum ulceribus, quæ vocantur ozænæ pro detersione & consolidatione; in polypo narium pro absumptione; in fœtore narium pro istius correctione pro amisso olfactu restituẽdo, & similib9 aliis affectib.

Talia medicamenta pro appropriatis affectibus præparantur eodem modo, uti dicta Errhina & Ptarmica interdum in forma liquida, interdum in forma sicca. Sic in forma liquida in ulceribus narium valde conveniens est succus sclareæ seu hormini sylvestris, quoniam egregie mundificat ulcera; interdum huic permiscetur mel rosaceum, ut fiat linimentum, quo illinuntur nares in ulceribus. Præterea in forma liquida solent præscribi & usurpari decocta ex manibus haurienda, v.g. Decoctum hormini sylvestris, vel solum vel cum melle: item decoctum veronicæ & agrimoniæ cum myrrha & olibano. Pertinet huc etiam urina pueri, quæ instar Errhini in nares attracta egregia est pro purificandis narium ulceribus. Alii aliud Errhinum liquidum parant; scilicet.

℞. *herbæ agrim.*
marrub. ana M. ß.
flor. rosar. rubr.
hordei integri ana p j.

Hæc ebullire sinunt in hydromelite, & colaturæ ℔ß. recipiunt *pro Errhino.*

Sub *forma unguenti* si usurpanda talia, recipiuntur usitate, idque in phlegmone & inflammatione narium, unguentum de ceruſſa camphoratũ, vel unguentum nutritum; in abscessibus & ulceribus narium recipitur unguentum de nicotiana, cui permisceatur myrrha, aloe & saccharum Saturni in ulcere benigno; in ulcere maligno & Gallico per misceatur ipsi Mercurii præcipitati aut etiam Mercurii dulcis q. s. ut sine acrimonia operari queat. Sub forma pulverum etiam usurpantur alterantia Errhina, si fiat pulvis ex nicotiana, quæ consolidat; ex olibano & gummi Arabico, ex terra sigillata, &c, quæ exsiccant & consolidant: sed sub unguentorum forma sunt usitatiora. Sub forma turundæ imprimis alterantia possunt usurpari Errhina, si recipiatur pulvis adstringens, excipiatur ovi albumine, vel succo idoneo, aut etiam melle, quibus adjiciuntur pili leporini concisi: ut turundæ fortius cohæreant.

CAPUT LVI.
DE
EPITHEMATIS.

EXterne in usu sunt misturæ, *Epithemata* dicta, quorum compositio tamen pro varietate usus atque partium variandæ, adeo quidem, ut certis legibus vix coerceri possint. Ob hanc igitur varietatem Medici judicium primatum obtinet.

Ex

Ex vi nominis in genere significant quæcunque remedia externè applicata, & ita latissimè se extendit vox Epithematis; unde diversa nomina sortiuntur pro diversitate locorum, quibus applicantur: e.g. quæ fronti applicantur *Frontalia*; quæ oculis *Collyria*; quæ naribus *Errhina*, &c. dicuntur. Nihilominus hodierno, & quidem specialiori usu Epithema tantum appellatur, quod sub forma liquida & aquosa partibus nobilioribus vel ad alterandum, vel uti vocant, ad corroborandum, adhibetur: & hac re excluduntur epithemata, quæ vocantur sicca vel solida; quoniam hæc ad alias formulas pertinent, uti *suo loco habebimus*. Proprie ergo epithemata de liquidis quæ fiũt dicẽda sunt.

Quod igitur attinet formulam epithematis: in eâ consideranda est imprimis *materia* seu *liquor*, qui scilicet cum linteis est applicandus parti affectæ: nam epithema consistit in hoc, ut cum linteis applicetur ceu fomentum humidum, nisi quod usu & frequentiori applicatione differant.

Materia sunt decocta liquidissima, seu quæ ingrediuntur pauca vegetabilia: usitatius aqua destillata adhibetur, tam simplex quam composita, tam una quam plures, parti affectæ accommodatæ. Interdum his ipsis additur etiam vinum, ubi opus est aliquali refocillatione & restauratione; uti etiam aquæ spirituosæ pro eodem scopo: Interdum pro penetratione meliori additur etiam acetum; sed tantum istud in epithematis, quæ capiti sunt applicanda, in moderata dosi debet misceri, propterea, quoniam odor aceti solet inducere agrypniam & arcere somnum; Unde notum est, quod in lethargo & nimiis somnolentiis applicetur acetum naribus ad arcendum nimium somnum: Interdum recipiuntur etiam alii succi, v.g. succus cancrorũ fluviatilium expressus, qui imprimis applicatur fronti in febribus ardentibus, ubi adsunt nimiæ vigiliæ; item ubi adsunt deliria; ubi adsunt cephalalgiæ, & similia mala febrium ardentium maliguarum; qui succus non raro aliis permiscetur: Item non raro recipitur succus semper vivi majoris contusione expressus, qui similiter pro refrigeratione & compescendo æstu ac exinde ortis affectibus, commode usurpatur. Lac muliebre non raro loco epithematis inservit, sive sit demulcenda cephalalgia scorbutica sive sit inducendus somnus in agrypniis nimis pertinacibus.

Proportio & quantitas epithematis est in AUTORE *nostro*. Cæterum liquori ceu basi epithematis non raro adduntur quædam sicciora, pulveres & alia, quæ facile possunt conjungi cum liquore. Epithemata hæc ex tempore præparanda ordinantur; circa quæ observetur.

1. Rariorem esse eorum usum, nisi quæ fronti in capitis affectibus, & hinc stomacho in ejusdem malis applicantur; sicuti & regioni uteri admoventur: Sed in febribus præsertim malignis, seu cum expellenda malignitate conjunctis, v. g. in variolis & morbillis, in febribus petechialibus, imo ipsa peste, cautus admodum sit eorum usus, ne scilicet admotione eorum nimis crebro deterreatur corpus, aut etiam refrigerata cutem offendant, cujus exinde stringuntur pori, & consequenter insensibilis transpiratio, & cum hac fermenti maligni exitus, multum impeditur; sicut & ea, quæ pulsibus applicantur, & saltim ratione odoris operantur, in ejusmodi febribus sæpe suspecta sunt.

2. Pro circumstantiarum ratione nunc frigida, ut regioni pubis in nimia uteri hæmorrhagia; ut plurimum calida, applicantur, v. g. in stomachi affectibus.

3. Epithemata epati interdum applicãtur in narium hæmorrhagiis, quorum usu diarrhœa interdum inducitur: conf. HORSTIVS *lib. 4. Observat. pag.* 230.

4. Male pulveres adduntur epithematibus, cum in hac applicatione externa talium pulverum fixorum, durorum, &c. vis & potestas penetrare nequeat, & sic nullum commodum atque usum habere poterunt. Ita quidem Practici sæpius in usu habent, epithematis epaticis addere corallia rubra pulverisata, cortices citri cortices aurantiorum, lignum aloës, & similia; qua ipsa tamen sunt sine successu; & sine fructu externe applicari, per se patet: Sic quidam applicant cordi perlas, corallia præparata, aquam buglossæ, &c. ut fermenta maligna eliminentur, quæ prorsus frustranea sunt, & sine usu saltim cuti adhæreant, quin potius penetrantia, subtilia ac volatilia, v. g. vinum generosum, acetum, camphora, quæ potenter penetrant, & utiliter permiscentur epithematis quarumcunque partium, ubi opus est refrigeratione, discussione & ut resistatur malignitati: item crocus, qui & ipse est penetrans & valde volatilis, non sine successu iisdem addenda erunt: sicuti etiam opium, ubi opus est lenire dolorem, & ut inducatur somnus, commode permiscetur cum epithematis, quæ pulsui aut cordi applicantur in febribus malignis; convenientius tamen est, ut recipiatur spiritus theriacalis camphoratus, vel essentia theriacæ, quoniam sunt penetrantiores quam theriaca ipsa, nisi febris ardens obstiterit: aut si recipiatur theriaca, vel confectio alchermes, non inconvenienter additur acetum, ut inserviat loco vehiculi ratione penetrationis, ut promptius & melius operentur epithemata.

5. Sunt etiam, qui aquis *istis* & liquoribus addunt pulveres ex seminibus contusis paratos: Cæterum convenientior modus est iste, ut ex istis seminibus cum aqua appropriata fiat Emulsio admodum tenuis & fluida, & eadem postmodum instar epithematis applicetur. Talis ergo liquor applicatur, dum ipsi immergitur linteum duplicatum aut triplicatum, & ita frigidè aut saltim tepide admovetur parti, idque subinde repetitur nunc singulis horis, nunc singulis dimidiis horis, nunc singulis duabus vel tribus horis, pro varietate circumstantiarum & urgentiæ.

Epithemata, quæ habet AUTOR, sunt parvi momenti.

EPITHEMA CORDIALE.

num. 1.

Quicquid habetur emolumenti, ex aquis in se inermibus, vino & croco obtinetur: Addita corallia, santala, cortex citri, &c. nil præstant cum medicamenta hic efficaciora & penetrantiora requirantur; ut taceam epithemata cordialia parum prodesse; refrigerata enim propter pororum clausuram plus nocent quam prosunt.

Ut autem ægris interdum satis faciamus, pro regione cordis præscribitur ex tempore hoc modo:

℞. ▽ *borrag.*
melissæ c. vino ana ℥ij.
carbunc.
cinnam. ana ℥j.
theriacal. camph. ℥iij.
confect. alcherm. ℥j. vel ℥iß.
croci ℈j.
camph. gr. v.
Misc. pro *Epithemate*,

D. S.

Hertzstärckender Umbschlag.

EPITHEMA EPATICUM.

num. 2. *pag.* 205.

Hic ſemen portulacæ, aceroſæ, & trochiſci de camphora nullum uſum habent & ſunt ſuperflua. Loco hujus applicandum Epithema in nimio calore aut inflammatione hepatis, valde commendatum à BARTHOLETO *Tract. de Reſpir. pag.* 294. hoc modo:

℞. ▽ *hyoſc.*
flor. nymph.
lil. albor.
plantag.
roſar. rubr. ana ℥iß.
ſacch. ℔i
camph. in V *ſoluta* ana ℈j.
☉ *i fixi ſeu lap. prunellæ* ℥ß.

M. & applicetur tepide cum linteolo duplicato regioni hepatis, ſubinde repetendo.

Ad hujus imitationem:

℞. *ſperm. ranar.* ℥iij.
▽ *hyoſc.*
nymph.
plantag.
roſar. ana ℥ß.
☉ *i* ℥j.
camph. in V *ſoluta* ℈j. M.

& cum pannis multiplicatis tepide regioni epatis applicentur repetendo, quoties opus fuerit.

Hoc Epithema in febribus ardentibus, delitiis, hæmorrhagiis à turgeſcentia ſanguinis oriundis egregium eſt; utut interdum diarrhœa exinde producta obſervata fuerit. Effectus eſt ſingularis, & ulteriori penſiculatione dignus, uti talia exempla habet HORSTIUS *lib.* 4. *Obſerv. pag.* 230.

EPITHEMA IN FEBRIBUS MALIGNIS.

Species diatrion ſantalon nil valent; ſed aqua florum ſambuci cum camphora ſufficit; vel acetum liliorum convallium; vel aqua carbunculi, permiſta cum aceto, vel vino; aut ſimilia; vel epithema cordiale ſuperius communicatum.

CAPUT LVII.
DE EXTRACTIS, ac MENSTRUIS.

PRimarius nempe finis chymiæ Pharmaceuticæ, prout nempe chymiæ Phyſicæ ſeu Philoſophicæ contradiſtinguitur, vel eſt purum ab impuro ſeparare ut genuina medicamenta hoc modo acquiri queant, unde & *Spagyria* apud PARACELSUM audit ἀπὸ τοῦ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, disgregare & congregare: quo nomine ipſa res etiam denotatur. In duobus enim illis, *ſyncriſi ac diacriſi*, cum *interveniente metaſtaſi* conſiſtit chymia; quo etiam antiquiſſimum illud Philoſophorum; *ſolve & coagula*; ſuo modo pertinet.

Purum illud, ceu nucleum medicamentoſum, ab impuro ſeu cortice aut capite mortuo ſeparare, & vim è cadavere quaſi elicere, imprimis docet per ſolutiones & extractiones, unde tincturæ, eſſentiæ, Quintæ eſſentiæ, elixyria & extracta, quæ in pauciſſimis à ſe invicem differunt totam medicamentoſam craſin ſimplicis, quantum poſſibile; poſſidentia, præparantur & eliciuntur. ſic v. g. in jalappæ ℈j ſunt grana xij. reſinæ, quæ vim exſerunt; reliquum eſt iners in cinnamomi ℥j tantum guttæ quædam ſunt medicamentoſæ, reliquum nullius eſt ponderis, totum iners & terreum.

Modus autem eſſentias & extracta parandi conſiſtit in eo, ut certo quodam liquore ſeu menſtruo, ad duorum vel quatuor digitorum transverſorum eminentiam eliciatur vis ſimplicis medicamentoſa, ſolvendo & extrahendo in vaſe clauſo per aliquot dies. Quando ſubjectum extrahendum fixioris eſt ſubſtantiæ, coqui poteſt; ſin vero volatilioris, partes volatiles ſub coctura avolant. Potius ergo reponatur in locum calidum aut tepidum, v. g. M̄, arenam, &c. donec menſtruum ſatis tinctum ſit, poſtea exprimendum & filtrandum.

Conveniunt ſcilicet & differunt ſolutio & extractio, quod omnis extractio ſit ſolutio; ſed non vice verſa omnis ſolutio ſit extractio: v. g. ſolutio auri per aquam regiam non eſt extractio, ſed ſolutio: Ergo ſecundum magis & minus differunt. Solutio totum concretum reſpicit, ejuſque in minima diviſionem molitur: extractio certam duntaxat ejus ſubſtantiam reſpicit, eamque à cæteris cohærentibus particulis ſeparare geſtit; hinc & illa ſolutio totius, hæc vero partis ſaltim dicitur: hinc etiam ſolutio magis in homogeneis; Extractio vero in heterogeneis locum habere ſolet. Nempe ſolutio totum miſtum, aut potiſſimam ejus ſubſtantiam, pro objecto cognoſcit; extractio vero in illius ſaltim certas particulas agit & menſtruo communicat; v. g. ſolvo corallia in aceto deſtillato, hic tota corallia, quanta quanta ſunt, in minutiſſimas particulas rediguntur & diſſolvuntur; è contra ſolvo opium, v. g. cum aceto deſtillato, non ſolvo, ſed extraho; quoniam ſcilicet aceto deſtillato eliciuntur ex opio tantum partes quædam ſubtiliores & puriores, relictis craſſioribus & impurioribus in fundo; & ita cum aceto deſtillato non datur ſolutio opii, ſed tantum certarum ejuſdem particularum extractio. Quæ extractio ita conſiderata eſt nihil aliud, niſi ſeparatio certarum quarundam particularum ex quodam toto, relictis aliis partibus minus congruis, & quidem ſi adhuc ſit in forma liquida, vocatur *Eſſentia* ſi ſit coloratum, vocatur *Tinctura*; ſi inſpiſſatū ad conſiſtentiam mellis, vocatur *Extractum*.

Solutio porro in ſolutionem continui & ſolutionem totius dividitur, aut, ut alii loquuntur in ſolutionem integralem & elementarem. *Continui ſolutio* eſt, qua totum in partes ſuas integrales dirimitur, & ſuperficialis tantum eſſe ſolet, dum totum in plures ſui integrantes aut quantitativas dividit partes qua ratione aurum ab aqua regia in particulas ſui integras dirimitur, quarum quælibet aurum eſt. *Solutio* verò *totius* eſt quæ etiam *ſolutio radicalis*, ab aliis *in partes elementares* vocatur, quandò corpus ſic reſolvitur, ut ejus forma & qualitas prorſus immutentur, adeoque in ſua principia reſolvatur, & ſpeciatim in primam ſui materiam ſeu ſubſtantiam ſeminalem reducatur: Conf. BECCKERUS in *Oedipo Chym. pag.* 147. & WILLIS *de ferment. pag.* 63.

In omnibus autem his, tam ſolutionibus quam extractionibus, duo primaria conſideranda ſunt.

1. Ipſum *medium ſolutionis & extractionis mobile*, adeoque plus minus fluidum, quod *menſtruum* alias dicitur.
2. Ipſum *corpus ſolvendum & extrahendum*: quibus & ſimul merito addendus eſt *reſpectus mutuus* ſeu ratio, quare hoc menſtruum in hoc vel illud, non aliud corpus, agere queat.

Menſtrui appellatio ab antiquiſſimis Philoſophis chymicis originem habet, qui in opere lapidis ſui Philoſophici ſulphur tingens ſolare maſculini, Mercurialem vero aquam ſeu Mercurium ſuum fœminini ſeminis locum habere, per analogiam ab animalibus deſumptam, aſſeruere. Quæ fœminæ genitura, cum olim menſtruus ſanguis à menſtruo periodi ſuæ termino putatus fuerit, etiam fœmininum hoc metallorum ſeu Mercuriale principium, menſtruum dictum fuit

fuit quæ appellatio postmodum satis abusive ad quælibet solventia derivata fuit. Medium ergo fluidum solvens seu menstruum non quodvis agere in quælibet observatur, sed determinatum saltim in sui debitum objectum, unde imprimis disquisitio instituta fuit de *menstruo universali*, quod in quælibet objecta agere, eaque dissolvere, & in primam sui materiam redigere queat, quodque oppositum sit cæteris menstruis particularibus, non nisi in specialia quædam corpora operantibus. Equidem litigia illa, cum omnia adhuc pluribus videantur dubia, de universali menstruo, *an idem sit cum liquore alcahest? an* PARACELSVS *pariter universale solvens per hoc intellexerit?* atque fecit HELMONT, qui loco ejus sal tartari fixum saltem volatilisare jubet, tanquam succedaneum alcahest: *ex quo regno? & quo subjecto? an ex Mercurio vivo præparandum: quo vase asservandum*, &c. mea non facio, tamdiu judicium de tanto arcano suspensurus, donec firmior experientia certius quid in hoc puncto determinaverit. Interea præter HELMONTIVM videri potest LUDOVICVS *de* COMITIBUS *Tr. de rebus artis & naturæ miraculis*, qui tamen Autoribus pluribus admodum suspectus est, BECCHERVS *Physic. subterran. lib. 1. pag. 175.* TACHENIVS *in Echo ad vindic. p. 5. & 33.* MORHOF *de Transmut. pag. 13.* M.A.N.C. *Anno 4. pag. 112. & Anno 6. Append. pag. 194.*

Particularia Ergo menstrua quod attinet: dubium est, quale sit fundamentum, secundum quod saltem in determinata corpora agat, sive ut alii loquuntur, an similitudo an vero contrarietas sit inter menstruum solvens & objectum solvendum? Res decidi potest paucis. Observetur nempe.

1. Convenientia seu proportio formalis, i. e. requiritur certa in textura minimarum particularum menstrui conformatio in figura, magnitudine, situ &c. cum poris meatibus & textura particularum corporis solvendi à quibus, ut aliæ proprietates in consistentia, raritate & densitate, pondere, &c. dependent; ita & mutuus solventis cum solvendo respectus & agendi mutuo ac patiendi ratio dependet; non secus ac clavis seram aperiendi vim, formaliter à proportionata sui cum structura seræ mechanica conformatione, obtinet: Nisi enim talis esset proportio neque menstruum aggredi posset subjectum, neque subjectum posset adhærere poris menstrui. Vulgari me declarabo exemplo: saccharum solvitur prompte in aqua simplici vel vino nunquam vero, licet centum continuetur annos solutio in oleis & spiritibus sulphureis, quia pori sacchari ita sunt formati, ut admittant particulas aqueas, non vero oleorum ac spiritum sulphureorum ramosas particulas idque propter convenientiam mutuam in eorum textura ac structura, atque sic particulæ aquæ vel vini in poros sacchari se insinuant, & pori sacchari particulas aqueas & vinosas absorbent & in se recipiunt; idque tamdiu, donec vel totum saccharum sit solutum, vel menstruum aquosum aut vinosum adeò sit impregnatum, ut porulos eos nihil amplius ex saccharo soluto subire queat: Spiritus vini econtra utut longe sit subtilior, penetrantior & volatilior, si sit recte rectificatus, nunquam solvet saccharum, propter dissimilitudinem, quæ est inter texturam spiritus vini & sacchari, propter quam spiritus vini licet possit penetrare saccharum, ineptus tamen est, ut vel absorbeat quasdam ejus particulas, vel easdem in se recipiat id quod tamen facile fit à spiritu vini, si modo diluatur c.s.q. aquæ sic enim postmodum, ratione adjecti phlegmatis, facillime saccharum solvet. Hinc quando aqua fortis lunam aqua regia solvit solem: spiritibus nitri solvit lunam, quia particulæ ejus acutissimæ se insinuant in lunam; si vero sal ammoniacum additur, mutatur ejus textura, ut habeant introitum in auri corpus illæ particulæ.

2. Observatur etiam similitudo certa materialis menstrui solventis cum solvendo corpore, quatenus non quævis particulæ, sed certæ saltem, talem texturam habent, secundum quam in aliis sibi similis concretionis agere possunt: quâ ratione v.g. spiritus vini ceu oleum & resina resoluta, non vero aqua destillata aut alia similis substantia, tanquam menstruum homogeneum, vim habet extrahendi resinas vegetabilium, qualia sunt imprimis purgantia quamplurima, item plantæ aromaticæ & suaveolentes, aut agendi suomodo in alia simplicia corpora; salia fixa extrahunt sulphura, quia oriuntur ex colliquatione sulphuris concreti cum alcali alia vegetabilia mucilaginosa aut viscosa requirunt menstruum aquosum, v.g. torem Majalem, aquam tonitrualem, item aquam simplicem destillatam alia requirunt menstruum aqueum acido salinum, uti est aqua acida, aqua aceto impregnata, & sic porro. Menstruum ergo & subjectum solvendum debent esse homogenea; & quidem subjectum sulphureum & resinosum resolvitur à spiritu vini, similiter sulphureo; non resinosum à menstruo aqueo; alia subjecta alia postulant menstrua. Unde tanta est menstruorum, tam mineralium quam vegetabilium, necessitas; tam simplicium quam compositorum diversitas. In metallis nullum est menstruum, quod omnia solvat, sed quodlibet suum peculiare & appropriatum habet. Sic Mercurius vivus saltem metalla, non alia mineralia, & in specie ea, quæ magis sunt Mercurialia, minime Martem & venerem, quia magis sunt salina, dissolvit; secus ac non clavis excera vel ligno, quæ nullâ etiâ sub optima cõformatione, sed ex ferro & alio simili metallico corpore, vim habet reserandi seram: hinc non inepte BECCHERVS *Physica subterran. l. 1. pag. 399. de solutionibus Metallicis* asserit, quod in sit ejusmodi solventibus (dum v.g. aqua fortis saltem lunam hæc cum sale saltem aurum solvere valet) quædam vis & seminalis mineralis potestas, quæ cum metallis maximum magnetismum & similitudinem habent: quod sane & similiter de aliis exactioribus paulo & accuratioribus solutionibus & extractionibus asserendum omnino videtur.

Ex quibus sponte sua patet: *quid de menstruis insipidis habendum? & an* etiam *menstrua non corrosiva dentur, quæ firmissima, adeoque & metallorum corpora penetrare & dissolvere valeant?* Ridicula est quæstio: quod enim acrius & penetrantius linguam, ceu gustus organum, feriat quoddam menstruum, hoc accidentarium esse ipsi videtur, habito nempe respectu ad operationem solutionis, sicut aqua regia & Mercurius vivus, quæ aurum in minima sui integralia discerpunt, accidentario saltem respectu ad linguam se habent, quorum illa penetrantissime linguam arrodit, hic ne levissime quidem afficit: & aqua fortis æqualis, imo si bene fuerit rectificata, intensioris in gustum activitatis & corrosivitatis lunam saltem solvere, non vero attingere aurum valet, & speciatim per quam curiosum est menstruum, quod docet TACHENIVS *Hippocr. Chym. pag. 23.* de extractione auri per certam aquam regiam, quæ postmodum etiam lunam solvit; sed non, nisi prius in aurum egerit, lunam dissolvere valeat. Sic corrosiva talis aqua regia, quæ quælibet extra aurum metalla solvere valet, ceræ aut pici affusa, hæc ne attingit quidem: acetum etiam Saturnum rodit in concretum saccharinum, Martem vero in vitriolicum; quæ moderate linguam afficiunt, & novum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1061-6 DFG

saporem acquirunt, qui tamen ipsis respectu solutionis mutuæ plane accidentarius est; sicut nec aqua fortis ratione aciditatis suæ linguam erodentis in limam agit, nec emergens inde concretum amarissimum, ratione saporis talis, præcise singulare quid obtinet. Sunt nempe hi ad organa sensuum nostrorum respectus in menstruis plane accidentarii, unde & solutionis ratione perinde est, sive linguam nostram feriat menstruum, sive non, & olea, tam expressa quam destillata, quæ sulphur dissolvunt, utut mitius gustum afficiant, æque tamen ac urinosissima lixivialia vi solutiva pollent; & aqua, quæ saccharum & salia concreta dissolvit, ex lignis vero & vegetabilibus ebulliendo varia extracta elicit, & ex animalibus gelatinas extrahit, non quatenus insipida, sed alia ratione id præstat. Nempe notanter loquitur KERCKRINGIVS *in Basil Valent. pag. 174. de Tincturis verum extrahendis: non sufficere ut corrosivitate careant, aut dulcia sint menstrua, sed oportet ut peculiaris sit iis amicitia, & convenientia cum Mercurio corporis, cui superfunduntur, ut verum & sincerum sulphur ex iis extrahant.*

Sed, si exactius consideremus negotium quoad menstrua dulcia vel insipida, non tam respectum ad gustatum vel linguam, quam ad operandi modum habuerunt accuratiores chymici in solutionibus, præsertim metallicis & mineralibus. Cum enim hactenus cognita menstrua pleraque, & tantum non omnia, cum insigni strepitu & effervescentia adoriantur mineralium & metallorum corpora, eaque impetuose discerpant atque corrodant, ac in partes saltem integrales dirimant, adeoque superficialiter tantum solvant, suique firma cum solutis adhæsione & coagulatione eadem immutent, & novum concretum sic faciant, æque simul licet per accidens, penetranti mordacitate linguam feriant, propterea solliciti fuerunt Philosophi Chymici, ut mitiora menstrua acquirant, quæ sine tanta violenta corrosione, peregrinaque labiis impressione vel suaviter concreta aperiant, eaque plus minus radicaliter solvant cujus specimen est ista solutio, qua aurum glaciei instar in aqua calida, liquescit, ut SENDIVOGIUS scribit; vel ex solutis prius saltem substantiam determinatam extrahant, ut v. g. spiritus vini resinosam substantiam absque lucta ex vegetabilibus, liquefaciendo quasi eam, elicit. HOFFMANNVS *in Tract. de Medicam. chym. usu & abusu pag. 67.* facit mentionem quod *beneficio certi cujusdam instrumenti aer, ventus, & radii solares capi & conniri possint* pro menstruo quodam dissolvente omnia metalla in vola manus; quod esset singulare. Hoc certum est, quod quidam ex aere parant spiritum, quem vocant spiritum aeris in forma humida per certum instrumentum, & hic spiritus aeris in se est insipidus, & tamen multa admiranda præstat: conf. BALDUIN *Auro Aura.* Sic BORRICHIUS, egregius Chymicus Danus, hoc spiritu aeris insipido solvit corallia, & ex iis elicit elegantem tincturam, in fundo vero subsidet sal corallorum in forma cubica uti videri potest in BARTHOLINO hinc inde, imprimis in *lib. 3. Epist.* Blanda talia menstrua, & suaves hinc factas solutiones, intelligunt imprimis Philosophi, dum insipidorum aut dulcium mentionem facere videntur, quæ si & gustus organon minus sensibiliter afficiant, eo magis talia dicēda erunt. In rei enim natura potest esse menstruum corrosivum, quod non feriat linguam & alias partes, utut in corpora quædam sit maxime corrosivum: & revera menstrua dantur nobis insipida, quæ solvunt aurum; sicut & in se ipso nihil obstat, quo minus insipidum cum corrosivo strepitum quoddam corpus agat, & gustu è contra acerrimum mitissime aliud afficiat.

Sed eo ipso, quo diversarum texturarum & proprietatum ad solutiones & extractiones rerum subinde adhibentur menstrua, quæ in se ipsis considerata non levem in corpus nostrum agendi potentiam obtineant, dubium emergit: *annon ex his ipsis cum substantiis solutis & extractis novum concretum, novarumque adeo virium respectu corporis nostri emergat, constans nempe ex facultatibus substantiæ extractæ & viribus menstrui, unà plus minus sociatis, & potentiis novi concreti, hujusque ex amborum illorum coalitu novæ emergentis texturæ?* Ac sane hoc punctum est, in quod non pauci impingunt, non attendentes, quam diversimode subinde, plus minus tamen, solutum & extractum à menstruo immutetur, & inde proprietates nunc novas, nunc ab antiquis diversas acquirat: sic nempe aurum fulminans per solutionem cum aqua regia & præcipitationem cum oleo tartari vim fulminantem acquirit; sicut & lunæ & Saturni crystalli à menstruis, & solutis inde eorum metallis, generantur; ex aqua forti & argento amarissimæ crystalli concrescunt: Venus in aqua forti cœruleo, spiritu salis viridi, spiritu urinæ cyaneo colore tingitur; & sacchari saturni dulcedo non nativa, sed ex concreto emergens nova, quin & novas vires Medicas obtineat, nemo dubitabit: elleborus niger, si cum phlegmate vitrioli acido extrahatur, extractum purgans non habebitur quia per aciditatem vis purgans castratur: Confer. BECCHERUS *Physica subterr. lib. 1. pag. 398. & 401.* Ac sane exinde tot imposituræ circa tincturas præsertim exortæ fuerunt, dum plurimæ coralliorum, auri, antimonii, &c. tincturæ vel nudæ solutiones superficiales sint, vel si quas habent operandi facultates, respectu corporis nostri non ex se, sed ex novo concreto ex soluto & solvente oriundo, obtineant: Nempe huc pertinet effatum HELMONTII: *Omnis spiritus rodens eadem actione qua corpus dissolvit, coagulatur.* De spiritibus corrosivis & acidis præcipuè hic sermo est; nam alias, prout de liquore alcahest refertur, sunt & menstrua, quæ citra corporis sui diminutionem agunt: sunt & menstrua magnetica & Philosophica dicta, quæ non tam coagulantur, quam cum simili suo, quod solvunt, per totum ac radicaliter uniuntur; à corrosis vero particulæ coagulatæ solventis iterum separari possunt: Potius etiam de acidis, minus de urinosis fixis, omniū minime de urinosis volatilibus, intelligendum axioma.

Castigandus hic etiam venit illorum error, qui simpliciter asserunt: *Extracta cunctas totius mixti virtutes fovere*, & v. g. absinthii extractum in febribus intermittentibus curandis æque convenire, ac ipsam plantæ hujus integram substantiam: scilicet cum menstruorum forsan pauca sint, quæ indifferenter & simul in omnes mixtorum partes agant, dum eorum potissima modo illorum sulphuream modo salinam adoriantur: sane extractum cum menstruo sulphureo paratum, quodque resinosam duntaxat concreti partem continet, parum de salinis ejus virtutibus participabit, nisi in quantum hæ in resinoso concreto simul plus minus erunt concentratæ. Unde ex uno corpore duplex parari potest extractum resinosum scilicet, ac salinum seu mucilaginosum, alia tamen non nisi unum exhibent.

Ex modo dictis & supra insinuatis facile patet minus de formali menstruorum agendi ratione, ac cum solvendis corporibus similitudine, nobis constare: ob id de materiali horum proportione, ceu sensibus notiori, nobis saltem concessum est tractare, cujus respectu etiam in triplicem classem non incom-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1062-2 DFG

incommode *dividuntur Menstrua: in aquea, salina & sulphurea*; & *salina speciatim in acida & urinosa*; *sulphurea* vero *in volatilia seu subtiliora, ac minus talia.* Ex quibus omnibus postmodum pro scoporum & objectorum varietate menstrua alia media seu composita subinde præparari solent: quo v. g. pertinet *menstruum anodynum Boylei*, cujus hinc inde, & præsertim *Tr. de Orig. Form.* mentionem facit & ex *aruginе*, & *sale ammoniaco*, seu *horum spiritibus combinatis*, constat sed hæc ipsa prolixius videbitis in WEDELII *Dissert. de menstruis*, *Pharmacia annexa*: quibus addatur & WILLIS *de Ferm. cap. 9.*

In genere *aqua* merito à WILLISIO *Tr. de Ferm.* vocatur *magnum naturæ menstruum*, quoniam cum hoc ipso magnæ & mirandæ fiunt solutiones, idque imprimis, si stimuletur & exaltetur à motu ab aere ipsi impresso, qui vocatur *calor*. Obiter tamen hoc notetur: quod menstrua aquea sub solutione aut extractione agant saltim in particulas salinas, easque solvant & extrahant, & his mediantibus etiam alias ipsis junctas; nihil enim est, quod se facilius uniat cum iis, quam sunt salina & aquosa; adeo ut notum sit, quod salia aeri exposita sæpe insensibiles portiones aqueas imbibant, ut fluida liquescant. Deinde aqua convenienter adhibetur pro solvendis & extrahendis vegetabilibus quibuscunque, modo non sint resinosa; cum enim resinæ sint de natura oleosorum & sulphureorum, propterea non possunt se unire cum aquosis. Imprimis convenit aqua pro extractione & solutione vegetabilium, si acuetur per sal tartari, aut ejus cremorem sic enim conveniens admodum præbet menstruum pro vegetabilibus, tam alterantibus quam purgantibus non resinosis quod observetur pro parandis Decoctis Infusis, & extractis similibus.

Hinc

1. Infusa aut decocta mixtorum parum salis, plurimum vero sulphuris aut resinæ obtinentium, nullius efficaciæ sunt.
2. Concreta, ex quibus Decocta aut Infusa jam parata sunt minorem quantitatem salis fixi per incinerationem suppeditant, quam si integra comburantur.

Id quod confirmat elegans KESLERI modus *Proc. 86. C. 1.* ubi duplex substantia ex lignis separatur; nempe liquor rubicundus salsus, una cum super natante viscosa seu resinosa substantia. Ratione enim hujus salis præponderantis contingit ut gummata mucilaginosæ ac glutinosæ substantiæ ab aqua sola optime dissolvantur & extrahantur; unde adhibetur etiam ad paranda extracta mucilaginosa, ex radicibus v.g. althææ & symphyti, & similibus mucilaginosis: nam has mucilagines alia menstrua præter aquea non attingunt. Ulterius aqua simplex usurpatur pro extractione animalium, imprimis accedente coctura; hinc enim fiunt omnia juscula animalium & partium animalium: hinc fiunt gelatinæ ex cornubus ex ossibus, beneficio coctionis in aqua. Hinc fit calcinatio Philosophica seu sine igne cornuum & ossium, quando aqua ossa & cornua in supremitate alembici posita penetrat, solvit, & friabilia reddit: nempe quod in animalibus est gelatina, & gluten ex horum partibus elicitum, illud in vegetabilibus mucilagines & gummata: quorum illæ uti maximam partem ex sale constare, resolutio chymica destillatoria docet; ita hæc ejusdē hoc in passu naturæ existere probabile fit.

In metallica corpora aquæ nullum est jus, quoniam eorum compages est nimis dura & fortiter conclusa, ut aqua non possit penetrare aut eadem subire, nisi prius ignita fuerint: sic calcinantur, si igni silices, crystallus, lapis calcarius & similia injiciantur, & ignita in aqua extinguantur, quatenus beneficio *ignis*, alterius *magni solventis*, uti vocatur à WILLISIO, in motum excitatis particulis, ista mista componentibus, illorum quædam pars corrosa & in vitriolum redacta aquæ poros subintrat: Sic notum est, quod aurum igniatur & extinguatur in aqua pro usu medico; sic notum est, quod quidam id tentant de argento eodem successu: & licet aqua affusa Martii videatur eundem corrodere in crocum, hoc ipsū tamen non fit ratione & beneficio aquæ, sed beneficio acidi in ipso Marte latitantis & abūdātis, qui acor per aquā affusam aliquantisper solutus (nam salia nisi solvantur non agunt) *incipit* agere in proprium corpus metallicum, istudque solvit in crocum.

Est ergo aqua simpliciter tantum adjumentum externum, non vero menstruum, sin vero aqua acuetur bene salibus, vel acidis vel fixis lixivialibus, tunc aliquam jurisdictionem obtinet pro corporum solvendorum varietate; sic aqua acuata cum sale urinoso, nitro fixato, vel sale tartari, ut fiat lixivium forte, aliqualiter solvit sulphura metallica, ex compage crassioris corporis separata. Notum namque est ex superioribus: quod tali lixivio forti solvatur similiter sulphur commune, uti notum est iis, qui legerunt præparationem lactis sulphuris. Cæterum hoc non habet aqua ex sua natura, sed beneficio salium alcalium fixōrum, quibus impregnata est.

Quæ dicta sunt de aqua intelligenda etiam sunt de sero lactis rore Majali & similibus. Ros enim & nix suggerunt spiritum & menstruum pro multorum corporum extractione, quia propius accedunt ad Mercurium aëreum.

Sequuntur *menstrua acida*, quæ agunt in partes animalium duras, & imprimis in mineralia atque metallica; rigidioribus enim & magis acuminatis menstruis corpora hæc debent discindi & dissolvi: non tamen excludenda alcalia. Intercedit autem hæc differentia, quod alcalia magis in sulphur, acida magis in Mercurium agere videantur, utut præter mineralia, etiam alia subjecta, quæ de alcali multum participant, rodant: v.g. corallia, lapilli cancrorum, &c. Et quidem acida agunt in corpora eadem vel solvendo tota, vel ex parte: Tota quidem, si sulphuris parum, v.g. corallia, lapides percarum, &c. habeant aut hoc firmius coagulatum possideant, ut metalla; reliquam vero, præter sulphuream partem, substantiam solvunt, si hæc ob laxiorem compagem facile à reliqua separabilis existat, ut in antimonio: unde constat quare mistorum paucissima, quæ à menstruis acidis roduntur non in partes elementares, sed saltem integrales, redigantur.

Inter Menstrua hæc quædam sunt mitiora, quædam fortiora.

Inter Menstrua acida mitiora mitissimum est vinū, acetum, acetum destillatum, &c. quod acetum est aciditas volatilis, & non adeo fortiter penetrans, cujus beneficio partes osseæ, metalla corallia, lapilli cancrorum, & similia subjecta dura, possunt solvi. Imo etiam, si in spiritu aceti aut aceto destillato, calcinata extinguantur mineralia, satis profunde solet penetrare, eaque interdum in saliformia corpora transmutare ut sunt sal coralliorum, perlarum & similia.

Aceto vulgari potentior est *spiritus viridis æris*, ex ejus crystallis per acetum destillatus. Hic ipse mēstruū est singulare, & ōperationes excellentiores exserit, imprimis in solvendis metallis durioribus Martis & veneris, & reb9 seu subjectis his cognatis, & in plurib9 aliis etiam exaltat vires aceti simplicis, imprimis in eo quod conveniens sit mēstruū pro parādis Magisteriis duri-

durioribus animalium partibus,& pro solutione metallorum duriorum; Hinc etiam habet hoc singulare, quod post factam solutionem æque fere acidus abstrahi possit, uti *superius* monui, quod nullum aliud facit menstruum, ita ut parum ejus cum corporibus solutis remaneat adeoque sine notabili virium destructione operetur. Inter menstrua acida mitiora est *Aqua temperata Basilii num.3.pag.* 207. quæ dicitur *spiritus salis dulcis*, i. e. *spiritus vini cum spiritu salis destillando mistus* unde egregium acquirit odorem, nec inelegans menstruum est. Simili modo elegans menstruum parari potest ex spiritu nitri & spiritu vini, convenienter per digestionem & cohobationem unitis. Alii alia habent menstrua. Multi multa garriunt de aceto Philosophorum,& nesciunt quid sit? QVERCETANVS loco illius substituit spiritum mellis, uti videri potest in AUTORE *num.* 4.

Menstrua acida fortiora ac generosiora sunt ea, quæ fiunt ex salibus mineralium, v.g. sale communi, ex vitriolo, ex nitro; sale gemmæ, &c. hisque vel simplicibus, vel aqua regia aut aqua forti mistis: Hæc ipsa menstrua acida fortiora & generosa, aliis rebus intactis, solvunt metallorum & mineralium corpora dura. Nihilominus tamen etiam habendus est delectus in mineralium solventium menstruorum acidorum præparatione pro solutione mineralium: In præparatione horum assumitur nitrum & vitriolum, & fit aqua pro solvendis omnibus metallis, excepto auro: si acuatur cum sale, seu principio salino, sive sale communi, sive sale ammoniaco, fit menstruum appropriatum, quod solvit aurum, non vero argentum. Sunt qui faciunt talia menstrua composita pro metallis ex vitriolo & tartaro invicem destillando, quæ menstrua magni æstimantur à quibusdam. CNOEFFELIVS singulare habet menstruum ex aceto destillato & nitro paratum: scilicet destillando spiritum nitri, in recipiente habet certam quantitatem aceti destillati, & in hanc pellit spiritum nitri, rectificat postmodum spiritum una, & ita egregium ac singulare acquirit menstruum. Alia taceo, quoniam satis erunt clara ex lectione chymicorum, imprimis eorum, quæ habet WILLISIVS *in Tract. de Aqua & Igne*, item *de Fermentatione*.

Menstrua urinosa, quia in radice sunt sulphurea, imprimis sulphura eliciunt; unde spiritus vini acuatus cum sale ammoniaco promptius solvit resinas, quam solus sic & sal tartari aliaque fixa salia conveniunt in metallis volatilisandis & potabilibus reddendis. Notum namque est, quod illorum lixivio forti solvatur sulphur communе & aliorum metallorum: ratio declaratur à *POLEMANNO Tr. de sulphure Philosophorum*, ubi dicit: quod *salia fixa sint corpora artificialia, facta in calcinatione corporum ex sale volatili & acido seu sulphure corporum*: Quæ duo invicem sub ignis tortura liquescendo abeunt in tale sal tertium seu fixum alcalicum uti *infra patebit de salibus in genere*. Et propter hanc affinitatem, quâ salia fixa fiunt ab acido sulphureo, possunt solvere sulphura metallica: vid. *citatus POLEMANNVS in citato* parvo, eleganti tamen, & lectu digno Tractatu.

Inter *Menstrua spirituosa* valde usitatus est spiritus vini, sive sit simplex tantummodo rectificatus, sive sit acuatus cum sale tartari, & vocatur *spiritus vini tartarisatus*. Hic spiritus vini, ceu subjectum naturæ oleosæ seu sulphureo spirituosæ, aptus natus est solvere subjecta resinosa & ex iis extrahere Tincturas sulphureas & oleosas. Propterea resinæ & radices resinosæ, in specie vegetabilium purgantium commodissime extrahuntur per spiritum vini, imprimis tartarisatum, ceu optimum menstruum solutivum. Dabo exemplum: Radix jalappæ est talis radix resinosa, quæ si infunditur in aquam vel vinum, nullo modo infusa hæc purgant; quoniam vis purgans consistit in parte resinosa, qua cum sit pinguis & sulphurea, non permittit se solvi à subjecto aquoso vel vinoso: è contra si infundatur in spiritu vini, dicto citius in leni calore extrahitur tinctura rubicunda ex radice jalappæ, ita quidem, ut omnem virtutem purgantem extrahat ex radice, & radix, quæ remanet post extractionē tincturæ vel essentiæ, omni virtute laxativa est spoliata. Ista tinctura per spiritum vini facta, affusione aquæ simplicis præcipitatur in Magisterium, quod est perfecta resina jalappæ, ita ut spiritus, ut dixi, solvat tantum subjecta sulphurea ac resinosa, relinquat autem saccharum. Propterea adhibetur etiam spiritus vini pro extrahendis & resolvendis aromatibus, aut plantis aromaticis, iis scilicet, quæ suaviter olent ac spirant, & saporem subtilem ac penetrantem obtinent, quales sunt omnes *cephalicæ*, & quamplurimæ tantum non omnes *uterinæ* dictæ: Horum enim simplicium vis cum consistat in sale volatili oleoso, & ita quasi in subjecto sulphureo & urinoso, propterea commodum est menstruum spiritus vini pro eorum essentiis aut extractis parandis. Spiritus vini etiam extrahit ex animalibus quibuscunque, sicut ex mumia per spiritum vini extrahitur essentia mumiæ, utut raro adhibeatur pro talibus operationibus spiritus vini, nisi antea per aliud menstruum fuerint corrosa & soluta, & ita præparata, ut à spiritu vini postmodum possint extrahi in quandam tincturam rubram: v.g. in tincturis metallorum, item *tinctura antimonii*. tandem recipitur spiritus vini: pro quo usu spiritus vini interdum acuatur cum sale volatili urinæ, & tunc vocant *spiritum vini microcosmicum*, egregium præbens menstruum tam pro vegetabilibus quam pro animalibus & mineralibus, uti fit imprimis in *tincturis solis*. Quidam faciunt menstruum compositum miræ laudis:

℞. *spiritum roris Majalis*: Huic addunt
℣ *optime rectif.* ana part. æqual.

Et cum spiritu urinæ hæc mutuo uniunt digerendo & cohobando; sic beneficio hujus possunt multa & varia extrahi.

Quod dico de spiritu vini, dictum quoque volo de spiritibus vegetabilium ardentibus, de spiritu baccarum juniperi, &c.

Adhuc loquendum de spiritu terebinthinæ, seu oleo rectificato terebinthinæ: Hoc ipsum, ceu naturæ sulphureo oleosæ, vim habet non contemnendam in extrahendis & resolvendis sulphuribus mineralium tam sulphure communi, cum quo coit in *Balsamum sulphuris*, quam etiam in sulphure antimonii, quod ipsum similiter potest extrahere vel resolvere. Jam in genere inter olea vegetabilium destillata, & inter sulphura mineralium, talis est amica convenientia, ut se mutuo ingrediantur vel se mutuo blande ac placide solvant.

His ita de Menstruis, ceu solvendi & extrahendi mediis præmissis, consideremus ipsas exinde paratas solutiones & extractiones, sub nomine essentiarum tincturarum, extractorum, elixyrium, &c. vulgo notas: utut longe latius campus earum sub consideratione Pharmaceutica se extendat, cum etiam Decocta, Infusa, Aceta Medicata & alia plura sub se comprehendat; quia tamen remedia quædam, speciatim essentiarum & extractorum nomine veniunt, deque iis agere AUTORI placuit, etiam de iis ordiamur; præmonendo essentiam seu tincturam & extractum non nisi consistentiæ ratione differre, ita ut liquidius quid sit, & menstruo plus minus junctum, *Essentia*; si coloratum fuerit, *Tinctu-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1064-4 DFG

Tinctura nomine veniat quod verò, separato maximam partem menstruô, in spissiore relinquitur consistentia, *Extractum* appellari solet, ab extrahendo, quod virtutem concreti extrahat, vel illam extractam contineat: nam *essentiæ* sunt tantum *Extracta liquida*, & *extracta* sunt *essentiæ inspissatæ*.

Parantur essentiæ & extracta ex omnibus trium regnorum subjectis. *Mineralium Extracta* meræ sunt solutiones, de quibus in specie sub unoquoque simplici actum fuit.

Quoad regnum vegetabile; de parandis ex ejus subjectis essentiis & extractis satis accurate agit AUTOR *pag.* 208 *seq.* ita ut pauca quædam ulterius monenda videantur. Interim tamen non quælibet vegetabilia ad extractionem apta sunt, nempe volatiliora, item magis aromatica. Attendendum igitur: *an vegetabile sit fixum? an volatile? an* vero *mediæ naturæ*? Si est naturæ volatilioris, potius destillationi inservit; sin fixioris naturæ, magis Infusis, Decoctis, & extractis; sin vero quasi mediæ naturæ est, essentiæ inde parandæ convenientissima talia sunt. Sic e.g. cinnamomum inservit destillationi vel in oleum, vel mediante spiritu vini in spiritum cinnamomi, & relinquit caput mortuum; sic herbæ scorbuticæ, item aromata & herbæ aromaticæ, minus commode pro extractis, melius pro essentiis inde parandis inserviunt: spiritus vini enim, cum quo communiter extrahuntur, substantiam oleosam volatilem, in qua omnis earum vis consistit, secum rapit sub inspissatione; conf. ZWELFERVS *Pharm. Reg.* 74. ubi talis modi extractis aliquot guttas olei destillati proprii addit. Plantæ diureticæ, vulnerariæ, &c. inserviunt decoctis & extractis; Castoreum autem & crocus in essentiam rectius rediguntur, quia abstractione potius, & extractione non levè virium jacturâ patiuntur, destillatione vero tota crassis non exhauritur; hinc melior est eorum essentia.

Herbarum in genere notetur differētia quod quædam sint magis resinosæ vel magis mucilaginosæ ac succulentæ. Illæ commode spiritu vini & spiritu proprio, prius quasi tartarisato, extrahuntur: Hæ vero succos præbent inspissandos, quæ fere Extractorum nomine veniunt, vel essentiarum: vid. *ANGELVS SALA Tract. de essent. vegetabilibus.* Sed *elegantior parandi hujusmodi Essentias vegetabilium succosas modus* est LUDOVICI, quem insinuat *Pharm. pag.* 246. scilicet additione alcali tartari, vel nitri alcalisati, penetratur substantia gummosa essentiæ extrahendæ, eaq; postmodum quocunq; modo ulterius præparata in quovis liquido solubilis redditur. Abstractio phlegmatis aut menstrui pro extracto spisso optime instituitur in M̄. vel VB, cum igne nudo facile empyreuma contrahat, frequenter tamen in fine agitetur.

Quod si ex hujusmodi essentiis succosis vel extractis ulterius cum spiritu inflammabili essentia liquida paranda veniat, commodissime spiritus proprius, sale alcalino fixo proprio acuatus, recipitur, ut remedium sic evadat eo efficacius qua ratione *ex rob. seu succo sambuci* inspissato v. g. tanquam extracto baccarum, optime cum spiritu florum sambuci, vel cum spiritu ex baccis fermētatis parato, *essentia* extrahitur, egregia diaphoretica, & contra erysipelata; quali ratione etiā *Malvaticum juniperinum* concinnatur. Sic ex succo inspissato per coctionem elicito ex strobilis pini per spiritum strobilorum proprium fit elegans essentia pini antiscorbutica, uti monui de abiete: Sic pro *essentia menthæ vel absinthii* recipiatur horum *succus in extractū redactus*, affundatur *spiritus menthæ* vel *absinthii* per fermentationem paratus, & à *sale suo fixo* aliquoties *cohobando abstractus*, ita hic essentiam egregiam extrahet: conf. *Zwelferus Pharmac. Reg. pag.* 218. Certe spiritus talis à sale fixo proprio abstractus & cohobatus, oleū proprium prompte absorbet & deglutit; quod aliàs spiritus talis simplex non facit. Imo ipsis vegetabilibus extrahendis, v.g. flor. lilior. convallium, affunditur spiritus proprius, qui modus est communissimus; & sic fiunt hodiernæ essentiæ per spiritum proprium, quæ sunt cæteris efficaciores & fortiores.

Vulgares essentiæ parum valent, quia non obtinent totam concreti κρᾶσιν medicamentosam, cum ab adjunctis vulgaribus menstruis plus minus sint alteratæ: v. g. vegetabilia purgantia cum spiritu vini extracta laudem merentur; aliæ tamen nocivæ virtutes intactæ relinquuntur; in aliis vero, ut salvia, &c. spiritus vini totā crasin non extrahit; salina enim intacta relinquitur.

Lignorum & corticum extracta recte in *resinosa* & *viscosa seu mucilaginosa* dividit AUTOR *pag.* 210. *Viscosa* sunt naturæ aqueæ, & eliciuntur vel cum aqua simplici, vel cum aqua aceto acidulata: *Extracta* vero *resinosa* fiunt cum spiritu vini ita ex uno subjecto possunt fieri duo extracta. Utriusque præparationem docet AUTOR, sed conf. hic simul KESLERVS *supra citato loco* ubi alius, isque concinnior, habetur modus: Sic fit *essentia lignorum* ex *ligno guajaco, sassafras, Rhodio & similibus*, per *spiritum fumariæ*; quæ essentia lignorum est egregia sudorifera, conveniens in catarrhis, in specie in lue Venerea, in scabie, & similibus affectibus. Observandum tamen; quod ex lignis istis, è quibus mediantibus menstruis elicita essentia, tinctura, extractum, &c. nihilominus ex capite mortuo commode adhuc destilletur spiritus acidulus.

Aromatā quod attinet *extracta* cū spiritu vini parata hæc facile affusione aquæ præcipitari possunt in magisterium seu resinam, seu substantiam, quæ nucleum aromatis continet, & quæ ulterius destillati olei proprii imbibitione in viribus suis exaltari potest.

Quoad *gummata*, itidē in duplicē resinosam & mucilaginosam substantiam, distinguit AUTOR *pag.* 211. & utriusque præparationem docet; quam tamen videbitis in SALA *c. l. pag.* 39. Interim obiter notetur, quod gummatum substantia medicamētosa pro usu interno in specie in resinosis particulis consistat; unde commode v.g. ex gummi ammoniaco vel galbano, cum spiritu vini tartarisato, aut tinctura tartari, essentia elici potest: sicuti gummata talia resinosa pro usu externo melius solvuntur in terebinthina, quam aceto; qua ratione tacamahaca v.g. facile cum terebinthina subigi & sub emplastri forma applicari potest: confer. ZWELFERVS *Animadv. pag* 129 *&* 385. & in *Append. pag.* 26. Gummata alias extrahuntur & solvuntur per menstrua aquea blande acida, ut vinum, acetum destillatum, &c.

QVINTÆ ESSENTIÆ.

In specie circa *Quintas Essentias* ex vegetabilibus & animalibus parandas solliciti sunt nonnulli, quo nomine alias conjunctio spiritus, olei & salis fixi & volatilis, tanquam Mercurii, sulphuris, & salis, intelligi solet: Modus consistit in fermentatione & putrefactione. De hujusmodi Q. E. parandis vid. BARTHOLINVS *in Act. Medic. Hafniens. Volum.* 1. *Observat.* 134. *p.* 267. *seqq.* ubi simul curiosiora, quoad Antiscorbuticorum præparationem, videri poterunt; & ZWELFERVS *in Pharm. Reg pag.* 217. utut hoc modo totum negotium non absolvatur; cum ista Quinta Essentia sub sui in liquoribus aquosis solutione lactescat, & ita olei ac salis à spiritu separationem & præcipitationem ostendat, cum tamen genuinæ Quintæ Essentiæ in quovis liquido solubiles & undique diffusibiles existant. Certe in vegetabilibus tota eorum crasis in oleo destillato consistit; unde ad hoc annitendum est, ut oleū cum spiritu proprio, mediāte sale proprio rite invicem unian-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1065-9 DFG

uniantur, ut sine separatione promptissimè cuivis liquido miscibiles sint, sicque vim totius medicamentosam nobis promptissimè communicent. Nam utut olea destillata sufficere videantur, attamen concentrata eorundem textura reluctatur multum stomacho, unde ab eorum usu crebri ac diuturni ructus subsequuntur, adeoque nec diffusibilia undique, aut cum fluidis corporis nostri æque miscibilia existunt. Potius ergo cum spiritu vini exacte tartarisato, aut cum tinctura tartari mediante digestione olea destillata ita dissolvenda, & invicem hæc ipsa unienda sunt, ut facilius nobis communicabilia reddantur. Quod si loco spiritus vini spiritus proprius, salque proprium ita cum oleo destillato rite uniantur, non incommode Q.E. locum supplere suo modo poterunt. Spiritus probe rectificatus, si à sale vegetabili fixo probe alcalisato aliquoties abstrahatur, relinquit humidum in sale fixo, & sub forti destillatione hujus prodit aqua insipida: hæc asservata in superficie continet oleum, quod nihil aliud est, quam spiritus inflammabilis in alcali fixo concentratus. Huic spiritui oleum destillatum addatur, & ob alcali exhaustum istud prompte absorbet, & in spiritum resolvit, qui novæ plantæ affusus Quintam Essentiã penetrantissimã constituit.

Circa animalium hujusmodi Quintas Essentias notandum quod sicut oleum vegetabilis debite elaboratum crasin mixti satis bene referat, ita sanè de simplici animalium gelatina hoc non min9 intelligẽdũ venit hæc nempe Essentiæ loco animalium habenda est.

In specie autem AUTOR *pag.* 212. varia extracta officinalia recenset, quæ omnia sunt cognita ex simplicibus; sed monenda quædam; scilicet extracta multa parantur inconvenienter, ut extractum acori, agallochi, &c. si enim inspissentur, magnam volatilium partium jacturam patiuntur. Potius igitur in essentias redigantur; quod & de aromaticis omnibus intelligendum, quo maneant in forma essentiæ.

Extractum aristolochiæ rotundæ radicis optime cum spiritu vini paratur.

Extracta composita ab AUTORE recensita quod attinet occurrit *extractum laudani opiati*, quod *supra habuimus ubi de opio.*

Extracti chalybeati magni num. 2. *pag.* 213. basis est limatura chalybis præparata, è qua spiritus vini nihil extrahet. Potius Extractum Martis cum succo pomorum Borsdorffianorum cætero extracto aromatico composito, cum spiritu vini extracto, sociandum venit, ut obtineatur scopus: vel extractum Martis succo pomorum cum succis vegetabilium subigi posset, sicque fiunt optime extracta composita qui labor melior esset, quam AUTORIS: vel conf. *correctio* HOFFMANNI *in Clave pag.* 83.

Pro *Extracto hysterico num.* 3. Ingredientia rectius extrahuntur beneficio aquæ melissæ, cum sale tartari acuatæ, ubi sal hoc referat claustra vegetabilium, & facit extractiones faciliores: post adduntur myrrha, crocus, & recte quia in substantia optime conveniunt ad effectus menstruos.

In *Extracto matricali num.* 4. *pag.* 214. observandum, quod extractum croci non possit haberi citra jacturã: Fæcula bryoniæ nullius est usus; camphora cum spiritu vini sublimata nulla est, reviviscit enim iterum.

Extractum pestilentiale Tychonis de Brahe nil aliud est quam *balsamus sulphuris juniperinus.* Moneo autem hic quod male omissa sit camphora, quæ in peste primariam habet considerationem. De hinc hujusmodi extracta oleosa aromatica pro peste præservanda non æque conveniunt, potius acida & paulo fixiora locũ habent. Volatiliora autem in curatione optima sunt; in præservatione vero potius utuntur acidis fixioribus convenientibus.

Extractum pulmonum revera nil valet sufficiant ergo sal volatile & oleum.

EXTRACTUM THERIACÆ SEU ESSENTIA.

num. 9. *pag.* 215.

Qvando theriaca beneficio spiritus vini in essentiam aut extractum redigitur, habetur uno nomine extractum aromatico opiatum quo & conferenda sunt ea, quæ supra de spiritu theriacali monui sicut & recte monet AUTOR, quod propter varietatem ingredientium spiritus vini affus9 non possit ex omnibus extrahere virtutes sed vix ex dimidia parte reliquis relictis intactis. Paucioribus negotium potest expediri species theriacales selectiores cum addito opio & debita proportione salis tartari, mediante spiritu vini extrahere in tincturam seu essentiam, quæ inspissatione prompte extractum suggerit. Quæ habet de fermentatione AUTOR, mereantur, quæ legantur.

Usus est anodynus sudoriferus; hinc in agrypniis, febribus malignis dysenteriis malignis & epidemicis extractum hoc est egregium, & satis usitatum medicamentum; ubi tamen ejus loco & in substantia exhiberi potest theriaca.

THERIACA BENEDICTA QVERCETANI.

num. 10. *pag.* 216.

Theriaca benedicta Quercetani propter varietatem ingredientium ita est dispensata, ut diversa ingredientia extrahantur à variis menstruis, &c. Sed vix decima pars hic quid suggerit: Volatilia sunt mixta fixioribus: imo pro dosi una vix hæc ingredientia omnia aliquid conferre poterunt de concretis suis. Loco ergo hujus theriaca diatessaron substituatur.

Hæc de Extractis alterantibus sequuntur

EXTRACTA PURGANTIA.

pag. 220.

Quoad Extracta purgantia, in his omnibus attendendum.

1. *Subjectum extrahendum an sit resinosum? an mucilaginosum?* ubi resinosa v.g. scammonium, colocynthis, &c. per spiritum vini aut alium sulphureum, sed mucilaginosa cum aqua vel menstruis homogeneis aqueis extrahenda sunt, v.g. Senna, rhabarbarum elleborus niger, &c.
2. Ut semper vel menstruum acuetur cum sale tartari, aut nitrum alcalisatum est addendum, ut partim corrigat virulentiam & saporis nauseam in purgantibus, simulque penetret ac dissolvat concretum viscidum resinæ laxativæ, hypercatharseos Autorem. Unde Extracta purgantia propter resinosam substantiam non nihil suspecta sunt ZWELFERO *Pharm. Reg. pag.* 55.
3. Aloë, si ea pro scopo laxativo Extractis addenda, extrahatur menstruo aqueo, v.g. aqua cichorii cum sale tartari acuata; pro scopo vero vel stomachico cum spiritu vini tartarisato eliciatur.

Ex dictis patet male in subsequentibus Extractis AUTORIS plura, eaque diversa ingredientia, tam purgantia quam alterantia, male uno eodemque spiritu vini subinde extrahi, idque sine debita cum addito alcalisato correctela. Rite autem parata meliora sunt quam crudæ pilulæ, inter quæ est extractum catholicum Andernaci, & extractum Panchymagogum Crollii. Hæc ex radicibus vegetabilium per spiritum vini parata propinantur ad ℈j, addito convenienti stimulo, & sic possunt propinari pro pilulis.

Usus Extractorum est, ut.

I. Ex

1. Ex iis fiant pilulæ pro scopo laxativo seu purgante.
2. Ut dissolvantur in liquoribus appropriatis, & ingrediantur potiones, misturas, &c.

EXTRACTUM BENEDICTUM.

Hic error patet, quod nempe senna, agaricus & rhabarbarum uno menstruo extrahi non possint: senna enim & rhabarbarum menstruum aqueum; agaricus vero menstruum spirituosum requirunt.

EXTRACTUM CATHOLICUM
Francofurtense
nro. 2.

Male hic omnia cum spiritu vini extrahuntur, cum aloe hic se offerat, quæ non cum spiritu vini, sed aqua tartarisata extrahi debet pro scopo purgatorio. Qui ergo voluerit tale extractum catholicum, scammonium, colocynthidem, & jalappam extrahat cum spiritu vini probe tartarisato: post radicem hellebori nigri recentem extrahat cum aqua destillata spirituosa anisi, acuata cum sale tartari: post conjungantur, & addito oleo anisi destillato in massam uniformem compingantur.

EXTRACTUM PANCHYMAGOGVM
Crollii.

Recte paratur compositio posterior, modo aloë & helleborus niger rite extrahantur.

CAPUT LIX.
DE
FECULIS.

Fecula ita sunt dictæ quia sunt feces seu residuum iners corporum. Plane nihil valent, unde etiam fere in desuetudinem abierunt. Nam quæ præparantur ex subjectis acrioribus volatilibus, quorum agendi ratio speciatim in sale volatili consistit, ex horum feculis nihil opis expectari potest; hinc fecula ari, iridis nostratis, raphani marini, scyllæ, serpentariæ, &c. nullius penitus erunt usus.

Modum parandi habet AUTOR *noster* Nempe ℞. *radices* quædam quæ farinam absconditam gerunt: v. g. *ari, bryoniæ, Ireos nostratis*, &c.

Ex concisis illis minutissime, & cum *aqua communi* contusis, exprimitur succus per linteum fortissimè: Quod vero per residentiam de succo decantato relinquitur, calore leni exsiccatur, pulvis in fundo remanens dicitur *Fecula*, quæ sane est feculentum remedium.

Ex isto enim succo sal volatile (in quo tota radicis crasis consistit) in expressione & exsiccatione necessario avolat, hinc fecula est insipida, & omnis odoris & virtutis activæ expers, ita ut relicta ab expressione radix majoribus longe virtutibus adhuc polleat, quam tamen tanquam inutile caput mortuum communiter rejiciunt. Imo ipsa radix ari, sale alcali acerrimo prædita, si integra de filo in loco umbroso exsiccetur, parum retinet; unde colligi potest: quid de ejus fecula sperandum sit? LUDOVICI quidem in *Pharm.* & SCHROECKIVS *in defens. Pharm. August. pag.* 502. docent: *non in universum omnes abjiciendas esse nec succos suos adeo orbatos esse*: cum tamen earum ℔j. tantam vim non habet, quam ℥j. radicis earundem crudæ; quicquid enim virium subest, evolat in auras, & cadaver mortuum inerme remanet.

Quoad cæteras feculas, bryoniæ, ireos & pœoniæ etiam fecula ari, ut aliqua salis acris pars gustu perceptibilis remaneat, adeoque aliquantum de concreti crasi retineant, tamen revera pauxillum est; unde radicibus suis pulverisatis non præferendæ sunt, quasi illarum virtutem concentratam magis continerent, ut ideò in minori dosi præscribendæ essent, cum contrarium in fecula bryoniæ, vi cathartica spoliata aliisque jam dictis manifestum sit. Nam radix bryoniæ purgat, & quando expressa est in fœculam, nihil operatur; propterea, quoniam partes volatiles activæ facile exhalant & terra mortua residet in fundo conf. hic contra fœculas agens ZWELFERVS *in Animadvers. in Pharm. August. pag.* 446. & in *Append. pag.* 64. & ANGELVS SALA *ubi de essent. vegetabilium.* Est ergo fœcula nullius usus, utut à multis Medicis præscribatur.

CAPUT LX.
DE
FLORIBUS.

Flores sunt nihil aliud, nisi sublimata in forma sicca: nam in operationibus chymicis, quãdo aliquid sublimatur, in forma humida dicitur destillatum; si in forma sicca, dicitur in specie *Flos*. Sunt ergò *Flores partes subtiliores, quæ igne lento separantur à crassioribus & terrestrioribus, & sublimantur.* Modus in singulis subjectis variat, & alio modo fiunt flores benzoes, alio flores sulphuris, alio alii sublimantur vel per se, uti videre est in floribus antimonii vel sulphuris, vel cum addito, v. g. sale communi, mediante quò etiam Mercurius sublimatur, & in specie cum sale ammoniaco. Sed *de hu suis in locis.*

CAPUT LXI.
DE
GARGARISMATIS, DIACLYSMATIS, & DENTIFRICIIS LIQVIDIS.

Sequuntur nunc *Injectiones quæ in os infunduntur*; Et quidem, quæ vel simpliciter detinentur in ore, vocantur *Diaclysmata*; sin vero non simpliciter detineantur, sed beneficio aëris, ex aspera arteria ex spirati, agitantur, & moveantur, & ita gargarisando usurpentur, tunc vocantur *Gargarismata.* Differentiæ hujus ratio est, quod in angina & similibus faucium inflammatoriis affectibus, gargarisationes non semper sint proficuæ, cum interdum periculosæ, ne scilicet per motum faucium inflammatio ex stagnante ibidem sanguine augeatur & intendatur. Convenientius ergo est, si possumus continere tale decoctum tepide in ore corpore supino, & deinde exspuere, & interdum beneficio syringæ, aut per aliud instrumentum, instituere talem gargarisationem; non vero adeo frequenter.

Hæc raro prostant officinalia, sed magistralia ordinantur à Medicis. Gingivarum & faucium affectibus sunt dicata, idque pro scopo vel adstringendi, vel mundificandi, vel consolidandi, vel resolvendi & attenuandi: frequentius ex decocto herbarum seu foliorum, radicum & seminum, raro ex aliis mixturis conficiuntur. In inflammatione faucium & tonsillarum, & in principio anginæ, recipitur aqua prunellæ, semper vivi, plantaginis, & similes. Præter aquas interdum cum iis sumitur succus quidam, qui cum aquis dissolvitur, & ad os vel gargarisandum, vel simpliciter abluendum adhibetur: ut quando recipitur in inflammatione faucium, una cum aqua prunellæ, succo cancrorum fluviatilium & sedi majoris, ita quidem, ut ad ℔ß aquæ, ℥iij. vel ℥iv. succorum possint assumi; in scorbuto oris pro detergendis gingivis & dentibus, & curandis earundem exulcerationibus, & firmandis dentibus vacillantibus, recipiuntur aquæ antiscorbuticæ. Interdum etiam recipi solet lac pro gargarismate in eluendis oris ulceribus, cum inflammatione cõnjunctis; item in scorbuto oris qui alias frequens malum est & cruentationes in specie vel exulcerationes gingivarum infert.

Talia decocta fiunt ex appropriatis, ut v. g. in principio & progressu anginæ & inflammatione tonsil-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1067-1 DFG

larum ex resolventibus & discutientibus, in statu vel suppuratione anginæ, aut statu inflammationis tonsillarum, ex emollientibus & suppurantibus, in ulceribus oris & faucium, in ulceribus columellæ ex detergentibus & consolidantibus, & similibus aliis.

In his liquoribus, sive sint aquæ, sive succi, sive decocta, dissolvenda etiam veniunt appropriata: sic v.g. in inflammatione faucium convenienter dissolvitur vel nitrum antimoniatum, vel nitrum bene depuratum, ita quidem, ut in ℔j Decocti vel liquoris dissolvatur ʒß ad ʒj, & raro plus sæpius etiam dissolvitur rob nucum & rob diamorum, uti superius monui, in ℥viij vel ℔j istorum liquorum, horum rob ℥j ad ℥ij interdum etiam dissolvitur alumen ustum in talibus liquoribus appropriatis, sed in parva admodum dosi, propter vim nimis adstrictoriam: ita ut ad ℔j liquoris vix ultra ℈j adsurgere liceat. In talibus liquoribus in inflammatione faucium & ariditate linguæ, & cum iisdem conjunctis febribus malignis, convenientius dissolvitur sal ammoniacum, ita tamen, ut ad ℔j liquoris injiciendi vix ultra ʒj adscendere liceat. Non raro etiam mel solet dissolvi in talibus liquoribus, imprimis in exulceratione faucium, ubi opus est detersione ulceris, ut in aphthis & similibus: Hujus in ℔j liquoris commode ℥ij vel ℥iij possunt dissolvi: cum melle interdum aliquot guttulæ spiritus salis sunt addendæ liquori in os injiciendo, idque imprimis in ulceribus oris & faucium scorbuticis.

Exempla talium Injectionum in os habebimus *in Colleg. Formular.* Præscriptiones in AUTORE non sunt inelegantes, sed satis clare ac accurate descriptæ, & merentur, quæ videantur.

Num 1. & 2. *Diaclysma apophlegmatizans* habet quod est egregium in dolore dentium loco cujus:

℞. *fol. nicot.* Mj.
herb. beton.
majoranæ, ana Mß.
rad. pyrethri ʒij.
zedoar. ʒj.
sem. sinapi ʒiß.
Coqv. in s.q. ▽*æ* & *vini* in vase clauso colatur: ℥ix
adde
syrupi nicot. ℥iß.
M. D. S.

Abziehend Mund-Wasser.

Dosis est tantum, quantum os capit, & in affectibus capitis à lympha oriundis egregie convenit.

Habet etiam AUTOR *num.* 2. *Diaclysma refrigerans* ex *cancris vivis*, & *sedo majore*; quod est egregium in prunella febrium ardore & squalore faucium ac linguæ, & similibus in febribus acutis contingentibus pathematis: Exprimitur ex his succus, qui in ore detinetur & gargarisatur. Adhibere etiam possumus in inflammatione & exulceratione in febribus malignis.

Loco *Diaclysmatum ad gingivas num.* 3. & 4. experiemur in putredine aut etiam gangræna incipiente gingivarum scorbutica est hoc, quod sequitur, factum ad imitationem *Tincturæ Laccæ Mynsichti*:

℞. *Lap. medicament.* ℔Croll. ʒj.
▽*æ cochlear.*
sedi min. ana ℔j ad ℔iß.
Coqu. & col. colaturæ infund.
flor. aquileg. p. iij.
g. laccæ ʒiß.
alum. usti ℈j.
stent in infuso per 24. horas, postmodum filtrentur,
D. S.

Zahn-Wasser.

Commendatur valde, & singularis est effectus in affectibus gingivarum & dentium scorbuticis.

Loco *Diaclysmatis* seu *Gargarismi anti scorbutici, Sam. Closii num.* 5. *pag.* 225. simplicius contra scorbutum oris potest fieri;

℞. ▽*æ cochlear.*
nasturt.
sedi minor. ana ℥iij.
℞ *laccæ* ʒß.
flor. aquileg. ʒij.
syrupi flor. aquileg. ℥iij.
M. S.

Wasser gegen die Mund-Fäule.

Hoc in casu etiam solum lac sufficere potest pro eluendo ore, ubi tamen & lac medicatum paratur: v.g.

℞. *herbæ cochlear.*
salv. ana M. iij.
Coqu. in s.q. *lactis* vel *seri lactis*: colat. ℞. ℔ij. add.
succi cochlear. rec. ʒij.
syrupi flor. aquileg. ℥iv.
Misc. pro *gargarismate.*

Quod assumptum aliquandiu retineatur in ore.

Similes effectus habet nasturtium, si coquatur in vino, una cum floribus ligustri, addito vel etiam admisto tantillo aluminis; tale enim decoctum dentes mirabiliter juvare dicitur.

In inflammatione faucium, item in aphthis faucium in prolapsu & affectibus uvulæ, in incipientibus anginis & inflammationibus tonsillarum & fere gangrænosis catholicũ, si non in omnibus, tamẽ in quamplurimis affectibus faucium potest esse tale:

℞. *herbæ prunellæ*
salv.
veronicæ,
fl. rosar. rubr. ana M. ß.
malvæ arbor. Mj.
rad. polypod. querc.
semin. sinapi cont. ana ʒij.
Coqu. in
▽*simpl.* ℔ijß.
aceti vini ℔ß.
ad casum transversi pollicis: cola cum levi expressione colat. adde
sacch. vel *mell.* ℥iij.
vel horum loco
rob dianuc. ℥ij.
diamor. ℥j. M.

Prodest in omnibus affectibus faucium, imo in ulceribus faucium & tonsillarum, ubi opus est consolidatione.

DIACLYSMA APOPHLEGMATIZANS. *num.* 7.

Apophlegmatismus est remedii formula, destinata ad derivanda phlegmata ex glandulis oris, aut certè iis, quæ sese in os exonerant, unde in genere dicuntur *Apophlegmatismi*. Quando enim vel glandulæ palatinæ in summitate palati vel glandulæ sublinguales in radice & lateribus linguæ, vel etiam glandulæ parotides juxta aures, succum salivalem non sufficienter in os infundunt fit, ut lympha restagnans in partibus capiti vicinis, aut etiam in ipso capite corrumpatur variè, ac varios affectus inducat. Ne ergo vel talis lymphæ salivalis fiat stagnatio, vel ut lympha ista promptius & copiosius eliciatur, propterea inventa est remedii formula, quam vocant Apophlegmatismum; aliàs in specie fere *Caput purgium* vocari solet.

Hic Apophlegmatismus in genere vel est siccus vel liquidus: *Siccus* in specie vocatur *masticatorium*, de quo *juxta ordinem* AUTORIS *capite peculiari suo loco* dicendum & usurpatur, ubi ex partibus tantummodo oris elicienda est lympha. *Apophlegmatismus* verò *liquidus* seu *Gargarisma apophlegmatizans* est nil aliud, quam

quam decoctum seu Gargarisma, paratum ex paulo acrioribus irritantibus, vellicantibus & stimulantibus palatum & partes vicinas; unde etiam adhiberur pro faucibus & uvulæ glandula (nam uvula est glandula membrana obducta) vel in tonsillis aut vicinis glandulis expurgandis & irritandis. Uterque operatur, quatenus ingredientia sunt acria penetrantia, & ita irritantia: quando enim talia in ore detinentur, tunc fit, ut eorum sal volatile acre hinc inde palatum pungat, vellicet & irritet, aut etiam partes vicinas; unde fit, ut ex tali irritatione copiosus lymphæ derivetur affluxus ad os in fauces. Unde iis, in quibus caput fauces aut etiam partes colli teneriores, in specie tonsillæ, sunt gravatæ copiosa lympha crassa ac spissa, aut etiam alio quodam liquore aquoso & seroso, in iis conveniens est maxime apophlegmatismus ad derivandum in os humorem istum lymphaticum. Hinc non tantum præservant odontalgias, tonsillarum inflammationes oris aut etiam uvulæ exulcerationes; sed propterea etiam valde commendari solent in apoplexia præmissis universalibus, in affectibus senum catarrhalibus, & aliis.

Huc referendi sunt

LIQVORES FRICANDIS DENTIBUS, GINGIVISQVE DESTINATI, seu DENTIFRICIA LIQVIDA.

nro. 7.

Pro dentifriciis in forma liquida sunt aquæ usitate accipitur aqua quædam appropriata, v. g. aqua ligustri & aqua cochleariæ, prunellæ, plantaginis, vel bursæ pastoris, &c. & talis aqua acidulatur cum sufficienti quantitate spiritus cujusdam mineralis acidi, v. g. spiritus sulphuris, nitri, salis, &c. Quod si adhuc requiritur gratia coloris, tingenda est aqua cum tinctura aquilegiæ, quæ in specie in scorbuto oris est appropriata, aut tinctura rosarum. Tali aqua fricantur & abluuntur dentes, quæ fricatio & abluitio non tantum adjuvat ut sordes detergantur beneficio spiritus acidi detersivi, sed adhuc tales quoque aquæ acidulatæ adstringunt valde ac firmant dentes, & eorum vacillationem aut casum præcavent. Quidam spiritum vitrioli commendant sed caute, imo rarissime, est usurpandus, propterea quoniam, demonstrante TACHENIO *in Hipp. Chymico*, potius denigrat dentes quam dealbat: ratio, quoniam in omni spiritu vitrioli est adhuc aliquantulum de metallo, quod tantillum percipiatur circa dentes, ubi admovetur, & ita denigrat illos. Subsistendum potius est in spiritu salis, quo acidulanda est aqua appropriata, quoniam valde convenit sed lenissime necesse est, ut acidulentur tales, propterea quoniam nimio usu stuporem dentibus inducunt, aut etiam eos corrodere possunt. Pertinet huc etiam sal ammoniacum in tali aqua appropriata dissolutum pro dentifricio liquido, quæ aqua dissolutionis salis ammoniaci valdè confert in fœtore oris ex fœtore dentium, si tali aqua dentes abluantur post cœnam & prandium, & est valde egregium remedium.

Ulterius ad talia Dentifricia liquida pertinet imprimis *Tinctura Laccæ Mynsichti* expertissima contra scorbutum oris, etiam in gangrænam degenerantem. Ubi non semper haberi potest talis tinctura, tantummodo recipiatur sal alcali, v. g. sal tartari, vel cineres clavellati, dissolvatur tale sal in aqua appropriata, & fiat instar lixivii liquidioris: in hoc lixivium debite infundatur gum. Laccæ, & exinde lixiviũ apparebit eleganter rubicundũ addatur tantillũ aluminis, & postmodũ filtretur qui liquor filtratus est elegantissimũ in quam plurimis dentium affectibus, in specie in scorbuto oris, in quo non habetur par ipsi remedium.

Non raro etiam nudi succi vegetabilium expressi usurpantur pro Dentifriciis liquidis: sic v. g. usitatissimum est in scorbuto oris accipere succum nasturtii & cochleariæ, & eosdem diluere cum succo beccabungæ; & his invicem mistis solent fricari & abstergi dentes.

Imo fiunt etiam destillata pro dentifriciis liquidis: v. g. ex salvia & floribus ligustri fit egregium dictum dentifricium, cui si adsit scorbutus, permiscendus est spiritus cochleariæ ad debilem acrimoniam: si adsunt ulcera oris & gingivarum, miscendum aliquid mellis rosati pro detersione; si adsunt ulcera rebellia in ore, tunc dicto huic addenda veniunt folia plantaginis, & postmodum cum melle rosaceo dissolvendæ aliquot guttulæ spiritus vitrioli vel salis ad subtilissimam aciditatem: quoniam hæc valde abstergunt & detergunt ulcera eademque mundificant.

Talia liquida Dentifricia etiam non raro sunt acetum, scilicet non adeo acre, infusione herbarum appropriatarum impræg̃natum: & sæpius usurpatur acetum tale in dolore dentium, si scilicet aceto infundatur radix bistortæ, l. pathi acuti, iridis Florent. Cum cypero aut floribus rosarum cum persicaria & similib. Acetum tale detinetur in ore, & fricantur dentes ad detergendas aut abstergendas sordes, & dolorem sedandum.

Phlegma aluminis vel solum vel affusione cujusdam liquoris appropriati impræg̃natum, elegans est ad firmandos dentes vacillantes: Nasturtium decoctum in vino & gargarisatum dentes vacillantes firmat, & etiam fœtorem corrigit: Ruta in vino cocta similiter convenit contra cariem dentium, etiamsi ea sit ex scorbuto.

CAPUT LXII. DE GELATINIS.

GElatinæ parantur vel ex *fructibus* non nimis succulentis vel ex *partibus animalium durioribus*.

Quoad *prius* fructuum nempe gelatinas exprimitur succus, clarificatur & coquitur; quales sunt v. gr. gelatina cydoniorum, pomorum, pyrorum, ribium, &c. & quæ per se sine sacchari additione non consistunt: reliquis fructibus non necessario addendum est saccharum; si his addantur pulveres laxativi, fiunt *Gelatinæ laxativæ*.

Quoad *posterius*: ex partibus animalium durioribus cornubus atque ossibus raspatis, substantia mucilaginosa cum aqua simplici decoquendo elicitur: quæ quia in loco frigido sponte congelascit, nomen Gelatinæ accepit: & hoc modo fit Gelatina C.C, cranii humani, priapi cervi, &c.

Duplex autem Gelatina in officinis prostat: vel simplex, vel acida. Posterioris ratio est, quod Gelatinæ per se facile corrumpantur & mucescant: ne ergo hoc fiat, aceto impræg̃nant, vel in eodẽ ipso coquunt, vel liquor nunc in decoctione, nunc post colaturam impræg̃natur s. q. spiritus vitrioli; sic enim gelatina acquirit saporem acidulum; sed male, quia ratione acidi substantia ejus alteratur & invertitur, atque effectus impeditur. Usurpetur ergo Gelatina recens per se parata: Si tamen gelatinas acidas reddere placuerit, modus sequens est elegans sit v. g. *Gelatina C.C. composita acida*:

℞. *ras.* C. C. ℔ß.
sem. anisi ℥iij.
cinnam. opt.
macis
nuc. Moschatæ ana ℥ij.
cardamomi,
caryophyll. ana ℥iß.

Contund. & misc. in mortario, indantur cucurbitæ alembico suo munitæ, affundendo

℞ *succi citri rec. dep.* ana ℥xvj.

Coquantur ad quadrantem horæ: coletur per linteum & purgetur ab excrementis; post addantur.

sacchari albi ℥iv.

Colatura congelata erit *Gelatina acidula aromatica* suavis pro usu stomachico in febribus.

Huc etiam pertinet ZWELFERI *Gelatina caponin & antiphthisica*: de quibus vid. *Pharm. Reg. pag.* 86. & 239.

Interdum liquori post colaturam additur tinctura santali rubri, tornæ solis, tinctura florum bellidis, &c. & sic gelatina coagulata apparebit rubra, & dissecta in frustula imposita in scatulam ligneam, transparebit instar rubini.

Gelatinæ hæ animalium videntur maximam partem eadem substantia, quæ alias in destillatione sub forma larvata spiritus salis volatilis, & olei prodit, quæ tunc coquendo in aqua soluta frigore denuo concrescunt in formam & consistentiam spissam. Constant adeoque gelatinæ rore seu succo glutinoso nutritivo, copioso sale volatili imprægnato; hinc sunt adeo analepticæ & nutritivæ. Unde etiam cum cineribus ossium vel C. C. usto mistæ Gelatinæ per retortam destillatæ, sal volatile & oleum præbent: hinc etiam ossa & cornua, ex quibus gelatinæ fuerunt extractæ, si destillentur, parum vel nihil salis volatilis suppeditare dicuntur. Par ratio etiam est de C. C. aliisque ossibus animalium, sine igne seu philosophice calcinatis, quod multum de viribus amittant, quantum scilicet aqua elicere potuit; adeoque vix quartam partem salis volatilis, ac ante calcinationem, exhibere solent; unde optime sub usu iisdem sal volatile C. C. additur, ut quasi denuo animentur.

Quoad *usum Gelatinarum*, sane sunt egregie nutritivæ seu analepticæ, temperativæ acrium quorumvis humorum, & propter sal abundãs volatile refrigerativæ. Diu asservari nequeunt quin fœtidæ fiant, unde recentes usurpandæ, vel additione aceti plus minus à facili corruptione præservandæ, quæ tamen acidæ gelatinæ, ut supra dictum, minus valent.

Sub usu prius in cochleari ad candelam diffluat, ut ita liquefacta potui ordinario infundi possit pro suis operationibus, ad quas conferunt. Dosis est ab ℥j ad ℥j vel ℥iij. Non raro etiam solent permisceri Julepis & potionibus: e.g. sit *Julepus* præscribendus *in febre maligna cum convulsionibus.*

℞. *decocti rad. scorzon.* ℥viij.
in quo dissolv.
gelatinæ cran. humani ℥ß. vel ℥vj.
℞ *fl. pæon.* ℥ij.
(vel *hujus* & aquileg. ana ℥j.)
♃ ⊕*li philosoph.* (vel quod melius ♃ ⊕*li volat.* seu *cephal.*) parum.
Misc. pro Julepo.

In specie

GELATINA CYDONIORUM.

Convenit in affectibus intestinorum & stomachi: imprimis post pastum usurpata conveniens est ad roborandum stomachum, & impediendas phlogoses, quæ solent interdum suboriri, & faciem rubificare.

GELATINA POMORUM.

Convenit pro dissolutione in potu appropriato in affectibus melancholicis.

GELATINA PYRORUM.

Convenit fere cum gelatina cydoniorum in affectibus ventriculi & intestinorum.

GELATINA. C. C.

Diaphoretica est, in febribus ardentibus, infantum præprimis, convenit, & morbis malignis, ubi opus est expulsione, & blanda corporis ad diaphoresin dispositione. Præterea valde convenit hæc gelatina in diarrhœa & dysenteria epidemica maligna, in potu dissoluta; imprimis in diarrhœa epidemica, in qua valde conducit.

Post gelatinam cornu cervi solet etiam prostare in officinis.

GELATINA CRANII HUMANI,

Eodem modo præparata atque gelatina C. C. Hæc valde convenit in febribus malignis cum convulsionibus epilepticis, aut ipsa epilepsia conjunctis, quales sunt variolæ in principio ante eruptionem. Convenit etiam in aliis capitis affectibus, in specie in dysenteria prodest, utpote in qua rasura cranii hominis, violenta morte interempti, singulare est experimentum adsistendum fluxum dysentericum.

In quibusdam officinis solet prostare.

GELATINA EBORIS,

Quæ convenit, ubi opus est corroboratione, & sanguinis craseos restitutione. Item dissolvitur in potu ordinario mulierum, fluxu albo laborantium, uti etiam dissolvitur in potu eorum, qui laborant fluxu sanguinis epatico.

CAPUT LXIII.
DE
INFUSIONIBUS.

DE his sufficienter *cap.* 49. egi: Nunc post decocta officinalia sequuntur Infusa officinalia, in quibus Infusis species infundendæ adsperguntur non raro uti superius monui, cum spiritu appropriato, item tinctura appropriata, pro affectu à Medico destinato.

Quoad *Infusa Autoris nostri*, parum monendum restat:

Num. 1. *pag.* 227 *Infusio Cholophlegmagoga* se offert, ubi agaricus male in aquis destillatis infunditur, quia substantia ejus est resinosa, quæ in spiritu vini, aut alio menstruo spirituoso, sale tartari acuato, infundenda est.

VINUM ARTHRITICUM.

Porro *vinum arthriticum*, præter plantas appropriatas, lignum guajacum, & viscum quercinum continet, quæ certissimè per fermentationẽ vim exerunt: sic vinum infusionis gvajaci in morbis venereis chronicis & vitiis lymphæ multum valet.

VINUM PURGANS.

num. 5.

&

CLARETUM LAXATIVUM.

num. 7. *pag.* 228.

Male semen Carthami, jalappa turpethum & mechoacanna, infunduntur cum aliis in vinum, ceu menstruum aquosum: quod ipsum ex his subjectis resinosis nihil extrahere solet.

Ad Infusa hæc, sed mediæ quasi texturæ, inter Decocta & Infusa sunt Fermentata, cum fermentationis motu penitus reseretur concretum illud, & quasi occulte decoquatur, absque tanta volatiliorum sulphurearum particularum jactura, unde & cerevisiæ & vina medicata exsurgunt. Parantur tunc species medicamentosæ, vel sumantur simplicia, quorum virtutibus volumus imprægnare vinum, partim eadem incisa injiciuntur, partim in nodulo laxiore inclusa in mustum infunduntur, musto fermentanti, aut in nostris regionibus septentrionali-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1070-6 DFG

onalibus cerevisiæ, vel sub decoctione adduntur, vel eidem decoctæ, dum ad fermentationem se disponit, infunduntur, ut ita beneficio fermentationis ipsorum simplicium mistionis vinculo soluto, eorum virtutes medicinales impregnent vinum, & cum eodem intime & arctissimè se uniant, uti notum est in vino absinthite, in vino cochleariæ, & aliis vinis medicatis, tam simplicibus quam compositis.

Pro paranda cerevisia medicata cōvenientissimum est ut una cum lupulo recipiantur plantæ medicamentosæ, eæque lupulo commistæ una coquantur: & ita postmodum istud decoctum per fermentationem, dum fit cerevisia, habebit simul ingredientium virtutes medicinales; sicut communis cerevisia in se complectitur virtutes lupuli. Quod si adhuc fortiorem volumus parare cerevisiam medicatam, præter talem decoctionem etiam tunc temporis, quando jam cerevisia incipit fermentare in cadis majoribus, **in den Büttgen**/vel quando jam cerevisia inclusa est suis vasis, possumus infundere adhuc vel simpliciter, vel nodulo ligatas species medicinales, dum fermentatur cerevisia, ut ita generosior & efficacior fiat *cerevisia medicata*.

Tales potus medicati sunt convenientissimi pro usu quotidiano in morbis chronicis contumacioribus: sic vinum absinthites & cerevisia absinthiaca conveniunt in scorbuto, cacheziis, malo hypochondriaco, & similibus affectibus quorum radix solet esse in stomacho & primis viis; & observatum, vinū & cerevisiā absinthiacam simul blandū & suavē inducere somnū.

Cerevisia rorismarinata convenit mulieribus in earum affectibus: *Vinum florum acaciæ* valdè convenit in purificanda & depuranda massa sanguinea: *Vinum cochleariæ* convenit iis, qui laborant scorbuto, aut affectibus propius ad scorbutum accedentibus, quales sunt hypochondriaci: *Cerevisia scolopendriata*, **das Hirsch Zungen-Bier**/ conducit in morbis chronicis spleni vulgo attributis, quartana ictero nigro, hypochondriaco affectu, & similibus aliis.

In hoc ipso negotio omnes reliquas nationes superant Angli in conficiendis cerevisiis medicatis; hi ipsi enim habent cerevisiam cochleariæ egregii saporis, & elegantem in scorbuto, quo alias eorum regio epidemice est infecta; item habent cerevisiam paratam cum radice chinæ, quæ est potus usitatus iis, qui laborant lue venerea & catarrhis, ratione ingredientis ligni sassafras: habent cerevisiam medicatam cum corticibus citri & limonum, quam usurpant in morbis malignis, & similibus, ubi vires sunt deperditæ & prostratæ.

HELMONT in suis scriptis præcipit, ut fiat nodulo ex cinnabari antimonii vera, ista scilicet, quæ paratur ex vero sulphure antimonii (præparationem docet TACHENIUS *in Hipp. Chymico*) cum Mercurio vero antimoniali: Hæc nodulo inclusa si infundatur in cadum vini vel cerevisiæ, singularem virtutem & efficaciam medicinalem communicari illi exiisdem asserit, uti *videri potest in scriptis*.

Faciunt huc & alia fermentata artificialia, in quibus speciatim excellit SALA *in Saccharol. pag.* 168. ubi speciatim liquores florum fermentati medicinales elegantes *P.* 1. *cap* 7. 8. & 11. Sic pariter ex aliis vegetabilibus fermentando potus vinosi fieri possunt: Sic ex passulis & succo pomorum Borsdorffianorum invicem fermentatis fit elegans potus vinosus alterans instar vini Malvatici, ad compescendum æstum in febribus continuis:

℞. *Passul. min.* ℥xv.

Hæ ipsæ bene abluuntur contūduntur, & infunduntur in *aquæ fontanæ pura* ℔iv. adde ♃i *albiss.* ℔ß.

In cucurb. vel vase terreo, vel stanneo immittuntur MB. & per horas tres blandæ macerationi committuntur ad dissolutionem tartari post removeantur ab igne, & in nodulo infundatur fermenti pistorii quantitas castaneæ in loco moderatè calido per diem & noctem, fermentet, & post exponatur in cellam, vel alium locum frigidum, & intra tres vel quatuor dies est potus gratus instar musti.

Usus est in febribus ardentibus, in æstu corporis alterando, tabidis & phthisicis, aliisque morbis chronicis & contumacioribus, uti dixi de succo pomorum Borsdorffianorum. Potio magis medicamentosa fit, si infunduntur sub fermentatione hydropi, phthisi, mensibus, aliisque affectibus mulierū magis specifica.

Sic *ex passulis* & saccharo affusa s. q. aquæ per fermentationem fit suavissimum *Vinum instar Petri Simonis*.

Cæterum talia vina & tales cerevisiæ medicatæ non possunt fieri, nisi ab iis qui habent occasionem hæc ipsa parandi propterea usitatum jam est, ut ex tempore fiant vina medicata, infundendo simplicia vegetabilia super vinum, ut per digestionem vinum impregnetur his ex simplicibus, & ut quotidie semel vel bis accipiatur bonus haustus; de quibus *plura in Colleg. Form.*

CAPUT LXIV.
DE
JULEBIS & MORETIS.

SEquuntur Julebi quando scilicet Mistura dilutior rubicunda præscribitur pro usu continuando, in specie in febribus ardentibus benignis & malignis. Scopus est temperandi sitim & æstum. Loco potus ordinarii sæpe præscribuntur; in alium tamen usum apud veteres. Cum enim in locis meridionalibus potus ordinarius sit vinum, in septentrionalibus cerevisia; uterque vero (1) in malignis morbis fit fermentativus, & augeat ebullitiones (2) sit gravis stomacho, ut non facile possit concoqui, & stomachi insuper vis debilitata, propterea loco potus ordinarii præscribitur Julepus ad hæc, ut sitim compescat, ebullitiones sedet, & blande refrigeret. Est itaque Julepus genus potionis, quod præscribi solet pro aliquot dosibus, ut non seu raro mensuretur dosis certa, sed ad ℔j vel ℔iß præscribuntur, ut exinde hauriat æger quantum placet. Unde quoniam debet propinari ægris, ut exinde reficiantur, propterea nihil admiscendum est, quod sit ingratum gustui, sed ex gratioribus & suavioribus debet componi. *Exemplum* esto *Julepi in febribus malignis* pro temperando æstu atque siti:

℞. ▽*a simpl.* ℔iß.
vini Rhenani ℥ix.

Mistis his adde

pomum citri dissect. & nonnihil expressum.
gelat. C. C. rec. parat. ℥ij.

M. f. *Julepus.*

Observandum hic:

1. Vinum omnibus febricitantibus necessario dari.
2. Gelatinam his per se misceri non posse, nisi super carbones in cochleari teneatur; ita enim dissolvi, & misturæ addi potest.

Talis Julepus servat corpus in diaphoresi, nec stomacho nocet propter vinum, & gelatina est appropriata.

Julepis autem pro corpore ordinario inservit aqua, vel vulgaris vel appropriata medicata, nunc decoctum vel alterans usitatum, vel decoctum hordei, vel simplex vel cum C. C. &c. His postmodum saporis & coloris gratia ordinario adduntur dissolvenda ut syrupi & succi, nunc cōjunctim, nunc verò separatim:

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1071-2 DFG

deinde adduntur ratione coloris tincturæ officinales usitatæ, & in fine spiritus imprimis minerales, sive sit salis sive nitri, sive vitrioli, dosi indeterminata, sed additur tantum q. s. pro grato acore vel sapore plus minus, prout jam dissoluta ingredientia fuerunt, vel magis vel minus acida. Et hi spiritus interdum sumuntur absolute acidi interdum præscribuntur cum spiritu vini dulcificati qui modus posterior præferendus priori; quoniam non excedunt tales spiritus dulces, sed sunt temperati hique adduntur propter majorem alterationem. Proportio est talis, ut ℔j corporis aquei respondeant syrupi ℥ij, & succorum ℥ij, tincturæ ʒij vel ad summum ʒij, spiritus q. s. pro grato sapore & hæc proportio valet, si conjunctim misceantur cum syrupo; sin vero seorsim, augeatur eorum dosis.

Ut rem declarem per exemplum: sit v.g. præscribendus Julepus in febre ardenti simplici hoc modo:

℞. ▽ *a font.* vel etiam *Decocti alterant. usit.* (quodcunque libuerit) ℔j.
succi berber.
ribium ana ℥j.
℞ *flor. rosar.*
violar. ana ℥j.
syrupi acetos. citri ℥ij.
♃ ☉ *vel* ☾ *li* q. s. pro grato acore,
M. D. S.

Kühl-Julep auf etliche mahl.

Aliud *exemplum julepporum* præscribendorum *in febre maligna*, in qua corpus est disponendum ad lenem sudorem vel diaphoresin, & etiam interna malignitas appropriatis compescenda: v.g.

℞. *decocti C.C.* vel *simpl.* vel *cum rad scorz.* ℔j.
succi citri rec. expr. ℥ij.
syrupi rubi idæi
acetos. citri ana ℥vj.
♃ ☉ *i dulc.* q. s. quo grato sapore,
M. f. Julepus
D. S.

Starck und austreibender Julep auf etliche mahl.

Plures formulas, earumque pro varietate morborum variandi modos, videbitis in *Colleg. Formular.*

Hoc loco examinandi veniunt Julebi AUTORIS, in quibus in genere parum monendum saltem addendæ Ræ florum, sic fiunt elegantiores, & magis grati.

In specie *num.* 1. Male decoctum C.C. usti recipitur cum ex hoc nil possit elici: potius rasuræ C.C. decoctum sumatur; hoc enim gelatina ejus imprægnatum, egregium est corpus pro pluribus Julepis.

Num. 3. *Aqua* seu *Decoctum hordei* veteribus frequentissimo in usu, non adeo crebro amplius adhibetur; propter sui enim eruditatem stomachum turbat, flatus generat, ejusque tonum non leviter laxat.

Prostant nonnunquam in officinis quidam *Julepi* extemporanei, qui vocantur *Julepus violaceus*, rosaceus, sambucinus, &c. qui sunt aquæ istorum simplicium, q. sacchari edulcoratæ: & usurpantur tales Julepi in officinis prostantes loco edulcorationis aliarum potionum.

Quod attinet *Moretos pag* 230. apud nos non sunt in usu, ut apud Francofurtenses und in dem Reiche. Sunt potus vinosi compositi, seu vinum, in quo pro basi dissolutum rob diamorum, cum vel sine saccharo paratum; cui & species aromaticæ solent addi. In usu sunt gravidis ad roborandum fœtum & uterum, ne abortus sequatur. Nos præscribimus vina aromatica,

CAPUT LXV.
DE
LAPIDIBUS.

Lapidis vox plurium significationum est: in genere, quoad sensum chymicum, est omnis res fixa, sicca non evaporabilis: sic excellit in specie lapis mineralis Philosophorum, ad cujus imitationem & aliæ particulares tincturæ lapides subinde dicuntur, ut v.g. *Lapis Ignis Basilii Valentini.*

Lapis vegetabilis clare satis ab AUTORE est definitus: est nempe Quinta ejus Essentia in forma sicca. Par ratio est *lapidis animalis* ex principiis animalium in sicca forma conjunctis.

LAPIS CORROSIVUS.
num. 1. *pag.* 231.

Conficiuntur *lapides corrosivi* nunc ex alcalibus fixis, nunc ex acidis: Illa minus tuta sunt; diffluunt enim facile ab humore per cutim transpirante dissoluta, ac ita inæqualiter corrodunt, nec semper in loco debito escharam inducunt. Acida ergo hodie sunt usitatiora, quæ inter excellit *Lapis Infernalis* dictus, ex luna nempe paratus.

LAPIS
seu
MAGNES ARSENICALIS.
num. 2.

Nobilis hic admodum est propter arsenici correctionem, ac nobilem ejus usum. *Primus* AUTOR est ANGELUS SALA *in Anat. Vitriolis pag.* 381.

℞. *arsen. albi*
♁ij.
♃*is* ana part. æqual.
♃ liquefiat in ponte in tigillo cui addantur ☌ & ♁ pulveris. & agitentur probe donec consistentiam instar terebinthinæ acquirant.

Sed observanda probe est encheirisis in ejus præparatione: ut nempe, ubi omnia liquefacta fuerint, paulo diutius in igne asserventur; sic enim elegantior & instar vitri tincti apparebit Magnes. Convenit egregie in tumoribus malignis, bubonibus & anthracibus pestilentialibus, pro eliciendo veneno adeò ut pars nigrescat, & crusta decidat, quo facto illius residuum, facillime consol datur per balsamum sulphuris: hinc basin constituit nobilissimi *Emplastri magnetici arsenicalis* contra tumores pestilentiales ANGELI SALÆ, cujus usum per experientiam comprobatum videbitis in BARBETTE *Descriptione Pestis, ubi de Bubonibus.* Egregius pariter hic lapis pulverisatus est amuleti instar appensus in morbis contagiosis ac peste ipsa pro præservatione corporis: Sic pariter pro fonticulis absque dolore inurendis egregius est hic lapis. Hic scilicet solus, vel cum dimidio terræ vitrioli dulcis, terebinthina exceptus, applicatur loco; sic eschara sine dolore excitabit. AUTOR est ANGELUS SALA: conf. etiam *Exegesis* TENZELII *super Salam pag.* 680. *num.* 3. 4. *seqq.* Idem Magnes Arsenicalis est mirabilis in sphacelo & gangræna in separanda parte putrida & corrupta à sana sine dolore & sine ferro & igne.

Sequuntur plures *lapides medicamentosi pag.* 131. & 132. Sed in omnibus ferè res eo recidit saltim quod variata sit ingredientium proportio: Nempe basin constituunt *nitrum, alumen, cerussa*; quibus subinde alia adduntur: hinc compendiosam hujus lapidis medicamentosi præparationem vid. in LUDOVICI *Pharm. pag.* 793. Sed elegantem compositionem videbitis in *du* HAMEL *de Affect. Corporum pag.* 408.

Usus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1072-8 DFG

Vsus in genere est saltim chirurgicus, siquidem exsiccant & adstringunt validè; hinc in ulceribus manantibus, excoriationibus partium profundioribus, in Erysipelate, serpiginibus, &c. applicatur pars talis lapidis in aqua communi soluta cum linteo multiplicato. Absorbet nempe acidum, talium pathematum autorem, firmat fibras, ut roboretur pars adstringit poros, ut ita successivè curentur tales affectus.

CAPUT LXVI.
DE
LIQVORIBUS PER DELIQVIUM.

Liquores dicti in officinis, uti sunt *liquor* coralliorum, perlarum, crystallorum, &c. ex concretis terreis, & quasi alcalinis, in aceto solutis evaporando ad siccitatem redactis, & hinc in aëre frigido & humido, v.g. cella, per deliquium in liquorem solutis parantur; quali ratione dixi de terra sigillata, quod præparetur *liquor stypticus Prævotii.* Solent etiam à quibusdam vocari hi liquores olea per deliquium, quo nomine specialiter venit *oleum tartari per deliquium*, seu *sal fixum in liquorem dissolutum in loco frigido & humido.* Liquores coralliorum, perlarum, lapillorum cancrorum, &c. remedia sunt unius ejusdemq; naturæ & essentiæ: unus valet tantum quantum valet alter; & tantum valet liquor lapillorum cancrorum, quantum valet liquor perlarum: Non ergo tanti sunt pretii, quin extemporanea mixtura longe commodius præparentur ac dispensentur. Conveniunt alias in sanguine congulato dissolvendo unde conducunt in casu ab alto, & similibus. In specie liquor coralliorum valde convenit pro compescenda ebullitione variolarum, & promovet earum expulsionem: pro quo usu hujus liquoris coralliorum guttæ 20. ad 30. propinantur infantibus in liquore appropriato, vel etiam instillatur s. q. hujus liquoris in potum infantum: in principio variolarum sedat ebullitionem, uti dixi, & etiam excretionem promovet.

LIQVOR ARSENICI.

Commendatur in cancro, & exulceratione imprimis mammarum, in qua ipsa tamen caute necesse est, ut applicetur: in quo casu ipsi à quibusdam præfertur liquor calcis vivæ; qui liquor alias vocatur.

LIQVOR AD ULCERA.

Et describitur ab AUTORE *nostro.*

Hic liquor ad ulcera egregiè convenit contra serpigines & contra lichenes. Potest prius ante fusionem in cella elici spiritus salis ammoniaci volatilis, qui cum calce vivâ paratus admodum est elegans ex capite mortuo postmodum potest extrahi sal, quod liquescit in cella in liquorem.

LIQVOR CRYSTALLORUM.

Commendatur in calculo, & morbis nephriticis & urinariis.

LIQVOR SATURNI.

Est saccharum saturni resolutum, seu oleum Saturni. Convenit imprimis ad usus externos, tam ulcera inflammata, vel inflammationes ulcerum, quam in usum cosmeticum pro tollendis nævis & maculis.

OLEUM TALCI.

De *oleo Talci* suo loco dixi, quod nondum verum sit repertum. Huc pertinet.

LIQVOR LUMBRICORVM.

Ex lumbricis, longa digestione in liquorem resolutis tota enim substantia lumbricorum in liquorem dissolvitur, solis relictis pellibus vacuis, qui liquor destillatus dat egregium spiritum, uti *suo loco dixi.*

Pelles vero istæ, si dejiciantur in locum fœcundum in hortum vel pratum, in copiosos abeunt lumbricos.

LIQVOR MYRRHÆ.

Liquor myrrhatus fit ex myrrha, ovo elixato, exempto vitello, indita; sic enim liquescit in oleum in cella. Est egregium cosmeticum contra rugas seniles, item quod implet foveas post morbillos & variolas.

LIQVOR LITHONTRIPTICVS COMPOSITUS.

Liquores nephritici dicti non rejiciendi, quin vi egregia polleant. Aliquot horum præparationes dedi superius, ubi de lapidibus non pretiosis. Præ aliis elegans & non minus efficax fit oleum lithontripticum ex calce viva cum spiritu salis; sic enim fit liquor per deliquium: si nimirum liquefacta & coagulata in crucibulo igne forti ponantur in cellam: ibidem enim dissolvitur in liquorem magnæ laudis in calculo.

CAPUT LXVII.
DE
MAGISTERIIS.

Magisterii vox multas habet significationes in Alchymia; datur enim magisterium magni lapidis; sicut etiam *Quintæ Essentiæ* vocantur *Magisteria*, olim in magno habita fuerunt pretio, quæ hodiè maxime evituere, dum per Magisteria nil aliud insinuatur, quam remedium in pulveris forma ex præmissa corrosione aut solutione, per subsequentem præcipitationem, aut alium similem modum, separatum denuo, in sicca consistentia usurpandum: v.g. ut vulgare dem exemplum: si recipiantur corallia & solvantur in quocunque liquore acido, solutum filtretur & præcipitetur injectione cujusdam alcali, v.g. olei tartari p.d. vel injectione lixivii, tunc enim corallia à menstruo soluta præcipitantur in fundum, & pulvis præcipitatus dicitur *Magisterium*; quod separatur per filtrum à liquore supernatante & postmodum crebrioribus abluitionibus in aqua communi edulcoratur, & tandem exsiccatur. Magisteria ergo constant duplici præparatione:

1. *Solutione corporis,*
2. *Soluti corporis præcipitatione.*

Præcipitatio solutioni videtur contraria: nam sicut solutio est absorptio & imbibitio objecti solvendi, facta à menstruo solvente; ita præcipitatio est separatio particularum solutarum objecti soluti ex menstruo solvente; Et quoniam ista separatione partes separatæ imprimis cum impetu ad fundum secedunt, propterea vocatur Præcipitatio, & quidem Præcipitatio totalis: sin vero partes solutæ non separantur ad fundum, sed tantummodo aliquantisper extruduntur è poralis menstrui solventis, cujus signum est, quando liquor antea perspicuus fit opacus vel coloratus, tunc vocatur Præcipitatio particularis. Dabo exemplum: in solutione perlarum seu coralliorum cum aceto destillato ex affusione vel spiritus vitrioli vel olei tartari per deliquium præcipitantur perlæ seu corallia ad fundum, & est perfecta seu totalis præcipitatio. Verum si fiat solutio radicis jalappæ in spiritu vini, & affundatur aliquantulum aquæ simplicis, non vero sufficiens ejus quantitas; tunc liquor rubicundus & perspicuus subito pallescet & albescet, fitque opacus, quoniam fit præcipitatio aliqualis, non vero perfecta seu totalis; sed tantummodo partialis.

Funda-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1073-3 DFG

Fundamentum omnis *præcipitationis* consistit in duobus: nam præcipitatio fit, vel quoniam menstrui pori sunt nimis angusti, aut propter repletionem, aut propter constrictionem, ut non possint amplius continere particulas corporis soluti; vel ado modo fit præcipitatio propter gravitatem particularum solutarum, quas non potest amplius in se continere liquor, de singulis dabo exempla: nam scilicet v. g. quædam sunt essentiæ vegetabilium, quæ in loco calido eleganter sunt perspicuæ, tenues ac coloratæ; sin vero exponantur aeri frigido, fiunt turbidæ, crassæ & opacæ: propterea; quoniam calor attenuaverat poros menstrui, ut perfectè in se absorpserat particulas soluti corporis; in frigore vero subit adstrictio pororum, quibus adstrictis, particulæ solutæ aliquantisper extruduntur, & sic fit *præcipitatio particularis*. Aliud exemplum quoad *repletionem pororum*: si solutioni veneris in spiritu nitri factæ injiciatur lamina Martis tunc præcipitabuntur particulæ venereæ ad fundum; propterea, quoniam spiritus nitri, dissolvens laminam Martis injectam, imbibit particulas ferri corrosas, quæ particulæ ferri corrosæ replent poros spiritus nitri, & ita ista repletione extrudunt particulas veneris metallicas. *Propter gravitatem præcipitationis* dabo exemplum: si lacti injiciatur acetum tunc ex subita coagulatione ad fundum secedit pars caseosa: ratio, quoniam acetum sese conjungit cum particulis caseosis, & facit, ut se invicem amplectantur, quo amplexu unitæ fiunt graviores, ut non amplius possint contineri in liquore antiquo, vel in lacte.

Hæc in genere de Præcipitatione. In specie solutio facta per aquam aut menstruum aquosum raro præcipitatur, nisi sponte fiat separatio per exhalationem menstrui aquosi.

Extractiones vel solutiones factæ per spiritus inflammabiles, v. g. spiritum vini, olea, præcipitantur imprimis per injecta aquosa; uniunt enim se prompte particulæ aquosæ cum spiritu vini, ut ex ista impletione pororum spiritus vini particulæ solutæ præcipitentur, sive totaliter sive partialiter. Multi addunt aquam, vel acetum, vel succum citri, vel aliquem liquorem certum acidum, ut promptius procedat talis præcipitatio solutionum per spiritum vini factarum & fiunt præcipitata resinosa.

Possunt præterea solutiones per spiritum vini factæ præcipitari per spiritum urinosum, spiritum urinæ, spiritum salis ammoniaci, quoniam partes aquosæ horum spirituum se uniunt cum spiritu vini, & sic fit præcipitatio essentiæ.

Ea quæ sunt *soluta per alcalia, præcipitantur per acida*: & contra omnia, quæ sunt *soluta per acida, præcipitantur per alcalia*, sive sint volatilia, sive fixa: v. g. esto solutio perlarum ex quocunque liquore acido, sive vegetabili, sive minerali ex vitriolo: Huic solutioni si instillentur quæcunque salia fixa, vel in aere dissolutum oleum tartari, sive instilletur spiritus urinæ, sive spiritus sanguinis humani, tunc prompte præcipitabitur solutio facta per acida econtra si per lixivium forte extrahatur sulphur antimonii, vel solvatur commune sulphur in tali lixivio forti, tunc aspersione cujuscunque acidi prompte sulphur extractum & solutum præcipitatur ad fundum: & quidem tales præcipitationes factæ ex acido, v. g. citri, &c. cum oleo tartari similibusque alcalicis semper fiunt cum effervescentia, quoniam ista salia arctissimo amplexu se uniunt, & istâ unione fit extrusio particularum solutarum cum tali effervescentia.

Porro istæ *solutiones factæ per acida debilia, præcipitantur per acida fortiora*: sic v. g. solutio lapillorum cancrorum facta cum succo citri, cum aceto, &c. præcipitabitur prompte per spiritum vitrioli, vel oleum sulphuris destillatum per campanam. Singularis est antipathia, quam habet sal commune cum nitro; omnia enim quæ sunt soluta à nitro, præcipitabuntur à sale: sic v. g. si solvatur argentum in spiritu nitri rectificato, vel etiam in aqua forti; tunc in solutionem injiciatur sal commune, vel spiritus salis, confestim præcipitabitur ad fundum argentum. Idem è contra facit nitrum sali: sic v. g. butyrum antimonii, quod est solutio antimonii cum spiritu salis, præcipitabitur infuso spiritu nitri in *Bezoardicum minerale* sicque in similibus: & nihilominus tamen hoc singulare est, quod spiritus nitri, si debeat solvere aurum, necesse sit, ut rectificetur à sale communi, ut fiat aqua regis: alias hic spiritus nitri nequaquam potest solvere aurum, & spiritus nitri ita fortificatus cum spiritu salis, ut solvat aurum, ineptus postmodum evadit ad solvendum argentum cum tamen spiritus nitri, antequam permisceatur cum sale, optime solvat argentum. Plura qui cupit, videat ROLFINCIUM & WILLISIUM.

Magisteria quod attinet; parantur ex trium regnorum subjectis, mineralis, vegetabilis, & animalis.

Ex mineralibus frequenter Magisteria in spiritu nitri, aqua forti, & aqua regia, aliove simili menstruo acido solutis, & alcali quodam contrario præcipitatis, conficiuntur, uti v. g. in auro fulminante evidens est: vel in spiritu salis solutis cum spiritu nitri præcipitantur, ut Bezoardicum minerale ex butyro antimonii edocet: vel in aceto destillato, aut spiritu viridis æris, aut spiritu salis solutis, cum spiritu vitrioli præcipitatis, ut in magisterio butyraceo plumoso vel resolubili coralliorum.

Sed circa hæc notandum:

(1.) Plurima eorum obtinere hinc vires suas medicamentosas multiplices, ut in auro fulminante, v. g. quoad epilepsiam puerorum; Bezoardico minerali, quoad vim alexiteriam, diaphoreticam &c. manifestum est.

(2.) Plura eorum ex cohæsione salium, tam solventium quam præcipitantium, cum corpore soluto indeque nata nova textura, novas operandi vires acquirere, ut in auro fulminante apparet cujus vis fulminandi simpliciter artis effectus est.

(3.) Quædam illorum effœta penitus, & ceu calces cum salibus compositæ, nil operativa existere, ut in magisteriis coralliorum, lapidum, nec non animalium magisteriis &c. evidens ratio est; quoniam pulveribus semper adhærent menstrua corrosiva, uti etiam liquores, cum quibus præcipitantur; adeo ut nunquam, etiamsi centies repetatur edulcoratio, possint salia acida à magisteriis separari. Ab his in præparatione magisteriorum simplicia à menstruo omnino invertuntur, & aliam acquirunt naturam: v. g. si consideremus magisterium coralliorum, magisterium perlarum, ac in genere omnia mineralium ac animalium magisteria, tunc videbimus in præparatione, quod ex effervescentia menstrui acidi ingens excitetur ebullitio, & impetuosa effervescentia, eaque fit propterea, quod menstruum acidum concurrat cum particulis alcalibus, ac sale volatili simplicis solvendi; ex concursu menstrui cum simplici fit pulvis salsus, aut potius calx quædam remanet insipida: & ex concursu salium in omni liquore perfecte solutorum, conjun-

conjungunt se fortiter acidum cum parte volatili simplicis, & abeunt in tertium salsum indigestibile, ac indissolubile in corpore humano aut si solvantur neque tamen absorbet, neque aliquid aliud operatur, propter combinationem menstrui cum simplici. Nec est, quod solubilibus aliquam hic tribuere velimus prærogativam saturata enim cum sint acido, adeoque sic solutum cum præcipitante in concretum quasi salsum tertium coaluerit, manifestum est non adeo insignem medicam energiam exinde expectari posse.

(4.) *Magisteria solubilia abstractitia*, per spiritum æruginis parata, plus habent sub se & in recessu: sic spiritus æruginis solvit, perlas corallia, &c. sine insigni reactione & effervescentia, imprimis in perlis abstrahitur quoque spiritus hic in eodem acore & pondere à perlis, ac fuit affusus, & sic in fundo residebit Magisterium sine præcipitatione, quod postmodum edulcorandum: spiritus vero æruginis abstractus denuo potest usurpari pro pluribus aliis solutionibus, quoniam parum aut nihil de ejus viribus solutivis perit: secus fit in omnibus aliis menstruis, quæ patiuntur jacturam, quoties aliquid solvunt. Ut tamen plane & in totum separetur menstruum, impossibile est, semper de acido quod concreti naturam mutat, & alcali volatile saturat, aliquid adhærret. Quod vero pondus maneat, ratio est, quia dè corpore solvente in tantum est absorptum, quantum acidi in eo remansit. Potest ergo hæc solutio certo modo toleari; sicut & ea, quæ cum succo citri parantur Magisteria, aliqualem usum habent.

Quoad *vegetabile regnum*: duplicia hujus sunt Magisteria:

1. *Resinosa* dum extractiones & solutiones cum spiritu vini, tanquam menstruo sulphureo, ex subjecto similiter sulphureo factæ & filtratæ, mediante aqua communi præcipitantur in pulverem; ratio est hæc, quod aqua diluat spiritum, & partes resinosæ cum sint oleosæ, incommiscibiles sunt cum aqua, eaque propter in fundum secedunt, qua ratione ex aromatibus, item benzoe, succino, jalappa, scamonio, aloë & similibus Magisteria parabilia sunt, quæ nil aliud sunt, quam resinæ subjectorum, adeoque olea quasi destillata in forma sicca; unde etiam concretorum suorum vires fere æmulantur, ut in Jalappa Benzoë, &c. manifestum est.

Quidam recipiunt aromatum resinas, impræguant oleis destillatis propriis: v. g. Magisterium piperis oleo proprio piperino, Magisterium ex mace oleo destillato macis, &c. impræguant, & Magisteria hæc possunt admitti in usu Medico.

Sed rarius talium Magisteriorum apparatus & usus, cum commodius sub tincturæ seu essentiæ forma exhiberi soleant, quam in forma resinæ. Nam longe plus operatur essentiæ jalappæ ℥j, quam Magisterii jalappæ ℥j; olei cinnamomi gttuaj plus operatur, quam Magisterii cinnamomi ℈j.

2. *Non resinosa*, ad imitationem *Magisterii petroselini Mynsichti pag.* 41. paranda ex rhabarbaro, gratiola, majorana, rore marino, petroselino, salvia, mentha, & similibus aliis vegetabilibus oleosis, & fortiter olentibus. Nempe in lixivio, facto ex sale tartari, herbæ leniter exsiccatæ infunduntur: post lixivium filtratum præcipitatur injectione aluminis pulverisati; alcali enim solvens in lixivio liquefacit resinosam vegetabilis substantiam, quæ ab acido aluminis cum alcali se jungente denuo extruditur, & in pulverem Magisterii præcipitatur. Modum quoque videbitis in ZWELFERI *Mantissa spagyr.* & ROLFINCII *Chymia*.

Sed hic observetur: quod simul ab alcali ex alumine præcipitetur ejus terrea substantia, quæ cum Magisterio vegetabili se jungens, illud non levi adulterio inquinat. Adhæc cum vegetabilia plurima inepta sint, ex quibus tale præparetur Magisterium, & si quid ex iis præparatum fuerit, hoc vix concreti crasin perfecte seu integre contineat, quin eadem vel decoquendo, vel alio modo extrahendo melius obtineri queat, ob id nullius usus hactenus fuerunt hæc ipsa Magisteria.

Animalium Magisteria sunt vel *præcipitata* vel *abstractitia*: *Illa*, dum solutio per acida facta, præcipitatur vel alcali, sive fixo sive volatili, vel ab acido spiritu vitrioli. Sed utraque sunt calces terreæ; illa quidem subsalsæ; hæc vero styptica, nullius positivæ, talibus scilicet concretis in recessu alcalinis, proprie convenientis efficaciæ. Sub solutione enim animalium partes cum menstruo effervescunt, quod innuit pugnam acidi cum sale volatili, qua in aliam naturam mutatur & alteratur tota textura concreti; post additur alcali separatim junctum, hinc impossibile est, ut acidum solvens & alcali præcipitans exacte possint separari. Patet hoc ex pondere: plus enim ponderant Magisteria post edulcorationem, quam primò ipsum corpus ante corrosionem: v. g. si recipiat quis ℥iv. Cornu Cervi præparando exinde Magisterium, hoc tunc aliquot drachmarum pondere excedet ℥iv, idque propter salia tam menstrui solventis, quam liquoris præcipitantis, Magisterio pertinacissime adhærentia. Instar igitur calcis mortuæ sese habent Magisteria hoc modo præparata, quia corpus alcalinum saturatur ab acido, ac sub præcipitatione ex concursu acidi & alcali salsum tertium calci forme inde emergit, quod fermentum ventriculi non amplius potest dissolvere: propterea licet vel 100. ℔ assumantur Magisteriorum, sine omni tamen efficacia excernuntur, sicut fuerunt assumpta. Nec est, quod objicitur, posse ex ipsis magisteriis, C. C. ungulæ alcis, cranii humani, &c. denuo recuperari sal volatile; si scilicet magisterio tali cum spiritu vitrioli præcipitato & edulcorato addatur ana alcali cujusdam fixi, & destilletur per retortam: sic enim sub ignis concremation alcali se jungit cum particulis menstrui acidis, & successivè adscendet sal volatile. Verum paucem est salis volatilis, & vix decima pars, quam ante solutionem & præcipitationem elici potuisset, cum reliqua ejus pars ab acido enervata atque fixata sit. Adhæc, utut arte hac ratione possit recuperari aliquantillum salis volatilis, requisita tamen ista, alcali fixum & ignis rigor deficiunt in corpore nostro, unde nec effectus speratus inde sequitur.

Abstractitia Magisteria sunt ea, quæ minus proprie ita dicta: cum v.g. à C.C. dentibus apri, spiritu nitri solutis idem spiritus simplici abstractione, & hinc sedula cum aqua communi edulcoratione, denuo separatur: conf. LUDOVICI *Pharm. pag.* 294. & 314. vel quando spiritus æruginis affusus mandibulis lucii piscis, aut lapidibus marinorum corrosione facta dimittit pulverem, ita ut spiritus decantatione ac pulveris residui edulcoratione, obtineatur Magisterium. Sed ut taceam sub solutione ista ab acido crasin & texturam concreti ita immutatam esse, ut multum à nativa dote hinc necessario deficiat; saltem impossibile est, penitus menstruum acidum solvens adeo separare, quin

multum ejus, insensibiliter licet, in concreto remaneat, indeque alienas vires acquirat, ut magis diaphoretica sint abstractitia hæc Magisteria, quam illa præcipitata.

Quibusvis ergo animalium Magisteriis longe anteferenda erunt præparata simplicia: sic dens apri præparatus potest in plevritide præferri Magisterio dentis apri: cranium humanum nude præparatum potest in epilepsia præferri Magisterio cranii humani, & sic porro: uti hoc demonstrat GLAUBERUS *in scriptis*, & ZWELFERUS *in Append. ad Animadv. ad Pharmac. Augustanam.*

CAPUT LXIIX. DE MASTICATORIIS.

M*Asticatoria* ita dicuntur, quoniam dentibus conteruntur, & quasi masticantur: vocantur etiam *Apophlegmatismi sicci*, quorum primarius usus est ex glandulis oris copiosam derivare salivam: quando enim glandula sublinguates in radice & lateribus linguæ, vel etiam glandulæ parotides juxta aures, succum salivealem in os non sufficienter infundunt, fit ut lympha in partibus capiti vicinis, aut etiam in ipso capite restagnans, varie corrumpatur, ac effectus varios inducat.

Ne ergo lympha salivalis in vasis & ductibus suis stagnet, pro promptiori & copiosiori ejus evacuatione inventa sunt Masticatoria, quæ operantur, quatenus acrimonia sua glandulas dictas irritant unde copiosus lymphæ affluxus ad os & fauces derivatur; præprimis si concurrat motus oris masticatorius per affrictionem partium ad se invicem, quo per continuam agitationem glandularum parotidum per maxillas, ubi inseruntur, valde promovetur, & istius lymphæ salivalis valdopere augetur affluxus. Mösträt hoc nobis mulierculæ, quæ linis dant operam: hæ enim ut proventum habeant lymphæ, pro irrigatione leni filorum solent masticare crustas panis bene induratas, quæ cum sint duriores & renitentes, & hinc necesse sit, ut volvantur in ore beneficio istius motus copiosam solent promovere salivam.

Componuntur triplici imprimis ratione ex Morello, uti etiam experientia, & consuetudine:

1. Ex radicibus paulo acrioribus, quales sunt v. g. radix pyrethri, quæ est primaria; radix angelicæ, acori, cyperorum, gentianæ, galangæ, Zingiberis; item cortices aurantiorum. Talis modi radicis frustulum præscribitur vel masticandum ad quadrantem vel dimidium horæ; vel præcipitur prius, ut talis radix infundatur & maceretur in aceto, & ita macerata hoc modo masticetur pro augmentanda salivatione. Ad has ipsas radices commode potest referri nicotiana præparata eo modo, pro ut per tubulos solet hauriri: si enim frustulum tali modo præparatæ nicotianæ detineatur in ore masticetur aut conteratur dentibus, mirum est, quantus soleat procedere affluxus, modo observetur, ne tantillum deglutiatur de saliva; quoniam aliàs propter nicotianam graves vomitus ac sedes concitat: & cum hæc nicotiana præterea, uti notum est, sit narcotica, & dolores potenter compescat, propterea in dolore dentium talis nicotianæ apophlegmatismus est valde conveniens, quoniam elicit lympham acidam corrosivam dentium dolorem inferentem, & præterea virtute stupefactiva dolorem sedat. Alio modo sola Mastix præcipitur, ut agitetur in ore: hæc enim valdopere convenit in elicienda tali pituita salivali.

Hic usitatissimus est modus præscribendi & ordinandi Masticatoria.

Præterea tamen etiam

2. In usu est, ut res tales acriores modo nominatæ pulverisentur grosso modo, qui pulvis ad ʒij vel ʒß præscriptus, excipitur mastiche dissoluta in vase calido; vel excipitur cera, & fiunt pilulæ majores, & globuli, aut etiam trochisci, magnitudine & pondere avellanæ: ex quibus unus præscribitur masticandus, in ore bene volutandus, & saliva deinde expuenda. Talis pulvis etiam potest excipi convenienter syrupo aut melle, & ita sub forma electuarii præscribi; de quo electuario contineatur in ore quantitas dimidia nucis castaneæ, subinde hinc inde volutando.

Vel denique

3. Tales *pulveres permisti cum pulvere mastichis invicem includuntur in parvum nodulum*, qui nodulus masticandus postmodum venit, & ista masticatione saliva promovenda.

Ut exemplis res fiat clarior, sit

1. Apophlegmatismus secundum primum modum:

℞. *radic. pyrethri in aceto macer.* ℥j.
℞. *rad. Zingib.* ℥j.

D. S.

Wurtzel in Mund zu nehmen.

℞. *cort. aurant.* ℥j.

s. dicto modo.

Sed hæc tarò ita præscribuntur, potius præcipitur à Medico, ut excipiantur eorum pulveres debito modo:

℞. *rad. pyrethri* ʒj.
Iliior convall.
sem. sinapi ana ʒß.
cardamomi
cubebar. ana ℈ij.

c. s. q. *mastich.* & *cera liquef.* f. Pastilli s. Trochisci mansiles

S.

Mund-Küchlein.

Item.

℞. *mastich. el.* ʒij.
rad. pyrethri ʒj.
sem. sinapi,
cardam.
cubebar. ana ℈j.

c. s. q. *rob. passul.* vel *mell. anthos.* vel *mellis anacard.* (quod est valde acre) f. Electuar.

D. S.

Lattwerge in Mund zu halten auf etliche mahl.

Tertio denique modo:

℞. *rad. angel.*
pyrethri ana ʒj.
cort. aurant. ℈ij.
mastich. el. ʒß.
galangæ,
zingib. ana ℈j.

Excipiantur linteo forti, f. nodulus vel cum vel sine stylo

D. S.

Püschlein zu Kauen.

CAPUT LXIX. DE MORSULIS & ROTULIS.

M*Orselli* sunt *Electuaria solida*: recentiores vocant *Morsulos* AUTOR cum veteribus *Tabulas* quoniam species seu pulveres tanquam basis excipiuntur s. q. sacchari

sacchari soluti & coctione inspissati, quod in figuram quadratam scinditur ita ut quantitas morselli sit ʒj vel ʒij.

Cæterum præter pulveres etiam alia ingredientia permiscentur, quæ in Electuariis præscripta fuerunt: sic adduntur etiam usitate conservæ ac condita, uti etiam confectiones officinales appropriatæ. Commodè etiam permiscentur amygdalæ dulces, item nuces pinearum, & pistacionum: discinduntur minutim, & ita adduntur pro confortatione & nutritione in Morsulis analepticis.

Pro scopo Medici fiunt vel *alterantes*, vel *purgantes*; & quidem purgantia sunt supputanda secundum doses, & propter hanc dosium rationem etiam præscribenda est quantitas sacchari. Observetur hic *Nota prima* AUTORIS, ubi recte præcipit, ut in purgantibus loco sacchari recipiatur manna, quæ per se saporem dulcem habet; unde merito substituitur sacchato. Rarissimè autem præscribuntur Morsuli purgantes, quia non adeo tutus est eorum usus, propter pulveres laxantes non ita æqualiter divisibiles; quin unus Morsulus plus, alter minus participet de iisdem, adeoque diversimode operentur. Potius boli vel pilulæ pro iis adhibentur: interdum tamen coactus Medicus aliquid tentare potest.

In proportione pulveris ʒj respondet conservæ vel conditi ℥j. Proportio sacchari raro aut nunquam præscribitur, sed tantum, quantum sufficit, innuitur: nihilominus tamen sacchari quadruplum aut sextuplum solet præscribi.

Post præparationem solent illini oleis, aut adspergi spiritibus & essentiis appropriatis, juxta *notam quartam* AUTORIS; si enim hæc, ut & Moschus, in principio addantur, evaporat vis integra, unde saltem illinantur iis, vel ultimo permisceantur.

Inter *Morsulos Alterantes* in officinis usitati sunt.

MORSELLI DE CITRO.

Quos describit AUTOR *pag.* 237. Elegans hæc compositio est, quæ propter gratum saporem & odorem omnino se commendat: possunt tamen his addi simul flores citri conditi, item oleum citri ritè destillatum, & cum ambra & Moscho acuati nam sic magis confortativi erunt, & oleum istud valde confert in peste.

MORSULI PECTORALES. F. F.

Conveniunt in tussi ex lympha acri, in raucedine & asperitate faucium; item conveniunt in curandis tabidis & phthisicis.

MORSULI POST PASTUM,

Quos describunt *Augustani*, & *alia Dispensatoria*, in usu sunt, ut assumantur pro provocanda coctione, & etiam pro sistendis ructibus.

SACCHARUM ROSATUM TABULATUM.

Commisceri solet cum aliis pulveribus ratione rosarum cor & ventriculum robotare, & appetitum excitare dicitur.

MORSULI DE DIAGRYDIO seu LAXATIVI.

num. 3.

Hic repetenda, quæ *de Morsulis purgantibus supra dixi*. Præ cætetis tamen *compositio hæc* AUTORIS, quo simplicior eo melior, & concinnior. Augeatur cremor tartari ad ℥j, & cum reliquis debitè misceatur; AUTORIS enim dosis nimis exilis est in respectu reliquorum. Pro delicatulis egregii sunt, & satis efficaciter purgant.

MORSULI DE MECHOACA. F. F.

Conveniunt pro expurgandis humoribus crassis & pituitosis in ventriculo ac intestinis stabulantibus supputanda est dosis ingredientium purgantium, & tunc facilè patebit, quantum sit de iisdem præscribendum.

Pertinent huc *Morsuli* satis famosi *Comitis* à PAPPENHEIM, qui valde commendantur ad stimulandam venerem, qui sunt tales:

℞. *sem. herniar.*
urticæ,
anisi,
fœnic.
pastinacæ ana ℥ß.
far. cicer. alb. ℥ß.
nucl. pinear.
amygd. dulc. ana ʒij.
carn. scinci mar.
cinnam.
galangæ,
caryophyll.
cardamomi,
croci,
piperis ana ʒiß.
moschi Alexandr.
ambræ gris.
troch. Galliæ moschatæ ana ʒj.
diasatyr. ʒiß.
sacch. albi in ▽ *rosar. soluti* ℔ij.
f. l. a. Morsuli

Dosis ʒj.

Rotulæ in specie sunt parvi orbiculi, & simpliciter præscribuntur ex pulveribus & extractis, interdum etiam ex solis oleis, sacchato, in aqua appropriato dissoluto & rursus inspissato. Vicinæ & cognatæ sunt morsulis, nec ab his differunt, nisi figurâ externâ; raro quoque grossiora ingredientia solent ingredi, unde recte dicit AUTOR, quod pulveres pro morsulis sufficiant grosse pulverisati; pulveres vero pro rotulis subtilissimè sint pulverisandi.

Modus præscribendi hic est:

℞. *pulv.* p. j.
sacch. p. iij vel iv,

Saccharum in aqua appropriata dissolutum inspissatur in consistentiam rotularum, hinc adduntur pulveres, & effunduntur in rotulas, post oleo appropriato irrorantur. Dissolvitur etiam in succis acidulis, pro rotulis e. g. berberum in succo berberum vel in succo citri, vel ribium, & sic fiunt Rotulæ, vel morsuli sub acidi, elegantis saporis & coloris, ubi observanda *nota* AUTORIS, quod saccharum cum succis acidulis non coquendum, sed proportionata mixtione blando calore dissolvendum.

Paucæ prostant in officinis, & parum habent in recessu.

ROTULÆ MANUS CHRISTI *simplices & perlatæ.*

Serviunt tantum pro edulcoratione juleporum aut Potionum perlatarum: à quibusdam etiam solent permisceri inter pulveres pro conciliandâ gratia saporis.

ROTULÆ DIATRAGACANTHI.

Commendantur contra tussim; sed necessum est, ut recentes sint præparatæ.

ROTULÆ SULPHURIS PECTORALES,

Quas describit AUTOR *pag.* 238. sunt egregiæ in affectibus pectoris. Commendantur etiam in peste,

pro quo scopo possunt subigi cum Extracto angelicæ, oleo destillato angelicæ & zedoariæ, & ita fiunt Rotulæ pectorales antipestilentiales.

ROTULÆ INFANTILES LAXATIVÆ.

num. 2.

Egregia & elegans est compositio pro scopo purgandi ad affectus abdominis infantum, imprimis si lumbricis laborent iidem, ab acido corrumpente lac oriundis: imo pro stomacho confortando ob confectionem alchermes, in specie autem propter jalappam & Mercurium dulcem in verminatione conveniunt: & quoniam cum vermibus sæpè conjuncta est epilepsia, additur cranium humanum, quod ab illa liberat: accedunt margaritæ præparatæ, quibus tamen optimè alia substituuntur, quæ acidum absorbent.

Rotulæ alias purgantes raro præscribuntur, quia sub distributione specierum variat dosis.

Pertinent huc *Rotulæ bibitoriæ Dodonæi*, iis in usu, qui potu delectantur:

℞. *piper. longi,*
albi
nigri ana ʒß.
zingib.
galangæ,
cardamomi,
cubeb. ana ℈j
nuc. mosch.
macis ana ʒj.
cinnam.
caryophyll.
rad. ari,
pimpinellæ ana ℈ij.
sem. anisi,
fœnic.
anethi,
carvi,
petrosel. ana ʒij.
coriandri ʒß. ad ℥vj.
c. f. q. *sacchari albi*, vel *candi in* ▽ *carminat.*
Dronerellis, vel ▽ *menth. solut.* q. f. *Rotulæ.*

D. S.

Küchelgen.

quæ ante potum deglutiuntur: mire acuunt sitim, & adjuvant hoc artificium, ut vomitus facile excitari possit.

Monendum hic est de formulis ejusmodi saccharatis, quod eædem nimis frequentes fuerint apud veteres sub tenebris ignorantiæ pyrotechniæ. At vero suspectæ admodum hæ sunt propter abundantiam sacchari, cujus nimia quantitas ægris omnibus non æque convenit: præprimis scorbuticis, cachecticis, hypochondriacis, hystericis, & colicis admodum hostile est. Ad hæc saccharum nocivum stomacho turbat digestionem & apepsiam infert. Cum alia igitur elegantiora sint cognita, rarius ejusmodi Rotulæ, Morselli, & alia saccharata præscribi solent. Præferamus igitur iis Tincturas, Essentias, & olea destillata salia item, tam volatilia quam fixa spiritus & similia, quæ sunt puriora, efficaciora, minus nauseosa & minus nociva: v. g. loco Morsellorum catarrhalium sumatur Elæosaccharum succini, vel Tinctura sassafrata, vel sal volatile è succino paratum. Loco Morsulorum stomachalium recipiatur Elixir proprietatis cum spiritu salis ammoniaci paratum; in affectibus catarrhalibus pilulæ cum opio è styrace, quæ melius in parva dosi operantur.

CAPUT LXX.

DE OLEIS DESTILLATIS.

OLea destillata cum & post phlegma prodire solent, subjecta, ex quibus eliciuntur, sunt singula tria regna, utut non sine varietate.

Regnum minerale suggerit pauca, uti sunt ex bituminum classe, v. g. succinum, carbo petræ, sulphur & similia, quæ destillantur per arenam ex retorta: & hæc sunt proprie sic dicta olea, utut sulphur per addita saltem olea destillabile in oleum reddatur. Spiritus quidem vitrioli rectificatus, item spiritus sulphuris acidus p. e. etiam vocantur olea: sed improprie & valdè abusive talia, idque saltem ob aliqualem unctuositatis in digitis & consistentiæ rationem; cum olea non sint acida. Ubertiora olea eliciuntur ex vegetabilibus, & animalibus.

Quod attinet *vegetabilia* dant olea & per expressionem & per destillationem, suntque in genere nihil aliud quam resina vegetabilium liquida, & à suo concreto separata. Ut à *destillatu* incipiamus constant hæc ex resina vegetabilis; ita ut resina tota in oleum per ignis debitam applicationem abeat, & *oleum destillatum totum sit materialiter resina.* Patet hoc ex eo quod si ex lignis, v. g. guajaco, cum spiritu vini essentia eliciatur, quæ menstrui abstractione resina est, tunc tale lignum destillatum nullum oleum suggerit, propter resinam per spiritum vini abstractam: hinc & olea destillata facile in resinam coagulabilia sunt, mediante nempe spiritu vitrioli rectificato, aut oleo vitrioli. Fiat experimentum cum oleo destillato anisi, oleo pinguedinis humanæ rectificato recenti, cum oleo terebinthinæ, juniperi destillato, &c. Omnia hæc, ut instillatione olei vitrioli impense incalescunt; ita mox in resinam coagulantur; quæ ipsa tamen resina in consistentia, colore & aliis proprietatibus variat, prout ipsa olea destillata suas habent differentias, pro concretorum, ex quibus eliciuntur, varietate multiplices.

Olea destillata sunt in duplici differentia: vel *subtilia seu volatiliora*, facili igne destillabilia, ut baccarum juniperi, menthæ, salviæ, &c. vel *crassiora*, & respectivè *minus volatilia*, & quæ rigoroso saltem Vulcani auscultant examini, ut oleum tartari, ligni guajaci, &c. *Illa* omnia suo modo *suaveolentia*; *hæc fœtida & empyrevmatica.* Differentia non essentialis, sed accidentalis intercedit: nempe ex resina, ab igne quidem liquefacta & resoluta, sed minus concentrata, & minus ab eodem vel per se remissiori, vel ob aquearum particularum interpositionem infracto, denuo colliquata, olea destillata priora: econtra si fiat, posteriora fiunt. Hinc lignum sassafras, item juniperinum ex vesica destillata, volatilia suaveolentia suggerunt olea; quæ per retortam destillata non, nisi empyrevmatica suggerunt. Semen anisi vel fœniculi per vesicam l. a. destillatum egregia volatilia dant olea, quæ per retortam sub rigorosiori igne non nisi empyrevmatica exspirant.

Proximè ergo olea destillata sunt resinæ liquefactæ; remotè vero, cum sint penetrantissima, subtilissima, & valde volatilia, sunt salia volatilia vegetabilium, ab acido pingui subtili concentrata, seu mutuo congregata. Modus videtur hic.

Si res talis, quæ dat oleum per destillationem, subjicitur Vulcano chymico, tunc salia volatilia inci-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1078-2 DFG

incipiunt erumpere, sed sub isto motu accedunt partes acidæ subpingues, quæ partes salis volatilis amplectuntur, coarctant, & ita figunt, adeoque isto mutuo amplexu se uniunt, ut conjuncta in vas destillentur, atque in corpus oleiforme abeant.

Et hinc etiam divisione sui concreti per salia fixa, acidum imbibentia, salia volatilia ex illis elevari valent ut non tantum de oleo tartari fœtido, vel etiam de oleo destillato C.C. monitum fuit suo loco; sed & ex destillatis aromaticis: de quo vid. WEDELIUS *de sale volatili plantarum, pag.* 235. & 258. item *in Pharm. pag.* 100. Mediante nempe digestione diuturna: in quo negotio imprimis observanda encheirisis ut sal fixum duplum vel triplum probe calefactum, adeoque ab omni phlegmate liberatum, illis addatur. Ut taceam modum per acida, nempe per spiritum salis ex oleis destillatis sal volatile elicere, si scilicet prius in concretum quasi ammoniacale redactum fuerint. Sunt nonnulli qui volunt ex illis elicere salia volatilia modo sequenti.

Recipere jubent oleum destillatum, v.g. succini, vel oleum destillatum viperarum, aut oleum destillatum C.C. quod cum spiritu una prodit, & miscere cum aqua simplici, bene invicem agitare & confundere: postmodum aquam istam celeri manu ab oleo supernatante separatam per phiolam longam & altam destillare lente; sic enim leni igne ascendere dicunt sal volatile, quod scilicet aqua absorpsit in agitatione cum oleo destillato. Sed res hæc adhuc per experientiam ulterius est examinanda.

Porrò, quod *olea destillata sint salia volatilia concentrata per subtile acidum pingue*, patet ex eo, quod vegetabilia v. g. in quibus parcum est tale acidum pingue, non soleant dare olea per destillationem; qualia sunt plantæ refrigerantes dictæ, lactuca, endivia portulaca, sempervivum, &c. Hæc enim destillata non dant olea, propterea, quoniam constant tantum ex subtili sale volatili, eoque temperato & pauco, præsente paucissimo acido pingui, quod non est sufficiens, ut concentret sal volatile in oleum: è contra vero tales plantæ, in quibus est copiosum sal volatile acre, & simul acidum quoddam pingue, hæc levi destillatione copiosum dant oleum destillatum, propterea, quoniam sub ignis tortura acidum & salinum volatile se mutuo amplectuntur, & ita transeunt in corpus oleiformè: unde etiam tales plantæ, quæ dant copiosum oleum destillatum, per fortiorem ignem & per fortiorem cremationem copiosa dant salia fixa, propterea quoniam, uti infra dicam, salia fixa cineritia fiunt per ignis vim, ex colliquatione acidi cum alcali volatili. Et tales plantæ, quæ dant copiosum oleum, & etiam copiosa salia fixa sunt: v.g. absinthium, salvia, rosmarinus, & similes plantæ acres & fortiter olentes, & quam plurimæ aromaticæ, v.g. mentha, & similes.

Ut ulterius pateat metamorphosis chymica; observetur, quod hæ plantæ, impregnatæ copioso sale volatili, & acido copioso pingui, si sine fermentatione præmissa destillantur, dent oleum; & si concremantur, dent sal fixum; sin vero præmissa fermentatione destillentur, tunc dent spiritum volatilem inflammabilem, paucum vero aut nullum oleum, & sal fixum.

Ex modo dictis sponte sua patet ratio: quare substantia resinosa, quæ destillando in oleum abit, quod, uti dictum, sal volatile ab acido concentratum est pro varia sui in textura mutatione, & quidem per fermentationem attenuata, & resoluta in spiritum volatilem sulphureum, seu inflammabilem qualis est spiritus vini, absinthii, menthæ, &c. per putrefactionem vero reserata in spiritus urinosos volatiles abeat per colliquationem vero intimiorem per ignem primo carbonem, & tandem per hujus concremationem sal fixum largiatur: ita ut omnia hæc, oleum destillatum, spiritus inflammabilis, spiritus urinosus, carbo, & sal fixum, sint formaliter artificialia per ignem producta, materialiter sub corporis resinosi textura in mixto præexistentia.

Olea ergo destillata subtilia, quia sunt salia volatilia oleosa concentrata, in parva etiam dosi paucarum guttarum adeo efficacia sunt in Medicina, ac sub mole parva latissimè diffusa, dum extrinsecus adhibita potenter penetrant, & interius sumpta acidum destruunt, istudque temperant. Equidem nec aquæ nec spiritibus, nec aliis subjectis, probe uniri aut misceri possunt; si verò subigantur cum vitello optimè cum quocunque potu dilui, sicque misceri possunt ut vis eorum diffusa planè mirabilis se exserat. Nempe vitellum ovi mediam quasi consistentiam obtinet inter oleosa & aquosa, adeoque & medium præbet quo interveniente resinas & olea cum aqua jungere possumus. Extenduntur autem ita hujus medio olea, ut guttæ x. olei destillati anisi plus 15. ℔bis aquæ, colore & sapore imbuere possint: Spiritus item vini tartarisatus, vel tinctura tartari, ratione alcali etiam dissolvit & secum unit olea destillata; & quoniam *spiritus inflammabiles* nihil aliud *sunt*, quâ *olea destillata rarefacta*, inde ob radicalem symbolizationem spiritus talis inflammabilis, sed rectificatissimi, ℔ij vel iij olei destillati ℥vj vel ℥j facile absorbent ac imbibunt.

Olea destillata empyreumatica sane in se sunt efficacissima, in quo superant etiam olea destillata volatiliora, quoniam præ his illa magis sunt concentrata utut sint ingratissima ob horrendum fœtorem, & saporem nauseosissimum. Sic oleum ligni guajaci est excellens sudoriferum in morbo Gallico, & etiam in ulceribus & tumoribus gallicis valde est conveniens, unde cum hoc oleo malaxatur emplastrum de ranis Vigonis cum Mercurio, & ita imponitur postmodum bubonibus & gummatis gallicis: Sic *oleum coryli destillatum est oleum Heraclinum Rulandi*, expertũ remediũ in epilepsia, partu difficili in pellẽdis vermibus, & in sedando quocunque dolore, & in specie dentium: simile vero huic est oleum buxi. *Corriguntur ab empyreumate*, quod nihil aliud est, quam sal volatile nimis colliquatum cum acido oleoso seu pingui, *non per spiritum salis modo Glauberano in suis scriptis* quia hoc modo castrantur; sed per alcali, aut corpus huic analogum, aut simpliciter mediante aqua comuni v.g. olea destillata animaliũ, quæ omnia sunt fœtida empyreumatica, corriguntur cum spiritu vini tartarisato rectificando ea cum hoc, vel à calce viva, aut quod melius à sale tartari abstrahendo: hinc enim triplex oleum, album, rubescens, & nigricans habebitur; vel à C. C. usto, aut colcothare; sic enim etiam empyreuma seponunt: sic spiritus & salia volatilia animalium, quæ empyreuma spirant fœtidum, ab hoc vix melius liberantur, quam cum aqua communi miscendo, & illa cum hoc aliquoties rectificando per alembicum; sic enim semper materia fœtida spissa cum aqua remanet: sic etiam sal volatile succini optime depuratur, extrahendo aliquoties cum spiritu vini & aliquoties hinc solvendo, filtrando, & blando calore evaporando & crystallisando.

Quoad destillandi modum; vegetabilia quælibet, eorumq; partes & producta, igne aperto tractata olea suggerunt empyreumatica, à crasi concreti multum remota; plura vero, præsertim quæ texturæ sunt mollioris, & resinas volatiliores indeque ut plurimum

bene olentes obtinent; ut herbæ & flores aromatici, ac semina, etiam mitiori igne destillabilia sunt in olea volatilia. Ligna, radices, & visca, item cortices lignosi, vel firmioris ac fixioris sunt texturæ, adeoque non nisi rigorosiori igni in retorta terrea subjicienda ut lignum quercinum, guajacinum, cotyli, fraxini, &c. non nisi spiritus acidos & postmodo empyrevmatica olea crassa & nigra suggerunt, sive ipsa cruda destillentur, sive extracta eorum resinosa destillentur quæ ipsa cautè tractata etiam oleum volatile, & tandem empyrevmaticum stillant quæ vero ex parte volatiliori ac puriori constant substantia, primo oleum volatile per vesicam suppeditant, ut sassafras, lignum Rhodium, quod verò super est fixioris coalitus, empyrevmaticum per retortam post spiritum prodit.

Encheirises in oleorum destillatione observandas, videbitis in AUTORE, His addo: *Herbas*, quarum olea expetuntur, *debito tempore esse colligendas*, dum maxime vigent, *adeoque balsamico suo tempore*, quod est v.g. in radice, dum adhuc succo turget, nec in plantam aut florem abiit; sic enim plus olei continet: in quibusdam plantis tempus hoc est; dum ad florem se disponunt, quibusdam, ubi jam defloresçunt, & earum vis in semina jam nonnihil concentrare se incipit, v.g. cochlearia, ex qua non alio, quam hoc tempore, oleum elici potest.

Instrumentum pro oleis volatilioribus optimum est vesica cum affusa aqua, qua ratione herbæ, flores & semina, fructus item, radices, ac cortices aromatici, v.g. aurantiorum, citri &c. destillantur. Contusis nempe his simplicibus, affunditur ſ.q. aquæ, una cum tantillo salis communis M.j. vel ij & pluribus, pro quantitate herbarum destillandarum: alii addunt loco salis communis saccharum, sed minus aptè, propter fermentationem, qua oleum in spiritum resolvitur: alii addunt aliquantulum tartari contusi, & ita aliquandiu ponunt in locum calidum, ut beneficio macerationis ab aqua, & penetrationis ab adjuncto salino corpore, sensim sensimque resolvatur mistionis vinculum, quo postmodum facilior succedat olei destillatio: Hinc destillant per vesicam, uti dixi, & prodit oleum cum aqua, quod per gossypium, vel hypodeptium vitrum, ab aqua separant: in oleis enim volatilioribus & aquæ commistio in vesica, & intercedens refrigeratio ignis nimium impetum sistit, indeque empyrevma arcet. Ponunt, uti dixi, in digestionem, ut aperto magis mistionis vinculo in majori destilletur copia oleum; non tamen perfectæ fermentationi permittunt, quoniam tantum *spiritus fermentatione, paucum* vero *vel nullum oleum, haberur*.

In quibusdam tamen subjectis olea per infusionem volatilia, item per expressionem obtineri possunt: v.g. spiritus vini alcoholisatus affunditur semini anisi, vel corticibus aurantiorum, vel alii simili, stet in digestione, hinc decantetur, & post filtrationem aqua infusa seponatur, sic oleum extractum subtile separatum supernatabit. vel

℞. *flaved. cort. citri*:

Contundatur cum saccharo probe in mortario: sic saccharum cum succosis simul oleosas particulas imbibit: saccharum hoc aliquandiu asservatum solvatur aqua communi, & successu temporis oleum citri elegantissimum supernatabit.

Ex aromatibus commode per vesicam, idque igne nunc intensiori, nunc remissiori, prout levius aut gravius fuerit destillandum oleum: sed pro usu Medico optima videtur destillatio illa cum spiritu vini, quam habet DIGBY idque per arenam: vid. *Experim. P. 2. pag. 349.* minus concentrata, sed subtiliora & penetrantiora sic fiunt olea nec quæ adeo digestioni stomachi reluctantur. Possunt etiam igne arenæ destillari aromata pro parando sale volatili ex tali oleo, cum spiritu salis sed modus curiosior nec omnibus cognitus est. In destillatione horum oleorum observetur: quod aromata, *si subtilissimè pulverisentur*, parum admodum soleant præbere olei destillati; plus verò, si crasse contusa cum tantillo salis misceantur, & postmodum l. a. destillentur. Ulterius quidam non sine ratione præcipiunt, quod *omnia aromata in plenilunio debeant destillari*, ex eo quoniam copiosiora tunc dent olea, & etiam aromata tunc temporis astralium quasi sint virtutum.

Ulterius destillantur *olea ex resinis*, quarum legitimam destillandi rationem supra exemplo terebinthinæ insinuavimus acquiritur oleum in duplici differentia seu consistentia primo quidem per vesicam oleum clarius & subtilius, quod dicitur oleum destillatum: à quibusdam etiam dicitur spiritus: postmodum verò aucto igne, si destillentur per arenam, ex retorta, prodit oleum crassum & graveolens, quod vocatur tunc Balsamus. Resinæ tales sunt terebinthina, resina pini resina laricis, & similes.

Quod attinet *gummata, gummata omnia sicciora*, ut mastix, myrrha, & similia, destillantur, si prius in aceto vel vino soluta & digesta cum arena arenæ, vel silicum, aut laterum calcinatorum misceantur, & sic per retortam destillentur: arena & silices adduntur, ne nimis effervescant, vel vitra diffringantur, vel sub antiqua forma in receptaculum penetrent: oleum quod prodit, si est turbidum, rectificatur per retortam: vel injectione pauxilli salis communis mox depuratur. Hæc sunt gummata sicciora. *Gummata* vero *liquidiora*, uti sunt styrax & reliqua similia, sine prævia solutione, adjectione solius arenæ vel sabuli destillantur, & dant triplex oleum, si recte procedatur per legitimum ignis regimen, adscendendo sensim sensimque, 1. *album*, 2. *flavum*, & 3. *rubrum*.

Ex *animalium familia* similiter destillantur olea concentrata: quando enim animalia, vel partes animalium, v.g. sanguis, cornua, ossa &c. destillantur, *primo* prodit *spiritus phlegmaticus*, *secundo sal volatile*, tertio *oleum crassum subnigrum*. Olea hæc omnia hactenus cognita sunt empyrevmatica, & non nisi rectificatione sedula ad gratiam cum sensibus nostris redeunt, & volatiliora fiunt, Destillandi modum docet AUTOR *noster*.

Olea hæc ex animalium partibus destillata propter fœtorem & graveolentiam non raro, imo communiter, solent rejici sed perperam quoniam in his adhuc magna latitant arcana. Nam hæc olea destillata animalium, sive ossium, cornuum cranii, &c. non minus quam oleum tartari destillatum, sunt excellentissima sudorifera, quæ ad gutt. iij vel iv. copiosissimum & fœtidissimum proliciunt sudorem. Deinde externe hæc olea imposita bubonibus & carbunculis pestilentialibus valdopere conveniunt pro maturatione, sicut etiam postmodum abscessus maturatos egregie purificant, seu ulcera etiam maligna ac fœtida mundificant.

Adipes & pinguedines animalium *suggerunt oleum*, vel *per liquefactionem* successivam, vel *per destillationem* ordinariam. Quoad *liquefactionem*: includuntur adipes sacculo lineo raro, suspenduntur in alembicum & lenissimo igne destillantur in receptaculum: quæ tenuiores sunt, ad solem destillantur

in

in receptaculum; vel possunt etiam tempore hyberno circa fornacem leniter ac blande destillari. adipes sicque acquirunt colorem aureum, restitante crassamento turbido ac fœtido item ad solem possunt destillari per infundibulum chartaceum in subjectum alembicum. Quoad *destillationem*; destillantur adipes, pinguedines & seva per retortam vitream, cum arenulis permista, vel optime cum additis cineribus clavellatis, vel etiam cineribus ordinariis, modo quem docet LUDOVICI *in Pharm. pag.* 104. & acquiritur oleum admodum fœtidum.

Pertinet huc *oleum saponis*, dum nempe *hujus* p. ij. cum *arena* p. iij. mistæ, destillantur quod prodit oleum à minio rectificari potest. Sic eodem modo ex *spermate ceti* p. j. & p. iij, *arenæ* mistis, oleum per retortam destillari potest.

Quod attinet vires oleorum destillatorum usitatorum.

Oleum absinthii destillatum est egregium stomachicum, si inungatur regioni stomachi & scrobiculo cordis.

Oleum anethi est egregium carminativum & flatus discutiens.

Oleum anisi est similiter carminativum, & in specie convenit in affectibus pectoris, tussi, raucedine, asthmathe & similibus: unde quidam balsamum sulphuris pro usu pectorali præparant beneficio olei destillati anisi, loco olei terebinthinæ.

Oleum destillatum aurantiorum est egregium in stranguria, quoniam mortificat acidum, quod urinam impregnat, & dolorem producit: item egregium est in suffocatione uterina, & in colica interno usu.

Oleum carvi est egregium in cardialgia seu dolore stomachi: item in inflatione stomachi, teste hujus rei THONERO.

Oleum juniperi ex baccis est singulare diureticum, quodque præstat mirabilia in præ cavendo calculo præterea balsamus sulphuris, paratus cum hoc oleo, egregius est in affectibus & ulceribus renum & vesicæ.

Oleum Majoranæ destillatum valde convenit in affectibus narium, coryza, olfactus læsione obstructione narium, &c.

Oleum Mastichinum destillatum prodest in affectibus stomachi ex resoluto tono, in lienteria, cholera, & vomitu.

Oleum Melissæ extrinsecus permistum oleo citri & rutæ, fit *Balsamus c.s.q. corporis* pro balsamo qui illinitur scrobiculo cordis, pulsibus & temporibus in morbis malignis.

Oleum destillatum Origani Cretici est specificum summum in odontalgia.

Oleum Sabinæ est unum ex potentissimis menses cientibus, & abortum procurantibus: assumuntur aliquot guttæ, vel fiunt exinde pilulæ.

Oleum Spicæ convenit ad pellendos pediculos capitis, vel aliarum partium, sub alis vel regione pubis.

Obiter hic noto: quod olea destillata raro sic possint usurpari nude, quoniam difficulter permiscentur cum liquore. Propterea fiunt elæosacchara: scilicet olea destillata, vel quodcunque simplex vel compositum, cum sufficiente quantitate sacchari minutissimè pulverisati excipiuntur, ita quidem, ut gutt. ij. vel iij olei ℈j sacchari subtiliter pulverisati respondeant ut quando v.g. volo præscribere gtt. ij vel iij olei destillati, præscribo ℈ß vel gran. xvij ad ℈j eleosacchari.

Optime sane conducunt & præferenda sunt gratitudine speciebus aromaticis.

Huc etiam pertinet

PULVIS PECTORALIS BALSAMICUS D. ROLFINCII,

Æsculapii senensis.

℞. *Balf. ♁is c. ℞o fœnic. parati* ℥iij.
sacch. candi albiss. ℔j.
Misc. super igne: adde
℞o *destillati anisi* ℈ij.
Incorporentur omnia.

Hic utut Balf. sulphuris sit liquidus; nihilominus reperit corpus in saccharo, & abit in elæosaccharum.

Dosis gran. xv. ad ℈j.

Ad hæc elæosacchara pertinent etiam *Magisteria saccharata antiscorbutica* v. g. Magisterium cochleariæ:

℞. *succi cochlear. expr.*

Servetur in vase clauso ad secessum secum: hic succus imbuatur *saccharo* super lapidem marmoreum posito leniter exsiccetur, & iterum imbuatur, & hoc aliquoties, semper lenissimè exsiccando: Sic habetur viride saccharum, asservandum in phiola angusti colli, quod irroretur sæpe cum spiritu & oleo destillato cochleariæ: sic habetur Magisterium egregium.

Pro dosi cuspis cultelli in vino dissolvitur, inde fit haustus gratissimus antiscorbuticus: & hoc modo cum absinthio quoque & aliis procedendum est.

CAPUT LXXI.
DE
OLEIS EXPRESSIS.

OLea *expressa* ex seminibus vel nucleis mucilaginosis, oleosis & pinguibus, qualia sunt v. g. amygdalæ, nuclei persicorum, semen papaveris, semen hyoscyami, avellanæ, semen lini, nux mosch, pineæ, &c. eliciuntur forti pressura: imo ipsum oleum commune nostrum olivarum ad hoc pertinet caput: expressum scilicet est ex fructibus oleæ.

Talia simplicia in mortario, vel Oel-Mühle / bene contusa, postmodum cum torculari in sacculo exprimuntur, ut tandem suum concedant oleum.

Sunt olea hæc nihil aliud, quam fluidior resina, & suo modo quasi mucilaginosior, parte aliqua phlegmatis essentialis subacta, & ita in fluidum corpus redacta: & sane cum semina quælibet plus minus oleosa esse soleant, etiam ex acinis & arillis, v. gr. sambuci, uvarum, cynosbati, &c. olea, communi olivarum oleo non dissimilia, exprimi possunt.

Constant olea hæc substantiâ pingui occulte acida, utut prima fronte dulcedinem quandam repræsentent; alcali volatili secum concentrante unde invicem in concretum tale oleosum coeunt: hinc rasuræ saturni infusione liberantur non tantum à superfluo acido, ut *supra de oleo olivarum monitum*; sed & emulsiones oleosæ, ex illis seminibus vel nucleis paratæ, tam facile acescunt, quod acidum tamen à pinguedine blanda aquosa palliatur, quo minus gustu percipiatur. Cognomentum hujus rei satis evidens est, quod oleum commune olivarum omnia metalla, excepto auro, corrodat & ferrum in eo positum, vel oleum in vascu-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1081-8 DFG

vasculis argenteis adservatum, sensim sensimque illud in rubiginem exedat. Hinc etiam est, quod serræ & claustra illita oleo communi, ut fiant tractatiora progressu temporis nigredinem contrahant, quoniam acidum occultum olei corrodit ferrum in talem crocum sub nigrum & oleum istud nigricans à ferris desumptum, egregium est anodynum & dolorum sedativum: ratio quoniam acido ejus, à Marte absumpto pars superans pinguis, temperata & forsan sale volatili alcali non destituta, temperat acrimoniam humorum, unde dolores solent oriri in corpore. Sed hæc TACHENIUS. Sunt tamen hæc olea unum plus, alterum minus acidum: oleum olivarum est satis acidum. Alias expressa talia olea de crasi ejus concreti, & vi specifica multum obtinent, simulque communi potestate leniendi, temperandi, emolliendi, lubricandi, &c. instructa sunt.

Oleum amygdalarum dulcium non adeo copiosum acidum habet, sed plus olei quod tamen & hoc non sit destitutum simili acido, patet ex eo, quod emulsiones ex his seminibus paratæ tam facile acescant & in loco calido acorem contrahant.

Inter hæc olea expressa est etiam *oleum* Balaninum seu de been, cujus nucleo parantur per stratificationem olea quorundam florum odorifera, v. g. *oleum jasmini, oleum florum aurantiorum, oleum florum citri*, &c, stratificando nempe flores cum fructibus been, donec fructus sufficienter imbiberunt atomos odoriferos istorum florum, postmodum fit expressio, & ita hoc modo oleum odoriferum ex fructibus been elicitur. *Modus* videri potest *in Horto Farnesiano* TOBIÆ ALDINI.

Oleum hyoscyami expressum ex semine est fortiter narcoticum, & hypnoticum; nihilominus tamen interdum urgente necessitate ad ejus usum progrediendum est, in atrocissimis scorbuticis doloribus, cum vix sit aliud simplex, quod promptius compescat dolores scorbuticos.

Oleum seminis lini est egregium in combustionibus, si misceatur cum vitello ovi, vel si oleo lini expresso infundantur fructus momordicæ maturi; tunc enim fit *oleum* elegantissimum, vel *linimentum ad ambusta*.

Oleum nucis moschatæ est stomachicum,

CAPUT LXXII.
DE
OLEIS PER INFUSIONEM
ET
COCTIONEM,
&c.

OLea etiam pro menstruis inserviunt tam destillata, quam expressa: Speciatim olea expressa inserviunt, in regno præsertim vegetabili, ad solutiones & extractiones, nunc mediante simplici digestione in subjectis rarioris texturæ, aut quorum particulæ volatiliores facilius exhalant, nunc accedente insuper intensiore coctione in subjectis texturæ firmioris; & dictis modis olea per infusionem & coctionem dicta communiter parari solent.

Olea inter, quæ pro hoc scopo recipiuntur, sunt in specie oleum olivarum, & hinc oleum lini: scilicet in oleo olivarum est occultum acidum, sed delitescens sub pinguedine sulphurea; hinc ratione illius acidi dissolvit & penetrat subjecta vegetabilia, & speciatim eorundem alcali se saturat, ut in tertium salsum cum eodem coeat; ratione verò substantiæ sulphureæ imprimis resinam dissolvit, sicque volatilem sulphureum odorem ex aromaticis imprimis rapit. Cum vero in hujusmodi oleis subinde humiditas quædam subsidere soleat, à qua à rancore præservantur, hujus præparandi rationem videbitis in ZWELFERI *Pharm. Reg. pag.* 259. Dictis modis imprimis sicciores plantæ, & hinc subjecta aromatica, vires suas etiam odoriferas deponunt in olea, sed quoad subjecta odorifera præcise non aromatica, humidioris tamen texturæ, ut sunt flores jasmini, rosarum, &c. in hisce alius procedendi est modus; faciendo nempe S.S.S. cum oleo expresso de been, aut etiam cum oleo expresso amygdalarum dulcium: conf. ZWELFERUS *Animadvers. pag.* 331. & speciatim ALDINUS *in Horto Farnesiano*.

Vires oleorum hujusmodi per decoctionem aut infusionem paratorum sequuntur simplicium dotes, quæ alias notæ. Unde

OLEUM ABSINTHII.

In affectibus stomachi, imprimis in vomitu & cholera confert: in quo casu commode permiscetur cum oleo mastichino, vel etiam cum his oleis in tali casu subiguntur & malaxantur emplastra stomachica.

OLEUM ANETHI.

Est carminativum, & temporibus illitum ad somnum disponit.

OLEUM CHEIRINUM.

In usu est mulierculis cum oleo liliorum alborum quibus illinunt abdomen & vulvam, pro facilitando partu futuro, & pro laxandis viis.

OLEUM MASTICHINUM.

Egregium est in dysenteria, diarrhœa, cholera & vomitu externe illitum.

OLEUM MOMORDICÆ.

Excellens est vulnerarium, uti notum est, cujus vim superius fusius decantavi, ubi de momordica.

OLEUM MYRTINUM.

In fluxibus alvi illinitur: mulieres solent illinire ad præcavendum abortum.

OLEUM POPULNEUM.

Inungitur temporibus pro temperando æstu in febribus, & sedanda hinc orta cephalalgia: moderate etiam disponit ad somnum.

OLEUM SCORPIONUM SIMPLEX.

Ex infusione scorpionum vivorum in oleum commune, usurpatur pro pellenda urina remorata, si inungatur regioni pubis cum unguento dialthæa: item usurpatur cum cataplasmatis ex parietaria & cepis hoc oleum, contra eandem urinæ suppressionem: regioni renum illitum oleum scorpionum, promovet calculum.

OLEUM VERBASCI.

Anodynum est & dolores sedans: item est specificum in tenesmo.

OLEUM
de
CAPPARIBUS.

Usurpatur pro malaxatione emplastrorum spleneticorum, item pro subigendis & malaxandis emplastris ad emolliendos scirrhos destinatis.

OLEUM CASTOREI.

Convenienter illinitur externe in passione hysterica in doloribus colicis, tam veris quam per consensum nephriticis & etiam in aliis spasmodicis abdominis affectibus: Etiam solet commendari contra tremores, paralysin, & etiam convulsiones: in quibus tamen casibus potius spirituosa præferuntur, quam talia olea spissa.

OLEUM

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1082-3 DFG

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

Valde est emollitivum & dolorum sedativum, præterea egregium est vulnerarium, quod recentia vulnera ad promptam consolidationem disponit.

OLEUM STOMACHICUM.

Cratonii.

Est egregium in quibuscunque affectibus stomachi, si malaxetur cum eo tacamahaca, & fit egregium stomachale.

OLEUM FEBRIFUGUM.

Strobelbergeri.

Oleum hoc, quod habet AUTOR, non est inconveniens imprimis si cum scorpionibus infundantur etiam araneæ, quarum vis antifebrilis est singularis, uti postmodum habebimus.

OLEUM HYPERICI COMPOSITUM.

Ellenbergii.

Oleum hyperici compositum, quod habet *AUTOR nostri, num. 3 pag.* 246. est compositio theriacalis, & est dubio procul in multis affectibus proficuum; uti apparebit examinanti ingredientia, & legenti ea, quæ habet *AUTOR pag.* 247. *&* 248. Simile elegans ex hyperico oleum vulnerarium videbitis in *HEINRICI ab HEER Observat.* sed paucis hujusmodi efficacissimum oleum omnibus scopis vulnerariis & chirurgicis conveniens parari potest ad imitationem Paracelsi in Herbario:

℞. ℥o *sem. hyperici* expressum:

Affunde *proprio floribus*, & ita digestione procedatur: Habetur nobile balsam. seu oleum additione pauci sulphuris, & cum hoc ebullitione in concinnum *Balsamum vulnerarium* exaltandum.

OLEUM ANTIPESTILENTIALE.

Bonacursii.

num. 4. *pag.* 248.

Pauca sufficiunt pro hoc scopo, nec opus est tanta farragine qua ratione oleum pestilentiale Heinisii idem præstat, si non elegantius est, atque hoc AUTORIS compositum; vel oleum pestilentiale Crollii minus compositum, quod valde convenit, si vel solum, vel cum oleo succini illinatur carpis manuum, temporibus & naribus.

OLEUM PURGANS COMPOSITUM.

Clossii.

num. 5. *pag.* 249.

Sufficit simpliciter Ricini semen & cataputiæ minoris. Hæc duo expressa oleum suggerunt, quod sui ad umbilicum illitu alvum sufficienter stimulare solet.

CAPUT LXXIII.
DE
PILULIS.

Pilulæ sunt ita dictæ à figura qua repræsentant parvam pilam; Græcè dicuntur *Catapotia*; quæ duo nomina in pharmacopoliis sunt notissima. Omnibus nota est remedii hæc formula, estque nullus fere Empiricus, qui non habeat suas pilulas: Sic D. GLASSIUS, D. H. Wilde-Gans/ &c. habent suas pilulas.

Pro vario autem usu adhibentur, tam purgandi quam alterandi gratia, & sunt vel

1. Pilulæ Magistrales;

Vel

2. Officinales:

Uti recte eas dividit MORELLUS.

Officinales semper prostant in officinis, & præscribuntur tantum: *Magistrales* sunt, quæ ex præscripto Medici ut parentur, præscribuntur: de quibus *in Colleg. Formular.*

Veterum compositiones pilulares officinales non æque conveniunt, nec amplius aut raro in usu sunt, partim propter inconditam illarum dosin, partim quod purgantia ingredientia earum ut plurimum cruda, & simpliciter tantum pulverisata, absq; genuina vel præparatione vel correctione sunt permista, unde propter adjunctam malignitatem minus conveniunt: ut taceam, quod melle vel succo quodam inspissato communiter excipiantur, quod dosin earum adhuc magis adauget, adeo ut ad ʒj, vel ratione numeri ad 70. vel 80. sæpe extendantur pro una dosi. Rarò igitur vel nunquam hasce pilulas solas usurpamus, sed stimulum subinde addimus generosum, ut sub minori dosi optatus sequatur effectus, qui tamen non tam quantitate quam qualitate judicandus. Veteres enim purgantium vim secessum numero determinarunt, propterea præscripserunt pilulas ad ʒj vel ad ʒij, quod tamen impostura est; legitima enim purgatio ultra sex vices non purgabit, quod excedit, fit cum ægri detrimento. Pilulæ alterantes cum opio, v. gr. de cynoglossa, de castoreo, &c. narcotica talia cruda itidem recipiunt. Ergo potius Extractis utimur pro pilulis purgantibus, in quibus per extractionem, digestionem & præparationem, purgantium cruditas & malignitas infringitur & temperatur, & ita corrigitur: unde etiam non talia tormina & symptomata sequuntur pilulas ex extractis paratas, qualia sequi solent eas, quæ fiunt ex MP. officinalium. Cum autem omnia fere extracta purgantia sint resinosa, & in stomacho facile præcipitentur, vel ejus vel intestinorum parietibus adhæreant, adeoque hypercathartes aliave gravia mala excitent: uti hoc recte attendit ZWELFERUS *in Pharm. Reg. pag.* 85. qua propter hora una vel altera post haustum pilularum purgantium ex Extractis, vel Extracti purgantis resinosi, commodè dabitur jusculum salitum, vel etiam jusculum avenaceum, item jusculum pisorum, quoniam hæc abstergunt intestina; vel assumitur cum jusculo quocunque aliquantulum cremoris tartari, qui simul stimulat, ut promptius postmodum fiat ægri purgatio. Et quid opus est tanta pilularum varietate? cum duæ vel tres compositiones omnino sufficiant, sive usuales sive proprie dictæ laxativæ fuerint.

Ut saccharo incrustentur, quod quidam facere solent pro saporis gratia, & faciliori assumptione, solvatur saccharum in aqua conveniente admisceatur amylum das Krafft-Mehl/ ut fiat pasta mollis, ea obducantur pilulæ & soli exponantur, aut leni calore ad exsiccandum:

Vel

℞. *saccheri* ℔ß.
album. ovi nro. j.
gum. Arabic. optimè in album. dissol. ʒj.

subigantur, & hisce pilulæ obducantur.

Pilulæ, quæ in officinis prostant, ab AUTORE *nostro* consignatæ, jam porro considerandæ sunt: ubi primo occurrunt *Pilulæ alterantes*, quæ partim continentur in ore, ut Pilulæ Bechicæ, partim deglutiuntur.

PILULÆ DE BEDELLIO.

Augustanorum.

Speciatim conveniunt in nimio hæmorrhoidum fluxu.

PILULÆ BECHICÆ.

Harum alias variæ sunt præparationes: in genere tamen subjecta continent mucilaginosa, hinc pro lubitu præscribi possunt. Aliàs sublinguales vocantur, quoniam ponuntur sub lingua, ut sensim sensimque liquescant, & liquefactæ per fauces cum lympha dilabantur, ut hujus acrimoniam temperent; unde conducunt in tussi, asperitate & raucedine faucium, similibusque faucium affectibus à lympha nimis acri obortis. Nihilominus hæ pilulæ non amplius in frequenti sunt usu.

PILULÆ DE CASTOREO.

Loco pilularum de Castoreo laudanum hystericum sufficit.

PILULÆ DE CYNOGLOSSA.

Pilulæ de Cynoglossa in tussi aut lympha acri, nocturno tempore affligente, veteres usurparunt: sed apud nos non amplius in usu sunt; crudis enim narcoticis constant. Loco harum igitur laudanum opiatum sufficit, permixtum cum succino, myrrha, & aliis pro catarrhis destinatis. Nihilominus tamen solent hæ pilulæ præscribi hoc tempore in Belgio, & ad gr. viij. vel x assumuntur. BENEDICTUS FAVENTINUS habet pilulas in catarrhis, quas videmus descriptas in *Pharmac. Augustana.* Basis sunt *pilulæ de cynoglossa*, quibus additur succus glyzyrrhizæ, & aloë. LINDANUS solet usurpare pilulas de cynoglossa in phthisi cum catarrhis salsis & acribus conjuncta item in aliis affectibus catarrhalibus, tussi, asperitate faucium, & sæpe suffocationis metu tempore nocturno ingruente. Compositio est hæc:

℞. MP. *de cynoglossa* ʒj.
laud. opiati gr. iij.
succi liquirit. in ▽ *hyssopi solut & inspiss.* ʒiij.
M. f. *pilulæ* magnitudine pisorum.

sumuntur sub introitum lecti num. ij usque ad iv. Valde commendat in affectibus catarrhalibus, & dicit: quod soleat ex eorum usu induci stranguria, certo experimento, quod expurgent lympham acrem ex sanguine, quæ delata ad vias urinarias acrimonia sua concitet istam stranguriam.

PILULÆ DIAPHORETICÆ,

pag. 251.

Hæc elegans est compositio, & propter cinnabarim antimonii in febribus malignis non contemnendæ.

PILULÆ DIVRETICÆ.

Hic observanda *nota Autoris*, quæ curiosa est.

PILULÆ ANTEPILEPTICÆ.

Hic materia medica est selecta sed compositio confusa. Eligatur cinnabaris antimonii cum castoreo, quæ sufficiunt.

PILULÆ DE STYRACE,

num. 6.

&

PILULÆ AD TUSSIM.

nro. 7.

Compositiones hæ sunt succinctæ, & per quam convenientes pro tussi nocturna ferina, ex lymphæ vitio phthisin minitante, aut ex inclementiori aere tempore hyberno excitata; incrassant enim, & ante cœnam assumptæ multum conferunt: propinari quoque possunt in tussi gravidarum sicca. Similem fere compositionem habet SYLVIUS *lib. 1. Prax. c. 20 §. 36.* loco harum usurpari possunt sequentes pilulæ:

℞. *Extr.* ♃ *pulveris.* gr. xij.
myrrhæ gr. iv.
laud. opiati gr. j.

cum essent, myrrh. f. pilulæ pro una dosi vesperi capiendæ.

Ad Pilulas alterantes pertinent etiam *Pilulæ Vildeganfianæ*, quas videb. in M. A. N. C. *Anno 3. Observat. 232. pag. 422.* Egregie sunt sudoriferæ: sed propter ingrediens opium cautè usurpandæ.

Quoad *pilulas officinarum purgantes*: hæ ob ingredientia cruda non amplius usurpantur, vel saltim in parva dosi addito stimulo præscribuntur: saltem pilulæ de hiera cum agarico inter antiquas compositiones in usu sunt dosi ℈j cum debitis stimulis: nam pro purgandi scopo Extractum catholicum pluribus additis diversimode determinandum sufficit; vel formentur *pilulæ Catholicæ D. Mulleri, Archiatri Electoris Brandenburgici:*

℞. *extracti Elleb. nigri*
panchym. Croll. ana ℈j.
aloes ʒß.
♃ ♄ *lati crystall.* ℈ij.
♃ij *vitæ* ℈j.
dulcis ℈ij.
cum *Elix propriet.* f. MP.

Dosis ℈ß, gr. xv. vel ʒß ad summum.

Singularis est descriptio, sicuti & *compositio Pilularum Mercurialium D. Leonhardi Bauschii*: considerentur omnia bene:

℞. ▽ vol. & fixæ (i. e. ♃ij *vivi*) ʒij.

Injiciatur in ferventissimum lixivium, ad labrum bene agitetur scopula exempta diligentissime super marmor solidum cum succo limonum aut aurantiorum eo usque teratur, donec fixa agnoscatur: adde

Phlegmagogi & cholagogi benignissimi seu *Philochori simpl.* (i. e. *fol. sennæ*) ℈j.
Phlegmagog. arbor. præpar. (i. e. *agarici troschisc.*) ʒiß.
Hydragogi veget. ab. fortiss. (i. e. Elaterii) ℈j.
Extr. Melanag. veget. primar. (i. e. *Elleb. nigri*) ℈ij.
Aureæ rad. Chinens. aut *Ormuzens.* (i. e. *Rhabarb.*) ʒiß.
Lunar. Ægyptiac. (*folliculi sennæ*) ℈j.
Lachrymæ rub. ar. or. Ægyptiacæ, aut *Arabic.* (*myrrhæ*)
Resinæ Melissinæ crystall. f. a. extr. (*Terebinth. cypr.*) ana ʒß.
Rad. lact. & caust. (*rad. esulæ*) gr. xiij.
Cort. inter Zeilan. arbor. acuti (*cinnam.*) ℈j.
Ligni aromat. Ind. succoter (i. e. *xyloaloes*) gr. xiij.
♃ *ú nat. fragr. ardent* (*ambræ.*) gr. iij.
Excrem. famos. odorif. (*Moschi*) gr. viij.
diagryd. ℈ß.
anthophyll ℈j.
♃ *guajaci*
♄ *li* ana ℈ß.
fol. auri purifs. num. vj.

f. l. a. MP. cum *resinæ melissinæ crystallinæ*, cui aliquot gutt. *olei sulphuris* adduntur, aut *olei caryophyllorum* ad usum servetur.

BARTOLETUS *in Tract. de Respiratione lib. 5. cap. 8.* etiam describit elegantes *Pilulas Catholicas* ex *Extract. Ellebori glyzyrrhizato*, ex *Mercurio dulci* Philosophicè ritè præpar. i. e. bene sublimato, & *Extracto colocynth.* cum *oleo nucis moschatæ*: vid. *in elegantissimis scriptis quæ digna sunt, ut à quolibet legantur.*

Pro *Pilulis usualibus*, quæ alias vocantur Hauß-Pillen/ abunde sufficiunt vel *Pilulæ Angelicæ* seu *Francofurtenses*, quarum compositionem videbitis in HOFFMANNI *Clave pag. 105.* vel *pilulæ Glasianæ*, quæ itidem cit, loco videantur; vel *Pilulæ Balsamicæ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1084-5 DFG

micæ universales Cnœffelii, quas videb. in M. A. N. C. *Anno 6. pag.* 19. vel *Pilulæ aperientes Tilemanni*, quarum basis est aloë & gummi ammoniacum: aloe quidem pro scopo detergendi & evacuandi & gummi ✱ci cum pro scopo resolvendi mucum acidum viscidum & tenacem additur: quibus & pro stimulo tartarus vitriolatus jungitur. Compositio est sequens.

℞. *aloes lucidæ*,
gummi ✱ci in aceto squillit. soluti ana ℥j.
♀i ⊕lati ʒiij.
c. ℞ *♀rit. pilulæ.*

Dosis gr. ix. xj vel xiij. ita blande laxant, stomachum evacuant, & fomitem successive subtrahunt.

Elegantes quoque sunt *pilulæ usuales Bartoleti*, quæ instar formulæ præ aliis esse possunt, quasque describit *in Encyclopdia*, & præscribit in latitudine sanitatis, seu statuæ convalescentiæ, ubi quidem non valdopere quis ægrotat, interim tamen propter viscus aliquod læsum facile labi potest in morbum. Pilulæ tales usuales sunt hæ:

℞. *aloes lotæ* ℥j.
myrrhæ electæ ℥j.
mastich.
croci ana ʒß.
rosar. ℥j.
santali rubri ℥ij.

c. s. q. ▽ *endiviæ* formentur in forma cicerum pilulæ, usurpandæ omni tempore, quando necessitas postulat.

De his dicit BARTOLETUS, quod hic qui illis utatur non sit visurus in corpore suo infirmitatem, quæ non sit facile curabilis: item quod istæ pilulæ præservent hominem à pestilentia, item præservent eundem si versetur in locis uliginosis & corruptis. Imprimis quidem pro stomacho mundificando, & intestinis à superfluitatibus corruptis suaviter laxando conducunt: præservant itidem à doloribus arthriticis; item valent contra catarrhos, tam antiquos quam recentes; pectus itidem mundificant ratione croci & myrrhæ, & dolorem costarum removent, unde & asthmaticis conveniunt.

Sumuntur ut plurimum tres una vice in haustu vini. Hæ sunt pilulæ, quæ conveniunt omnis sexus & generis personis, & possunt præscribi iis, qui dicuntur cachectici. Pro cachecticis & hypochondriacis BARTOLETUS non inconvenienter addit gummi ammoniacum, utpote cum hujus vis sit experta in talibus affectibus. Sit ergo *formula pilularum usualium* iis, qui laborant malo hypochondriaco, item suffocatione hysterica atque scorbuto, ita præscribenda:

℞. *gum. ✱ci aceto squill. sol.* ℥j.
aloes succoter. ℥ß.
myrrhæ electæ ʒij.
extr. helleb. nigri ʒj.
mastich.
croci ana ℈ij.

c. s. q. *Essent. fumar.* f. Pilulæ instar pisorum, quarum dosis num. vj vel viij.

Vel

℞. *gummi ✱ci in aceto sol.* ʒß.
aloes luc. ℥ij.
mastich.
myrrhæ ana ℈ij.
extracti troch. alhand. gr. xv.

c. *ess. absinth.* f. *pil. minores:*
quæ dosi gr. xv. ad summum ℈j usurpatæ, evacuant blande sordes in primis viis stabulantes.

Si eas magis laxativas reddere voluerimus imminuitur dosis gummi ✱ci, & augetur aloe.

Hæ & similes pilulæ solent usurpari in morbis chronicis inveteratis, qui vix radicitus evelli possunt, & in stomacho vitiato sedem figunt in muco viscido, & plus minus acido. Ut ergo hicce successive eliminetur, ea propter illæ in usu sunt, & singulis septimanis, vel singulis 14. diebus, vel singulis mensibus usurpantur, ita tamen, ut simul respiciatur ad motum lunæ uno aut altero die ante novilunium & plenilunium; tunc enim temporis morbi contumaciores in senibus ut plurimum solent evigilare ita alvum laxant, sordes excrementitias exterminant, & loca pura sustinent, ne tales morbi chronici in graviores paroxysmos exacerbari possint, & corpus conservetur in statu sano & florido: quales v. g. sunt, qui torminibus colicis obnoxii, qui laborant malo hypochondriaco, cachexia & inclinant ad hydropem. Pertinent huc senes, qui non raro laborant apepsia & brady pepsia aliisque stomachi affectibus; unde vocantur etiam ab aliis *pilulæ stomachales*: nam sicut notum est, quod Elixyr proprietatis soleant ingredi ista tria crocus, aloe & myrrha, & adhiberi pro stomacho roborando; ita Elixyr proprietatis loco possunt assumi hæ pilulæ, vel loco pilularum Elixyr proprietatis pro lubitu.

Ad has pilulas pertinent Pilulæ, quæ ab aliis pro pilulis Glassianis, sed falso, venduntur:

℞. *extracti card. bened.*
gummi ✱ci ana ʒij.
mastich.
succini albi ana ℥j.
aloes succoter. ℥iß.
M. f. MP.

cui tantillum de *antimonio per inferiora purgante* addi potest.

Convenientissimæ sane sunt pro usu domestico in affectibus chronicis. Observetur tamen, quod si in majori paulo dosi usurpentur, passiones hystericas cautentur.

Dosis autem est à gr. vj ad viii vel ℈ß.

Pilulæ Riverii polychrestæ ad morbos duplices:

℞. *MP. Ruffi*
℥ij staph.
gummi guajaci ana ℥ß.

c. *Balf. Peruv.* q. s. f. *Massa pro Pilulis.*

Dosis harum pilularum est ℈j. quibus pro ulteriori stimulo ad alvum solvendam, si lubet, addatur scammonium sulphuratum ad grana ij. Hæ continuentur per 30. dies, & aliis irritis in morbis desperatis summum erunt remedium.

Pilulæ Ruffi è *croco, myrrha* & *aloe* constant, & sunt quasi *Elixyr proprietatis siccum.*

Quoad *usum* ergo legitimum harum *pilularum usualium*: notetur, quod constent ex remediis efficacioribus, & propterea formantur pilulæ, ut remedia ingrata delicatis propinari possint. Cum ergo aloe & reliqua ingredientia sint amarissima & ingrata, hinc sub forma pilularum propinantur: quo & id accedit, quod quæ alias sub magna dosi propinantur, in pilulis parva potius satisfaciant: plerumque enim ad ℈ß. vel ad summum ℈j, rarissimè ad 30. grana pro una dosi dantur hinc remedia illas efficaciora intrent, unde aloe ut plurimum est basis pilularum laxativarum, cui pro stimulo additur colocynthis vel scammonium.

Conveniunt autem *pilulæ.*

1. *Subjectis* magis *succulentis*, sive phlegmaticis sive

magis chylosis *minus* verò conveniunt *subjectis siccis*, scilicet melancholicis & biliosis: hos enim parum vel nihil laxant qui è contra potionibus sufficienter moventur: hinc in hypochondriacis melancholicis & quartanariis parum vel non conveniunt.

2. Pilulæ tempore verno potius & æstivo, minus verò hyberno & autumnali usurpandæ; cum hisce temporibus potiones potius conveniant: quibus succi evacuandi crudiores illis pilulæ gravia inferunt symptomata.

Ratione temporis porro quæritur; *an matutino* potius *quam vespertino tempore pilulæ usurpandæ sint?* dico: omnia laxativa & hinc pilulæ quoque usurpentur mane jejuno stomacho: brevi post capiatur vehiculum calidum, ut non nihil diluatur remedium, & sic cum vehiculo calido adjuncto facilius operetur: subsequatur lenis deambulatio, quæ operationem promovet: cane vero pejus & angue fugiatur gravior cura seu profundior meditatio, quia hæc operationem pilularum retardat, ut parum vel nihil operentur, quin potius sæpe blandus sudor sequatur.

Dictum de pilulis quæ assumi debeant jejuno stomacho: *Quid* vero de eorum sententia *dicendum, qui pilulæ vel ante cœnam, vel post cœnam* vesperi ante introitum lecti, & quidem *numero impari sumendas censent?* Credunt enim haud pauci, pilulas in affectibus capitis, catarrhalibus præprimis, vesperi sumptas facilius operari, quatenus ægro dormiente sub media ciborum coctione halitus suos in caput emitterent, &c. verum hoc nihil est, & vana persuasio; secessus enim isti, qui mane pilulas subsequuntur, sunt liquamen chyli corrupti. Omnes ergo mane jejuno stomacho usurpentur, aut vesperi à cibo abstineatur, tumque sumamantur pilulæ.

Inter pilulas purgantes officinales sunt

PILULÆ DE AGARICO.

Hæ pilulæ conveniunt valdè in affectibus pectoris & pulmonum, quando pulmones infarcti sunt copiosa mucilagine viscida & crassa, in tussi, asthmate & similibus, cum dixerim superius de agarico, quod sit appropriatum purgans in affectibus pectoris.

PILULÆ AGGREGATIVÆ.

Majores & minores.

Hæ pilulæ præscribuntur tanquam catholicum seu universale purgans quoscunque humores.

PILULÆ ALOEN PANGINÆ.

Pilulæ Aloephanginæ constant ex speciebus plurimis aromaticis, unde etiam vocantur *Pilulæ aromaticæ*, & in quibusdam scammonium sulphuratum habetur, in quibusdam verò non & propterea præscribuntur:

℞. *MP. aloephangi cum scammon. seu diagrydio:*
&
℞. *MP. aloephang. sine scammon.*

Stomacho sunt dicatæ, cujus cruditates vi aromatica resolvunt, digerunt & absumunt, imprimis si ventriculus & intestina sint læsa ex frigore externo, ex potu crudo non rite fermentato; item si sint obsessa materiâ viscidâ, imprimis pituitosa acida, unde oriuntur dolores & tormina; in tali casu sunt optimæ: quando oritur colica à pituita tali optimæ & instar secreti habendæ in hac forma:

℞. *MP. aloephang. sine scamman.* ℈j.
laud. opiati gr. ij.
c.s. *essent. cort. aurant.* f. *pilulæ*,
D. S.

Schmertz stillende Pillen.

subito leniunt dolores, & intra 4. horas leniter purgant per inferiora.

Similes sunt pilulæ ex hoc fundamento factæ contra arthritidem Rhumelii, de quibus supra dixi, quod vocitentur: *Veni amice surge & ambula.* Descriptio est hæc:

℞. *MP. aloephang.* ʒij.
laud. opiati ʒß.
M. f. *pilulæ* pro 4. dosibus.

Hic obiter noto: quod ʒß. laudani opiati describatur pro quatuor dosibus, quoniam singularem habuit RHUMELIUS præparationem: pro varietate enim præparationum nunc præscribitur ad grana ij, iij, iv, nunc ℈ß, quod probè notandum.

Præterea sunt singulares hæ pilulæ aloephanginæ, si singulis mensibus ℈j ad ʒß assumatur ad præservandos oculos: prosunt in suffusionibus in imbecillitate visus, in suffusione notha, & similibus aliis oculorum affectibus per consensum stomachi; imo ad præservandam ebrietatem egregiæ sunt, ubi necesse est, ut bene potemus, referente SALMUTH *in Observ. Med. Cent.* 3. *Observ.* 44. Sic enim dicit de his: *Quidam respuebat amygdalas amaras, & aliquot pilulas de hu deglutiebat, unde mane nequicquam molestia ex potu percipiebat.*

Dosis est ʒß pro ebrietate arcenda vel ante vel post potum usurpantur: & observatum fuit quod soleant stimulare Venerem, adeo ut post earum usum erectio membri fuerit secuta strenua.

PILULÆ DE ALOE & MASTICHE.

Valdè conveniunt in affectibus capitis, aliisque in specie in dolore capitis per consensum uteri valde commendantur à FORESTO. *Descriptio* est in *Dispens. Augustano.* Valdopere quoque in cruditate stomachi sunt egregiæ cum mastix sit appropriatum stomachicum.

PILULÆ DE AMMONIACO.

Quercetani.

Hæ pilulæ egregiè conducunt in morbis chronicis quibusvis, quos veteres dicunt oriri ex obstructione mesenterii & linenis: v. g. in affectibus hypochondriacis, scorbuticis, cachecticis, & melancholicis, quartana, podagra, & similibus; quam podagram imprimis præservare dicuntur: blandè laxant, adeoque, quoniam non sunt nimis purgantes, stimulo scammonii & colocynthidis subinde acuendæ. Possunt etiam subinde specificari cum debitis Extractis, v. g. cum extr. Martis ad malum hypochondriacum, cum extr. absinthii ad febres intermittentes; cum extr. croci ad morbos mulierum cum extr. castorei ad passionem hystericam. *Dosis* est à ℈ß. ad ℈j. cui gr. j. vel duo scammonii præparati, cum gr. ß. vel gr. j. Extracti alhandal. pro stimulo additur. Salia fraxini vel absinthii caute addantur, alias liquescunt.

PILULÆ ARTHETICÆ.

Ita dicuntur, quoniam in principio insultus paroxysmi podagrici solent convenienter præscribi: item

item singulis 4. anni partibus pro præservanda arthritide.

Concinniores sunt:

PILULÆ ARTHRITICÆ.

Schafferi.

Quas habet AUTOR *pag.* 253. quæ valdè commendantur in arthritide. Præter arthritidem commendantur in paralysi, in tumore, & similibus articulorum affectibus.

PILULÆ AUREÆ.

Nicolai.

Hæ sunt satis fortes, & solent præscribi in affectibus stomachi & capitis invicem consentientium; in quo usu etiam pilulæ cochiæ solent præscribi: imo sæpius fit, ut pilulæ aureæ & pilulæ cochiæ præscribantur simul in talibus morbis, imprimis capitis contumacioribus.

PILULÆ BENEDICTÆ.

nro. 3.

Pilulæ benedictæ egregiè sunt usuales, & in affectibus chronicis, item pro præservatione morborum imprimis putridorum, conducunt; quoniam aloe est basis & balsamum præservativum ab omni putredine ac corruptione. Huic additur gummi ✱, cujus usus est satis cognitus in tono viscerum conservando, & obstructionibus præcavendis: quibus etiam accedit succus cardui benedicti, qui non minus est elegans præservativum. Possunt singulis octo diebus 5, vel 6, vel 8, assumi, ut alvus bis vel ter deponatur, & ita corpus in vigore conservetur.

PILULÆ CHOLAGOGÆ.

Quercetani.

In febribus dictis biliosis, in specie tertianis, conveniunt: sunt tamen rari usus, utut à QVERCETANO tanquam catholicum purgans soleant præscribi, & in affectibus tam chronicis quam acutis usurpari.

PILULÆ DE ESULA.

Fernelii.

Sunt nimis validæ, & apud nos non amplius in usu.

PILULÆ DE EUPATORIO.

Mesuæ.

Hæ magis corroborant & confortant, quam quod purgent; unde stimuli paulo fortiores sunt admiscendi.

PILULÆ DE EUPHORBIO.

Quercetani.

num. 7. *pag.* 254.

Pilulæ ex vitro antimonii præparato componuntur & credo, quod propter vitrum antimonii conducant in febribus, cum certum sit, quod dicit POTERIUS; quod febrium chronicarum appropriatum purgans sit antimonium. Item erunt convenientes in affectibus melancholicis, in melancholia hypochondriaca, in mania, cum affectuum melancholicorum, appropriatum purgans sit antimonium.

PILULÆ FEBRILES.

ad Quartanam Sennerti.

num. 8.

Quicquid operantur, habent ab aloe.

PILULÆ FOETIDÆ.

Mesuæ.

Pilulæ hæ vocantur *fœtidæ* ratione odoris, quoniam constant ex castoreo, ex asa fœtida, & similibus conducunt mulieribus uterinæ suffocationi obnoxiis quibus commodè præscribuntur, item conveniunt, ubi menses sunt remorati pro iis ciendis; quoniam ingredientia simul sunt emmenagoga.

PILULÆ DE FUMARIA.

Avicennæ.

Sunt *pilulæ catholicæ*, & valde conducunt in affectibus melancholicis, & ubi opus est purificatione sanguinis, imprimis scabie aliisque affectibus cutaneis.

PILULÆ GUMMOSÆ.

nro. 10. *pag.* 255.

Pilulæ hæ pro usu medico tanquam usuales sunt optimæ, & valdè conveniunt in quamplurimis morbis, in specie quidem ratione gummi ✱ci & galbani insigniter prosunt in affectibus intestinorum, è mucilagine vel pituita acida ortis; unde in colicis torminibus, ex eadem mucilagine vel pituita acida oriundis, insigniter conducunt. Deinde valde conveniunt in affectibus stomachi, apepsia & bradi pepsia, quos affectus corrigunt: in affectibus chronicis quartana, cachexia, menstruorum vitiis & similibus insigniter conducunt sicuti facile patet examine ingredientium, & quæ postmodum de earum virtutibus subjicit AUTOR. Nam gummata, uti notum est, conveniunt specifice in evacuanda pituita crassa ac viscida, unde etiam pilulæ *sagapeno Quercetani* in hoc ipso conveniunt. Loco harum pilularum substitui etiam possunt *pilulæ aperientes Tilemanni supra descriptæ*, & *tartareæ Bontii*, item quas habet SYLVIUS *in Praxi Lib.* 1. *cap.* 2. §. 34. *cap.* 7. §. 52. *cap.* 14. §. 50. *cap.* 30. § 138. *cap.* 34. §. 110. *&* *cap.* 35. §. 16.

PILULÆ DE HERMODACTYLIS.

Harum descriptio prostat in *Dispensatoriis Augustanorum*, *Cordi & Renodæi*: nam hoc significant literæ A. C. R. Usurpantur ab arthriticis; item in tumoribus pedum ac manuum œdematosis, qui sæpè subsequuntur morbos chronicos diuturnos: hodiè verò raro præscribuntur.

PILULÆ DE HIERA PICRA.

Parantur ex aloe, myrrha, scammonio, & similibus: vid. *Dispens. Augustan.* Dispensantur vel cum vel sine agarico. Ex his priores cum agarico sunt in usu, ubi scilicet opus est, ut evacuentur sordes viscidiores, seu pituita acida, ex primis viis, uti etiam ex pectore: unde sufficere possunt ad pilulas catholicas præprimis in affectibus abdominis & pectoris. Pro meliori autem operatione varius modus possunt specificari: e. g. cum extracto absinthii, & sic fiunt appropriatæ pro affectibus ventriculi & intestinorum; cum extracto quodam pectorali ad affectus pectoris: cum gummi ammoniaco in affectibus splenis, mesenterii, hepatis: e. g. possunt esse *pilulæ hypochondriacæ* hoc modo:

℞. *MP. de hiera picra cum agar.* gr. xv. (rarò ad ℈j præscribuntur)
gummi ✱ci in aceto vini vel squillit. sol. ℈ß.
extracti ♂ni gr. v.
troch. alhand. gr. j. ad ij.
c. ess. fumar. vel ℞. ℥ß. *pilulæ* pro dosi,
S.

Eröffnende Laxier Pillen.

Evacuant succos nidorosos, mucilaginem viscidam & similia alia excrementa.

PILULÆ HYDROTICÆ.

Ex tempre possunt fieri *pilulæ hydroticæ*, quæ serum & aquam expurgant ex extracto elaterii, colocynthidis, gummi de Peru seu gummi guttæ, & similibus, quæ satis potenter evacuant serum, & aquas per inferius guttur.

Compositio v. g. potest esse talis:

℞. *extr. elater.* ℈ß.
mag. de Peru, gr. vj.
extr. troch. alhand. gr. ij.
c. f. q. *essent. absinth.* vel *succi absinth. inspiss.*
f. *pilulæ*, d. s.

Purgier-Pillen.

quæ conveniunt in hydrope & similibus affectibus.

PILULÆ HYDROPICÆ.

BONTII.

nro. 11.

Sunt adhuc decantatæ. Basis est gummi guttæ, cujus loco substituitur resina jalappæ: stimulans est diagrydium: & digetentia & præparantia sunt gummi ammoniacum & tartarus vitriolatus. Descriptio est elegans, & valde conveniunt in hydrope; singulis septimanis semel sunt reiterandæ.

PILULÆ INDÆ HALY

Rari sunt usus nihilominus tamen in scabie & tumoribus melancholicis conveniunt, uti etiam in quartana. Observetur hic simul, quod superius dixi, pilulas nimirum in affectibus melancholicis non adeo esse convenientes, quoniam non ita solent operari, ut in reliquis subjectis. Cæterum corrigitur hic defectus, quando post pilulas hauritur haustus seri lactis, hora una vel altera interjecta; sic enim facilius dissolvuntur pilulæ, & distribuuntur in corpus, & felicius ac promptius purgantur Melancholici.

PILULÆ DE LADANO.

num. 13. *pag.* 256.

Compositio est satis simplex nihilominus tamen potenter operantur. Conveniunt in colica & quibuscunque affectibus intestinorum, ab acido viscido oriundis; item ubi caput dolet per consensum ventriculi.

Ladanum est basis, trochisci alhandal sunt stimulans, mastix vero & Elect. de succo rosarum sunt corrigens virulentiam trochiscorum alhandal.

PILULÆ LUCIS MAJORES

MESVÆ,

&

PILULÆ LUCIS MINORES

CORDI.

Pilulæ hæ vocantur *Lucis*, quia in affectibus oculorum olim adhibitæ sunt. Possunt specificari cum Extracto fœniculi, aut etiam oleo destillato: Verum cautela hæc observetur, ne scammoniata aut alia purgantia acriora, oculis inimica, addantur; unde sunt qui rejiciunt has pilulas, & *mitiores* exoptant, faciendo *ex extracto cephalico cum oleo fœniculi.*

PILULÆ MAROCOSTINÆ.

MINDERERI.

nro. 14.

Vetus est compositio, de qua *MINDERERVS integrum Tractatum* conscripsit, quem vocat *Aloedarium*, ubi ingredientia sunt examinata, vires exploratæ, & invicem collatæ. In præservando corpore à quibuscunque affectibus chronicis imminentibus instar purgantis catholici olim usitatæ erant. *Dosis* est à ℈ß ad ℈j. Possunt describi & determinari ad varias partes, & varios affectus, additione Extractorum specificorum. Vires satis prolixè descriptas videbitis in MINDERERO, & AUTORE *nostro pag.* 257.

PILULÆ MASTICHINÆ.

Pilulæ hæ in affectibus stomachi & capitis, à frigida causa obortis, nec non in affectibus uteri, prosunt, imprimis quando ex stomachi vitio fluxus menstruus deest uti in hoc passu eas valde deprædicat FORESTVS *Lib.* 9. *Observ.* 51. Dicit enim *qui sæpe iis utuntur, præservantur à doloribus stomachi, capitis & uteri: Mastix enim est simplex in quam plurimis stomachi & uteri affectibus egregium conferunt tristibus & melancholicis.*

PILULÆ MATRICALES

SCHEFFERI.

nro. 15.

Prosunt in affectibus uteri & chronicis ex mensium vitiis obortis; facile enim menses & lochia seu puerperium promovent uti patet iis, qui ingredientia examinant, & cognitas habent vires simplium.

PILULÆ PANCHYMAGOGÆ.

Quercetani.

nro. 16.

Pilulæ hæ dicuntur *Panchymagogæ*, quod ex veterum hypothesi omnes humores indiscriminatim evacuent. Sunt lenes & non adeo potentes, satis tamen tutæ, & valdè conveniunt, ubi opus est catholica purgatione: præservationis gratia tempore vernali & autumnali præscribendæ. Pro basi ad ℈j sumi possunt, stimulo convenienti addito.

PILULÆ PESTILENTIALES

Avicennæ seu communes,

&

PILULÆ PESTILENTIALES

Ruffi.

Pilulæ hæ abusivè dicuntur *pestilentiales*, cum vix illarum aliquis in peste usus sit, adhuc autem in usu sunt pro puerperis ad laxandam alvum, & promovendos menses, & lochiorum fluxum, ratione myrrhæ & croci quæ simplicia hoc in passu satis sunt convenientia; sunt enim nil aliud, quam quasi Elixyr proprietatis in forma sicca; sicut & eadem ferè habent ingredientia, quæ Elixyr proprietatis, aloen scilicet, myrrham, & crocum. Interim etiam loco pilularum usualium possunt usurpari, ita ut singulis septimanis vel 14. diebus assumatur dosis, quoniam una tantum aut duabus vel tribus vicibus evacuant. Dosis gr. xij. ad xv.

PILULÆ PESTILENTIALES.

Compositæ.

num. 18.

Pilulæ hæ melius ad alios affectus, quam ipsam pestem conveniunt; & ad omnes, quos ipsis AUTOR *pag.* 258. effectus tribuit, conducunt, non vero ad pestem.

PILULÆ ANTIPODAGRICÆ.

Doringii.

Pilulæ hæ non sunt purgantes, sed alterantes tantum nihilominus tamen iisdem DORINGIUS se præservavit à Podagra: vid. HORSTIUS *in loco ab Autore nostro citato*, ubi est *epistola* DORINGII *ad Horstium*, in qua testatur, quomodo se illis à podagra præservaverit.

PILULÆ POLYCHRESTÆ.

num. 19.

Elegans harum compositio est, cujus ℈j blandè laxat.

PILULÆ DE RHABARBARO.

Conveniunt pro evacuanda cruditate nidorosa, & ab hac derivatis affectibus, febribus tertianis, & similibus.

PILULÆ DE SAGAPENO.

Commendantur in quartana, malo hypochondriaco, & similibus: In quartana ante paroxysmum propinantur. Necesse autem est, ut præmissa sint convenientia digestiva, imprimis Martialia.

PILU-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1088-8 DFG

PILULÆ SINE QVIBUS ESSE NOLO.

Nicolai.

Pilulæ hæ sunt rari usus; nihilominus tamen pro purgatione catholica interdum præscribuntur.

PILVLÆ DE SUCCINO.

Cratonu.

num.21. pag.259.

Conveniunt valdè in affectibus catarrhalibus, & ubi opus est purgatione seri: unde etiam vocantur *pilulæ catarrhales*; sicut etiam in affectibus capitis & defluxionibus ad oculos, nares, & fauces, item pro purgandis senibus, affectibus catarrhalibus speciatim obnoxiis, sunt egregiæ.

Dosis ad ℈j cum mediocri stimulo, vel ex scammonio, vel ex colocynthide, &c.

PILULÆ TARTAREÆ seu MELANAGOGÆ.

Quercetani.

nro.20.

Dicuntur *Pilulæ Tartareæ*, quoniam adjuvans est cremor tartari. Laboriosa harum compositio est, & paucis parari posset. Valde conveniunt in affectibus melancholicis, scorburo, malo hypochondriaco, in quartana, in genere in omnibus affectibus chronicis in specie in scorburo valde commendantur, sic in affectione hypochondriaca cachexia, & aliis affectibus chronicis, potest præscribi talis formula:

℞. *MP. Cear. Querc.* ℈j.
extr. ○ tu aperit. cum succo pomor. Borsdorff. parati ℈ß. vel gr. xij.
trochisc. alhand. gr. iß.
cum ℞ *f. pilulæ.* S.

Eröffnende Laxier-Pillen.

Interdum præscribuntur simul loco baseos MP. de ammoniaco & MP. Cearum Quercetani hoc modo:

℞. *MP. de ammon.*
Cear. Querc. ana ℈ß, &c.

In scorbuto possunt fieri cum spiritu cochleariæ, vel possunt irrorari cum oleo cochleariæ destillato, utut hoc fiat rarius: nam extracta herbarum scorbuticarum non dantur propter sal volatile.

PILVLÆ TARTAREÆ.

Bontii.

nro.23. pag.260.

Compositio pilularum harum *tartarearum* est simplex sed valde elegans & non minus potens, quam pilulæ tartareæ Quercetani. Dicuntur ita, quoniam tartarus est stimulans. Sunt egregiæ in morbis chronicis, etiam magis pro scopo primas vias abstergendi, adeoque tanquam *pilulæ usuales*, quam pro scopo fortiter purgandi conveniunt; quia leniter & suaviter purgant. Nam observetur in purgatione scorbuticorum, hypochondriacorum, melancholicorum, & affectione hysterica laborantium, quod nullo modo ferant fortiora purgantia: id quod etiam intelligendum est de aliis affectibus chronicis; nec una vice multum sed multis vicibus parum est evacuandum; nam materia est valdè crassa, & longam requirit moram ad coctionem. Potius singulis 14. diebus, vel singulis mensibus, semel talis instituenda lenis evacuatio, quæ fit per epicrasin, & quidem si una vice bis vel ter purgentur ægri, sufficit: nam propter concurrentia symptomata, & tormina ventris nimia, nullo modo possunt ferre purgantia vehementiora. Propterea tales pilulæ sunt cæteris præferendæ: id quod etiam intellectum volo de hystericis; vidi enim aliquot mulieres, quæ afflictæ scorbuto, propinatis pilulis paulisper fortioribus inciderunt in graves hystericas passiones; quod bene observetur, quoniam est magni momenti in praxi.

Hæ fuerunt Pilulæ purgantes ab AUTORE *nostro* descriptæ.

CAPUT LXXIV. DE POTIONIBUS.

Potio frequentissima est præscribendi formula, & varia complectitur remedia. Præscribitur ex variis ingredientibus, tam liquidis quam siccis, certa proportione & dosi coordinatis, & inter se invicem mistis, nunc pro una, nunc pro pluribus dosibus, idque scopo vario, habita ratione odoris & saporis: propterea alio nomine etiam vocari solent *Misturæ* communiter.

In harum compositione duo attendenda; *Materiale*, & *Formale*.

Quoad *materialia* sunt vel liquida vel sicca, vel fixa vel volatilia, & sic porro.

Formale vero quod concernit hic observetur primo dosis ingredientium tam generalis quam specialis. Hæc specialis scilicet variat, pro varietate remediorum simplicium: sic v. g. salia volatilia in forma sicca præscribuntur ad grana xv. vel ℈j, jalappa ad ℈j, pulvis stomachalis ad ℈j, specificum febrile Croii ad ʒj, Elixyr proprietatis ad ʒß.

Cæterum attendatur quoque dosis generalis, qua nempe ratione & proportione ingredientia Misturas debeant ingredi ut sequatur genuina proportio & elegans miscela, ut conjunctim tot doses efficiant, quot requiruntur.

Annotetur autem hic;

1. *Liquor constituens Misturam*; &
2. *Addenda & Dissolvenda* in liquore.

Liquor est multiplex: ordinariè est aqua quædam destillata, una vel plures sive simplex sive aqua quædam destillata composita. Interdum loco aquæ cujusdam destillatæ assumitur decoctum aliquod simplex, vel etiam aliquantisper compositum. Loco decocti interdum assumitur Infusum quoddam appropriatum in conveniente quantitate quod conciliat corpus ipsi Potioni.

Addenda reliqua sunt varia appropriata, ut aquæ appropriatæ spirituosæ (hæ enim, quoniam sunt nimis penetrantes, corpus non possunt substituere, & propterea in minori quantitate sunt præscribendæ) succi, spiritus vegetabilium & animalium essentificati, i.e. sale suo volatili acuati, olea destillata, salia, essentiæ, extracta, elixyr, Tincturæ, &c. dissolvuntur etiam non rato confectiones, item Electuaria quædam officinalia appropriata. Ulterius sæpius etiam adduntur pulveres affectui & scopo à Medico intento appropriati & denique propter gratiam saporis syrupus quidam appropriatus additur, ne nimium nauseosa sit Potio.

Hæc verò unio cujusq; ingredientis præter propter proportio esse debet, ut aquæ destillatæ sive alio liquoris *unciæ uni* addantur aquæ minus spirituosæ ʒß. aquæ verò spirituosæ compositæ ʒij ad ʒß; ex succis ʒij vel iij. Elixyr ʒj interdum ʒij spirituũ volatilium inflammabilium ʒj: spirituum salinorum volatilium, si sunt probè rectificati & acres ʒj. Electuarii ℈ij vel ʒj. Confectionis cujusdam analeptica, e. g. alchermes, &c. ℈j ad ʒß. Extracti ℈j ad sumũum ʒß.

pulve-

pulverum ℈j ad ℥ß; essentiæ ʒj præter propter; Tincturarum à ʒß ad ʒj: ubi tamen notandum, quod essentiæ & Tincturæ rarius misceantur cum aquis, quia præcipitantur; salium volatilium grana xv, ad summum ℈j; olei destillati gutt. v, vel vj. Syrupi ʒij vel ʒiij, ad summum ℥ß. Rarò solemus progredi ad majorem syruporum quantitatem, sicuti Veteribus fuit in usu ne saccharum inducat noxam, uti sæpius monui. Omnia autem ingredientia simul sumpta non excedant ℥v, & ad summum ℥vj.

Quoad *modum assumendi*: hauriuntur tales Potiones & Misturæ vel una vice, quando v.g. purgare aut sudorem movere volumus, vel pluribus vicibus, quando scopus est indeterminatus & successive intentus: unde Misturæ tales, quæ pro pluribus dosibus præscribuntur, vel determinantur quod vicibus assumi debeant: v.g. si præscribuntur pro 4. vicibus, tunc postulat Medicus & jubet, ut 4. vicibus assumatur, & dividatur in quatuor partes æquales; vel indeterminatè ordinantur, ut scilicet æger singulis horis capiat cochl jvel ij ad iij pro ratione circumstantiarum: sapor & odor attendatur etiam ne sint nauseosæ & ingratæ tales Misturæ.

Differentiæ earum ratione effectus sunt quod aliæ sint *alterantes*, aliæ *purgantes*; item quod aliæ interne, aliæ externè applicentur: quæ cum multi formes sint, & saltim ordinentur à Medico, ut ex tempore præparentur, harum exempla habebimus *in Collegio Formularum.*

Super est ut examinemus Potiones quasdam quæ in AUTORE *nostro* occurrunt: quas inter est.

POTIO PURGANS.

nro. 1.

Potio hæc præparata ex Extractis, est horrida; loco hujus commendo quoddam Extractum catholicum, dissolutum in aqua appropriata.

A L I A.

num. 2.

Potio hæc corrigenda est Epithymum & spica Celtica nil valent: saltartari addi debuisset ad ʒß melior enim sic operatio successisset. Aliter ergò, & quidem sequenti modo, parari potest:

℞. *fol. sennæ* ʒiiß.
rhabarb. electi ʒj.
zingib. ℈ß.
⊖ ♁℈j ad ʒß.

Infund. in f. q. ▽ *a fumar.* per ☌ ☍: in colat. dissolvatur
syr. rosat. solut. ℥j. M.

Non opus est confectione Hamech.

POTIO SUDORIFERA.

num. 3.

Efficax admodum est hæc *Potio sudorifera*, quæ concinnius ita præscribitur:

℞. ▽ *e card. bened.* ℥ij.
clysfi ʒ j.
el diasc. Fr. ʒj.
syr. card. bened. ʒß.
M. S.

Schweiß-Tranck.

Vel:

℞. ▽ *a card. bened.* ℥iß.
clysfi, vel hujus loco ✠ *i sambuc.* ℥ij.
el. diascord. Frac. ʒj.
rob. junip. ℈j.
extracti card. bened. ℈ß. M.

Vel

℞. ▽ *card. bened.* ℥ij.
mell. juniperin. ℈j.
extr. card. bened. gr. xv.
syrupi card. bened. ℥ß. M.

ALIA SUDORIFERA.

nro. 4.

Pro hac inconcinna Mistura, sufficit Mistura simplex ad ʒj usurpata.

Potiones Vulnerariæ num. 5. *&* 6. *pag.* 262. sunt Decocta.

CAPUT LXXV.
DE
POMIS AMBRÆ.

PUlveres ex subjectis, odorem suavem & penetrantem sine ignis ope ex se diffundentibus, cum mucilagine Tragacanthæ excepti, & in globulos rotundos formati, constituunt *Poma odorata*: quibus, si ad gratiam odoris, & non tam ad sanitatem quam voluptatem, addatur ambra, zibethum, Moschus, &c. tunc in specie vocantur *Poma ambræ*, quæ sæpius scilicet usurpantur pro voluptate non pro sanitate.

CAPUT LXXVI.
DE
PRÆPARATIS.

SOlidius concretum terendo, contundendo, aut alio modo in minutiores sui particulas redactum, constituit Pulverem; qui pulvis ex seminibus paratus, dicitur *Farina*. Sin vero, præter simplicem contusionem, simplicia exacte terantur, durioris præsertim substantiæ, ex minerali & animali regno, v.g. lapilli cancrorum, cornu cervi ustum, corallia, &c. super porphyrite, *Præparata* dicuntur; quæ à pulveribus contundendo saltem paratis non differunt, nisi quod per tritum illum accuratiorem in minutissimum alcohol redacta sunt. Catalogum horum Præparatorum, ut & modum præparandi, habet AUTOR.

Observandum autem; quod in præparatione communiter affundatur aqua appropriata spirituosa scopo conveniens, v.g. quando Tutia præparatur cum aqua euphrasiæ pro oculis, cinnabaris antimonii cum spiritu liliorum convallium pro capite; cranium humanum cum aqua florum tiliæ, cerasorum nigrorum aqua spirituosa liliorum convallium in epilepsia; lapides percarum cum aqua spirituosa alkekengi pro usu nephritico; succinum cum aqua spirituosa serpilli, &c. Verum, quia post exsiccationem ∽ avolant, parum virtutis ab præparatis accedit. Sufficiet ergo ▽ simplex aut loco spirituum Præparata jam exsiccata lævigando adhuc imbibantur c. essentiis appropriatis. Deinde Præparata non debere esse duriora ipsa lapide, super quem fit iste tritus, alias nimis de hoc simul abraditur. Denique animalium partes communiter vel Philosophicè vel communi modo calcinatas præparari, sed quoniam sub istis calcinationibus plus minus castrantur, aut enervantur ipsa concreta, propterea elegantior modus est præparandi ossa, & cornua cruda, quem usurpavit CNOEFELIUS & prostat *in Append. M. A. N. C. Ann. 6. pag.* 48.

Præparata hæc longè sunt præferenda Magisteriis; quoniam nude tantum prosunt simplicia, dum præparantur: ut ideo qui sciunt virtutes simplicium, etiam præparatorum usum non ignorent.

CAPUT

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1090-1
DFG

CAPUT LXXVII.
DE
PULVERIBUS & SPECIEBUS.

PVlveres quid sint? notum est: Vocantur interdum *alcohol, sief, Tragea*, *Alcohol* duo significat: in scholis enim chymicorum primo notat spiritum vini rectificatissimum: deinde in pharmacevticis eo intelligitur pulvis subtilissimus, qui fere palpari, & magis attenuari non potest. *Sief* est vocabulum Arabicum, quo intelliguntur pulveres, qui oculis inflantur. In specie *Tragea* est pulvis non adeo exacte contritus, ut *Tragea stomachales*.

Compositi pulveres ex pluribus præsertim aromaticis ingredientibus dicuntur voce in pharmacevticis recepta species.

Pulvis alias est vel *officinalis*, vel *magistralis officinalis* est, qui semper reperitur in officinis, & in hoc differt à magistrali: sic *pulvis officinalis* sunt species diagalangæ, item pulvis contra catum: *Magistralis* est, qui præscribitur à Medico pro usu necessario, v.g. in febre ex variis simplicibus febrifugis.

Pulveres in dosi sufficiunt à ℈j. ad ʒß, rarissimè ad ʒj, si sunt grati; alias enim nauseosi sunt. Sunt etiam quandoque solubiles in vehiculo, ubi excellunt salia.

Pulveres autem dispensantur vel pro usu interno, vel externo.

Pro interno usu est vel *pulvis purgans*, vel *alterans*: *Purgans* ex simplicibus catharcticis ex scammonio & aliis, tam ex regno vegetabili quam minerali desumptis, constat. Inter *pulveres alterantes* sunt acidum absorbentes fermentationem & effervescentiam sanguinis compescentes, menses provocantes, seu stomachici, seu alii pro varietate scopi intentione Medici. Externus pulverum usus paritèr est varius: sic pulveres ulceribus inspergunturur; pro dentifriciis item, ut & pro suffitibus catarrhalibus adhibentur.

Cæterum plures *Pulveres officinales* ab AUTORE recensentur: quos *litera A* consignavit, habentur in *Dispens. Augustano*, cujus corrector fuit ZWELFERVS; quos vero *numero* notavit, ab AUTORE describuntur.

Nota autem *prima* AUTORIS de aromaticis probe observanda est, ea scilicet non minutissime esse pulverisanda, ne maxima, eaque volatilior pars, exhalet.

PULVIS ASARI.

Est vomitivus.

Inter *Pulveres alterantes* usuales occurrit.

PULVIS CONTRA ABORTUM.

Cujus descriptio, prout in *Dispensatoriis* est, admitti potest; addatur tamen ebur sine igne, corallia præparata, magisterium corallinum cum succo citri, &c. & ita ad ʒß. in jusculo vel haustu vini generosi dari potest. Confert sufficienter in imminente abortu; sed hujus loco laudarem sequentem:

℞. *pulv. ☉ in* ℳ. *exsicc.* ʒij.
☉ *calcin.* ʒj.
ebor. sine Δ*e.*
corall. rub. præpar. ana ℈ij. M.

Dosis sit ℈j ad ʒß. ad præcavendum abortum in vehiculo aquæ liliorum alborum, verbenæ, aliove simili.

PULVIS ANONYMI
contra
PHTHISIN.

Pulvis hic simillimus est *pulveri Haly contra* phthisin. Ingredientia sunt partim semina oleosa, partim gummata mucilaginosa, ut corrigant lympham nimis actem, tussim ex eadem causa nocturnam, asperitatem faucium, & similia. Dosis ʒj. tempore vespertino solet præscribi, partim per se, partim in Electuariis & rotulis contra dictos affectus; sit tamen recens præparatus non rancidus.

PULVERES BEZOARDICI.

Pulverum Bezoardicorum tot prostant compositiones, quot capita. Instar omnium sufficit pulvis fixus, ut antimonium diaphoreticum, vel Bezoardicum minerale: pulvis vero volatilis instar omnium erit sal volatile cornu cervi, vel sal volatile viperarum.

PULVIS CACHECTICUS QVERCETANI.
num.4. pag.268.

Hujus basis est *crocus Martis saccharinus*, seu limatura chalybis cum sulphure calcinata, vel cum aqua simplici in crocum redacta. Præparationes AUTORIS nihil valent; fit enim certe crocus indissolubilis; & potius præferenda est cruda limatura, vel cum salibus præparata. Loco hujus.

℞. *limat ♂is crud.*
♃i ana part. æqual.

Affundatur *aqua fervida*, ut instar pultis fiat: tandem in pulverem subtilem obscuri coloris abit. Talis *crocus Martialis* requiritur pro basi pulverum cachecticorum: vel præparetur *crocus Martis aperitivus* ad manuductionem CNOEFELII: vid. *M. A. N.C. Anno 6. Append. pag.* 105. 111. & 112.

Fecula imbi nil valent, sunt enim caput mortuum, & terra inanis: Magisteria pariter coralliorum & perlarum nil valent. Potest addi ebur sine igne item salia fixa apertiva, sal absinthii, sal artemisiæ, & sic porro.

Vicinus pulveri huic cachectico est *Pulvis cachecticus D. Bezæ*, cujus hæc est compositio.

℞. *crem.* ♃i ʒß.
croci ♂is aperitivi,
fl. ♀is ana ʒj.
rhabarb. el. ℈j.
mag. corall. ʒß.
limaturæ ♂is præpar. ʒj.
succini albi præpar.
fœculæ ari (potius *rad. ari præpar.*) ana ℈iiß.
macis
cinnam.
nucistæ ana ʒj.
sacchari rosati tabul. ℥iij.
ambræ gris. gr. ij.
sem. aquileg.
nasturt.
violar.
cochlear. ana ʒß.
M.f.l.a. *pulvis.*

Sed potius loco horum pulverum cachecticorum sit talis:

℞. *croci ♂is d.m.par.* ʒj.
myrrhæ el.
corall. rubr. præpar. ana ʒij.
ambræ gris. ʒß.
℞o sacch. cinnam.
caryophyll. ana ʒj.
M.f. *pulvis.*

Dosis ℈j. ad ʒß, ad summum ʒj.

Vel

℞. *croci ♂is aperitivi*, præsertim CNOEFEL. vel hujus loco *alius convenient præpar. ♂tal.* ʒj.

corall. rubr. præpar.
matr. perlar. præpar. ana ℥j.
caryophyll.
cinnam.
ambræ gris. ana ʒß.
℞ *destill. macis*, gutt. xij.
M. f. *Pulvis*
Dosis ʒß. ad ℈ij.

Egregium erit medicamentum mane assumptum jejuno stomacho pro usu in chylosi & sanguificatione imminuta, affectibus melancholicis, affectione hypochondriaca, cachexia virginum, aliisque morbis chronicis cachecticis.

In usu vero pulverum horum cachecticorum observetur: quod nunquam sint sumendi prius sine præmisso purgante, ac leniter evacuante primas vias: hoc facto 10. vel 12. diebus pulveres cachectici continuato usu adhibentur, ex quorum usu excrementa sunt nigra propter Martem; interponendo omni septimana, imo post 3. vel 4. dies blandum laxativum, & simul post usum corpus movendo.

PULVIS AD CASUM
Augustanorum.

Pulverem hunc videbitis *in Dispensatorio Augustano.* Remedium est ubi sanguinis congrumati metus, e. g. in casu ab alto, sputo cruento, &c. Usurpari potest in vehiculo vini acidi, aut cochl. aceti vini vel destillati, vel sambucini, misti cum aqua chere folii, & expectari postmodum sudor. Sed loco compositi talis pulveris abunde sufficiunt lapilli cancrorum à ʒß ad ℈ij, in vehiculo pauci aceti propinati.

PULVIS CATHÆRETICUS
pro ossibus S. Clossai.

Compositio genuina est, optimè conveniens in carie ossium, si nempe ipsis adspergatur pulvis, remedium est revera præstans: addatur oleum caryophyllorum; Galli enim chirurgi hisce oleum caryophyllorum inspergere solent, tanquam specificum.

PULVIS DE CYPERO
num. 6. pag. 269.

Pulvis de Cypero odoriferus vocatur Puder / & usurpatur externe, ut ille inspergatur vestimentis & capillis.

PULVIS DENTIFRICIUS
num. 7.

Pulveres dentifricii sæpius præparantur ex pulveribus adstringentibus, acidum gingivas corrodens & flaccidas reddens absorbentibus, & destruentibus ulcera gingivarum. Horum pulverum basis sæpius est pumex & os sepiæ: quibus pro gratia additur pulvis rad. ireos florent. & pro gratia coloris rubri, sub quo sæpius expetitur, permiscetur pulvis sanguinis Draconis, qui adstringit. Hæc tria fere in omni pulvere dentifricio occurrunt: quibus adduntur reliqua à Medico præscripta & necessaria pro scopo.

Basis in pulvere AUTORIS est silex calcinatus; pumex est adjuvans; oleum ligni Rhodii additur ratione odoris. Pumex pro pulveribus dentifriciis aliquoties ignitur, & aliquoties extinguitur in vino rubro; sic tandem contunditur & bene teritur: alii bene calefactum pumicem extinguunt in lacte aliquoties, & postmodo bene contundendo pulverisant.

Ut autem pumex pro pulveribus dentifriciis rubescat, si non volumus addere santalum rubrum, vel sanguinem Draconis, tunc recipimus coccionellam, eamque solvimus in aqua aluminis, & tali rubinea solutione adspergimus pumices pulverisatos, vel ipsos pulveres dentifriceos, & ita suaviter rubescunt.

Quidam mirificè commendant *hunc pulverem dentifricium* pro dealbandis & firmandis dentibus præstantissimum scilicet recipiunt duos *pumices*, & mutuo attritu redigunt in pulverem, quem infundunt in *aquam in qua santalum rubeum fuit infusum*: addunt aliquid *aluminis rocha*, & pulvis omnino fiet ruber, qui postmodum exsiccetur, & adspergatur aliquot guttis *aquæ rosarum*, in qua fuit dissolutum tantillum *Zibethi.*

Merito autem ex his pulveribus silices & pumices, ceu durioris texturæ lapides, & qui gingivas absumere valent, rejicit ZWELFERUS, qui alium *pulverem dentifricium tartareum* ejus loco substituit *Pharm. Reg. pag.* 101.

Elegans quoque est *Pulvis dentifricius contra scorbutum oris*, quem describit BARTHOLINUS *Cent. 6. Histor. Anatom.* 54.

℞. *fol. aquileg.*
sem. cochlear.
cort. rad. cappar. ana ʒß.
rad. ireos Florent.
alum. usti ana ʒij.
maxillæ luc. pisc.
corall. alb.
C. C. usti ana ʒij.
Pulverisentur subtilissimè, & irrorentur cum ℞ *caryophyllorum destillato.*

D. S.

Zahn-Pulver gegen die Mund-Fäule.

Potest perfici hic pulvis, si irroretur aut imbibatur cum spiritu cochleariæ, ubi scorbutus oris est contumacior, aut certe periculosior. Pro ditioribus potest addi aliquot grana Moschi vel ambræ pro gratia odoris.

Sic v. g. talis pulvis pro ditioribus est *Pulvis dentifricius Principissæ Altenburgensis*:

℞. os. sepiæ,
C. C. Usti,
pumic. ana ʒiij.
Moschi ℈j.
M. f. *pulvis*: cui adspergatur,
℞ *rosar.* ʒß.
& siccetur: Interim
℞. *gran. chermes.*
santali rub. ana ʒß.
℞ *vini* q. s. pro extrahenda ℞:
quâ irroretur aliquoties prædictus pulvis, & resiccetur.

D. S.

Köstlich Zahn-Pulver.

Talibus pulveribus fricantur, uti notum est, dentes, & post frictionem absterguntur vel aqua simplici; vel quod melius, decocto vel aqua appropriata, seu post dentifricia sicca sæpius debent usurpari dentifricia humida.

Reliqua ingredientia, quæ solent permisceri his pulveribus, variant pro varietate scopi: nam quando gingivæ sunt tumefactæ, sunt flaccidæ propter copiosam lympham acidam, quæ eas impregnat, unde etiam sæpius sunt cruentæ; tunc recipiuntur commode talia, quæ imbibunt istam humiditatem, absorbent istud acidum, & blandè adstringunt: quæ inter primum locum obtinent calcinata, v. g. testæ ovorum

ovorum calcinatæ, farina virginea MYNSICHTHI, lapilli cancrorum, osteocolla, alumen ustum, &c.

Tales pulveres postmodum, uti patet, permiscentur aliis dentifriciis liquidioribus: nam si talis pulvis excipiatur c.s.q. mellis rosati, vel anthosati, fiunt exinde linimenta valde convenientia pro gingivis: ubi præterea est abstergendum & detergendum, & ubi necesse est, ut interdum dentifricium diutius hæreat in dentibus talibus pulveribus cum melle aliquot guttæ olei ligni Rhodii vel caryophyllorum possunt addi, pro suavi activitate & conciliando suavi anhelitu. Loco mellis non raro sumitur rob diamorum vel dianucum, utpote quæ per se potenter adstringunt, quod si est affectus scorbuticus gravior, tunc cum pulveribus permiscetur oxymel vel simplex, vel scilliticum.

Imo vel solus cinis torismatini vel nicotianæ, nisi adest scorbutus, paucis guttis olei destillati caryophyllorum irroratus, pulverem dentrificium constituit.

PULVIS DYSENTERICUS CROLLII.

num. 9.

In hoc ipso duo primaria forte specifica deficiunt: epata nempe viperina, & priapus ceti, tauri, vel cervi. Alias pro cognitione materiæ Medicæ est admittendus. Sed quid opus est tanta farragine? præstat his ex paucioribus concinnatus *pulvu dysentericus D. Michaelis*, quem vid. in HOFFMANNI *Clave pag.* 108. cui postmodum D. MICHAELIS pulverem epatum serpentum addere consuevit. Certè in ejusmodi antidysentericis primaria ingredientia sunt corallia rubra præparata, terra sigillata, radix tormentillæ, epata viperina, priapi, unicornu fossile, & unicornu verum; ex quibus pro circumstantiarum ratione 1000 compositiones fieri possunt addito simul stomachi ratione vel oleo destillato macis, vel oleo destillato cort. citri, aliovè simili.

PULVIS EPILEPTICUS

Marchionis cum & sine unicornu A.

Anchora mulierum sacra est contra epilepsiam infantum. Ingredientia sunt, quæ absorbent acidum. In genere ergò vim habet absorbendi acidum infantum torminosum, quod inquinat lac, & pavores nocturnos causatur, dosi ℈ß. ad ℈j, irroratus aliquot guttis olei destillati anisi: unde cum cinnabari antimonii, vel specifico cephalico D. MICHAELIS aliisque medicamentis antiepilepticis & alexipharmacis, infantibus ante eruptionem variolarum & morbillorum, ut succurratur epilepsiæ, propinari solet. Sed non adeo concinna est præparatio; & potius ejus loco pulverem puerilem in *Valetud. Infantili & Colleg. Practico*, ubi *de morbis infantum*, nec non *Idea Præscribendar.* formular *præscriptum*, commendarem, vel præscriberem talem:

℞. *corall. rubr. præp.* ʒij.
margarit. præpar.
unicorn. veri præparat.
ebor. sine △e ana ʒj.
△*is veget. ex corylo* ʒiß.
♁ *destill. anisi* q.s.m.

Sub usus tempore pro circumstantiarum ratione nunc addita cinnabari nativâ, vel addito sale volatili C. C. ulterius specificari & exaltari poterit.

PULVIS ANTIEPILEPTICUS *de* SECVNDINIS,

num. 10. pag. 270.

Pulvis hic nimiam farraginem simplicium habet. Basis est secundina præparata, & cranium calcinatum, in quo tamen omnis vis activa evanuit. Moschus & ambra possunt omitti, si forsan mulieribus sint adversa. Si igitur delectus habeatur prolixâ hæc compositio, in pauca hoc modo potest contrahi:

℞. *pulv. secund. rite parati* ℥j.
rasuræ cran. humani violenter interempti
vel *sine igne*, vel *supra insinuato modo præp.* ʒvj
castor puri ʒj.
⊖ *vol. succini* ʒj. ad ℥ij.
C. C. ʒß. ad ʒj.
dao sacch. matu vel succini q.s. pro gratiâ,
M.f. *Pulvis.*

Hic pulvis habet materiam medicam selectam ex isto composito: quod si castoreum non æque omnibus placeat, etiam omitti, & ejusdem loco succinum præparatum commode substitui potest.

Pulvis hic est egregius, cum notum sit, quod secundina sit specificum singulare in quam plurimis affectibus, in specie in omni epilepsia. Si ergo contingat mulieribus, ut ex secundina & lochiis retentis oriantur horrenda symptomata, præcipuè epilepsia, in tali casu hic pulvis valdè erit conveniens, præprimis cum reliqua ingredientia castoreum, &c. simul respondeant. Potest propinari in aqua liliorum convallium, in aqua secundinæ, in aqua hirundinum cum castoreo.

PULVIS ANTIEPILEPTICUS DIAPHORETICUS.

num. 11.

Pulvis hic paratus ex cinnabari antimonii & magisteriis, *specificum* cephalicum est D. HARTMANNI, quod revera coincidit cum specifico cephalico D.D. MICHAELIS, saltim quod loco magisteriorum ab AUTORE allegatorum magisterium suum epilepticum & cordiale cum fæcula pæoniæ addat. Sed magisteria nil omnino valent, fæcula est effœta adeoque quicquid ex hoc pulvere speratari potest, hoc simpliciter cinnabaris ratione basis, præstat, quæ à CRATONE vocatur *Magnes Epilepsiæ*. Unde certè dictus pulvis ratione hujus cinnabaris egregiè convenit in epilepsia infantum & adultorum, item in convulsionibus, junctis cum variolis & morbillis, aliisque morbis malignis, contracturis artuum, apoplexia, &c. Loco Magisteriorum substituantur Præparata, & erit longè melius. Admiscetur ergo commodè sal volatile succini, quod est egregium cephalicum; unde si præparandus pulvis cephalicus, alium præparatem ita:

℞. *cran. hum. violenter interempti s.* △e.
unic. veri, vel *pulv. auriculæ ceti* ana ʒj.
cinnabar. ℥ij ʒj ad ʒiß.
⊖ *volat. succini probe purif.* gr. xxiv, vel ʒß. ad ℥ij.
M.f. *Pulvis*
Pro aliquot dosibus.

Ad imitationem hujus possunt certè multi pulvetes adhuc præparari, modo observetur basis, quæ est cinnabaris, in qua multa latitant arcana. Hæc si teratur cum salibus volatilibus, color eius mirè intenditur, & emergit summè diaphoretica; ac sane verum est, in epilepsia & morbis convulsivis, etiam febribus malignis, in quibus metus est, ne spiritus animales ac genus nervosum gravius afficiantur, egregia est hæc cinnabaris: v.g.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1093-8 DFG

℞. *cinnab. el.* vel *cinnab.* ℥ii *rite paratæ* gr. xv.
⊖ *volat viperar.*
C.C. ana gr. iv.
camph. gr. ij. vel iij.
M. f. *pulvis.*

cujus usum egregium & felicem in febribus malignis aliquoties expertus sum.

Loco salis volatilis viperarum & C.C. conveniunt sal volatile succini & sal volatile cranii humani. Ego cum sale volatili succini in epilepsia scorbutica pulverem fere similem nuperrime præscripsi cum successu, præmisso prius clystere; quoniam erant convulsiones mesenterii & intestinorum, die schwehre Noth im Leibe:

℞. *cinnab.* ℥ij gr. xv.
⊖ *vol. succ.* ℈ß.
Laud. opiati gr. ij.
camph. gr. j.
M. f. *Pulvis.*

Hertz und Haupt-Pulver.

(non enim volunt interdum patientes, ut fiat mentio epilepsiæ:)

Hoc propinato semper ante paroxysmum, qui singulo triduo recurrere solebat, iste impediebatur, & æger perfecte curabatur.

PULVIS EPILEPTICUS.

Arnoldi VVeickardi.

nro. 12.

Hic est farrago promiscua ingredientium, nec non adeo elegans; nihilominus tamen potest tolerari.

PULVIS FEBRILIS.

num. 13.

Propinatur à ℈j ad ʒß. vel ℈ij. ante paroxysmum febrium intermittentium. Præterea in febribus malignis convenit tanquam diaphoreticum propter C.C. & antimonium diaphoreticum, quorum ratione pulvis hic potest tolerari, si adsit diarrhœa symptomatica; quoniam C.C. adstringit: ubi autem hæc non præsto est, non habet usum C.C. ustum quoniam est spoliatum suo spiritu, & omni sale volatili, à quo dependet vis diaphoretica: potius assumendum est C.C. philosophice calcinatum. Commode etiam pulvis hic potest propinari in pleuritide, præmissa venæ sectione, si opus est, ad ʒß ad ʒj, quam per sudorem curat; in specie quoniam ingrediens quoque est semen cardui benedicti, &c. In febribus autem intermittentibus præ talibus pulveribus præstant salia fixa vegetabilium cum antimonio diaphoretico, præsertim Martiali, mista, quæ certiora quam pulvis chinæ chinæ: v.g.

℞. ⊖ *us absinth.*
card. bened.
℥ii *diaph.* ana ℈j. vel gr. xxvj.
℥o *destillatis macis*, vel *caryophyll.* gtt. vj.
M. f. *Pulvis*
Pro dub. dos.

qui potentissimum est remedium febrifugum.

TRAGEA FORTIS.

nro. 14.

Tragea fortis nihil est aliud, quam pulvis grosso modo paratus; & quidem Tragea hæc constat ex aromatibus, quæ, uti *superius monui*, non debent valdè comminui propter partes volatiles oleosas, facile evanescibiles: quæ Tragea fortis usurpatur post pastum, & propinatur cachecticis, vel etiam senibus, hypochondriacis, & iis, qui apepsia & anorexia laborant.

TRAGEA GROSSA.

num. 15. *pag.* 271.

Cum priori ejusdem est usus, quia similiter constat ex aromatibus, similibusque carminantibus, estque pulvis stomachicus digestivus.

TRAGEA HEPATICA

Quercetani.

nro. 16.

In hoc pulvere est basis crocus Martis aperitivus qui etiam est basis pulverum anticachecticorum. Jam verò, quoniam veteres cachexiam ab epatis sanguificatione læsa, derivarunt, vocarunt *Pulveres Epaticos.* Moderni dicunt; convenire in temperando acido abundante, tam in stomacho & primis viis, quam in M. S. & epate.

TRAGEA HYSTERICA

Quercetani.

nro. 17.

Pulvis hystericus seu *Tragea hysterica Quercetani* in passione hysterica est egregia; habet enim in se aromata carminantia, quæ acidum convulsivum temperant. Cum præterea notum sit, quod omnia anticolica, & quæ in stranguria conveniunt, stomachica item & carminantia, conveniant in passione hysterica, potest dare occasionem ulterius inquirendi in naturam passionis hystericæ ignorantibus. Præterea convenit Tragea Hysterica in fluore muliebrium cum fons & nidus istius sit in stomacho, quem confortat & radix mali in utero hinc additur semen agni casti, quod in absumendo semine laudatur; Ergo utrique scopo erit conveniens Tragea hæc.

PULVIS HYSTERICUS

A.

Alium *pulverem hystericum* officinis usitatum videbitis *in Pharm. Reg. Zwelferi*, & *Pharm. August.* qui datur mulieribus passione hysterica correptis.

TRAGEA ANTINEPHRITICA

Quercetani.

nro. 18.

Pulvis hic est elegans, cujus basis est desumpta ex gallinarum tunica ventriculi, &c. unde hic pulvis erit conveniens in retentione urinæ. Præterea convenit in præservando calculo, nescilicet generetur sabulum aut arenulæ. Præter hæc etiam ratione stercoris gallinarum convenit in colica passione, cum certum sit, quod omnia stercora curent colicam, imprimis tamen album græcum & stercus gallinaceum album. Ingreditur etiam herniaria, quæ utut sit specificum in hernia, præterea quoque est egregium diureticum, & sicuti reliqua vulneraria, urinam pellit.

PULVIS PARTUM PROVOCANS, & HELIDEI DE PADOANIS.

Pulvis partum provocans, tam prior quam *Helidei Paduani*, profecto est egregius: præsertim PADUANI compositio propter borracem est efficacissima, quæ ulterius specificetur cum pulvere secundinæ; borrax enim per se partum & secundinas pellit. Alium quoque pulverem ad dystociam videbitis in *Pharm. Augustana*, quem ingrediuntur Hypposorchides, qui sunt testiculi equi; de quibus notum est quod specifice in pellendo fœtu prosint. Compositionem quoque elegantem videbitis in ZWELFERI *Pharm. Regia*, quæ egregium præstat usum. Non opus est compositionibus magnis officinalibus sed contra qui notitiam habet virium simplicium paucissimis possunt egregia præstare & efficere quod etiam arcanum fuit HELIDÆI PADUANI

PULVIS

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1094-4 DFG

PULVIS RUBEUS PANNONICUS
Aug.

Pulvis rubeus Pannonicus egregii usus est in febribus malignis, in specie in febre Ungarica & febribus puerperarum, cum fluxibus alvi & sanguinis colliquativis conjunctis; cum non solum moveat sudorem, sed ingredientia simul quodammodo adstringant: unde & in dysenteria & diarrhœa epidemica maligna, cholera aliisque malignis optimè conducit. In curandis pueris variolis & morbillis laborantibus, semper lenientia adstringentia appropriatis misceantur, cum diarrhœa his superveniens ut plurimum sit lethalis. Dosis est à ℈j vel ʒß ad ℈ij & ʒj cum syrupo limonum, vel aqua borraginis aut acetosæ. Sed quoniam compositio paulo rudior est eandem sic corrigi posse arbitror:

℞. *rad. tormentillæ* ℥viij vel hujus loco *extr. ejus* ℥iv.
Terræ sigillatæ ℥iv.
bols Arm.
corall. rubr. præparat.
C.C sine igne ana ℥ij.
unic. fossil.
margar. præpar. ana ℥j.
camph. ʒij.
& de still. cort. citri ʒj.
M. f. *pulvis.*

asservandus pro usu.

PULVIS SAXONICUS.

Hujus compositio quoque extat in *Dispensatorio Augustano*, & ex nudis simplicibus vegetabilibus componitur. Fuit in usu in Saxonia superioribus seculis grassante peste, & aliis morbis epidemicis malignis.

PULVIS SPERNIOLÆ COMPOSITUS.
CROLLII.
num. 19. pag. 272.

Hic pulvis dicitur sperniola ratione spermatis. Præstat ut compositio hæc loco aquæ spermatis ranarum impræguetur cum ipso spermate, & ita asservetur. Unum adhuc notandum: quod camphora ipsis ingredientibus primitus non sit immiscenda, aliàs evolat tantum pulveri parato addatur, & tunc erit pulvis egregius, qui multos habet usus internè & externe. Interne summum remedium est contra hæmorrhagias quascunque, vel sub forma pulveris propinatur, vel sub forma potionis, aliis sanguinem sistentibus additus, sub forma pulveris hoc modo:

℞. *boli Armenæ præpar.*
hæmat. præpar. ana ℈ß.
sperniolæ Croll. gr. vj.
laud. opiati gr. j.
M. f. *pulvis*,

S.

Anhaltend Pulver gegen das Bluten.

In hæmorrhagia narium, uteri, pectoris & aliarum partium prodest.

Vel

℞. *hæmatit. præpar.* ʒß.
sperniolæ Crollii gr. xv.
Laud. opiati gr. iij.
M. pro duab. dos. in *aqua portulacæ*, subigenda cum proprio syrupo.

Item sub forma potionis hoc modo:

℞. ♡ *bursæ pastor.*
plantag.
portulacæ ana ℥ß.
sperniolæ Croll. ʒß.
laud. opiati gr. ij.
syrup. portul. ℥iij.
M. D. S.

Tranck gegen das Bluten wohl umb zurütteln

pro 2. vel 3. dosibus.

Non tamen æque tutus sperniolæ videtur usus, ut recte monet AUTOR *in Nota* propter myrrham & crocum; quæ non uterinas tantum fluxiones promomovet, sed speciatim etiam menses & lochia ciet, & ad alias hæmorrhagias disponunt. Loco hujus sperniolæ eleganter potest propinari tinctura sulphuris vitrioli cujus descriptionem & præparationem communicavi in *capite de vitriolo.*

Externè itidem locum habet contra hæmorrhagias, pro quo usu dissolvitur in s. q. *spermatis ranarum*, & ita cum linteis applicatur in quibusvis hæmorrhagiis: confer. *Horstius Lib. 9. Observ. pag.* 430. 436. & 437. qui in hæmorrhagiis narium externe applicavit temporibus ac fronti compositum hoc sperniolæ in aqua spermatis ranarum dissolutum instar epithematis, singulis horis repetendo. In iisdem hæmorrhagiis & ebullitione sanguinis nimia applicari solet regioni epatis, dissolutum in aqua appropriata pro compescenda ebullitione sanguinis, & orta inde hæmorrhagia. In hæmorrhagia uteri mensium vel lochiorum nimia, dissolutum in aqua plantaginis vel portulacæ, addito aliquantulo aceti rosacei, cum spongia regioni pubis vel vulva applicatur, & ita hæmorrhagia compescitur. In specie utilis est in inepta V.S. ubi arteria læditur; hic enim pulvis arteriam citra anevrisma consolidat sicut etiam in ipso anevrismate valdè conveniens est, si scilicet anevrismatis tumori pulsatili applicatur, dissolutus in aqua conveniente. In ambustione partium externarum hæc sperniola Crollii est egregium remedium umbgeschlagen. In erysipelate applicata cum aqua florum sambuci egregie convenit, in qua AUTOR etiam recte commendat ubi tamen notandum, quod acetum sit suspectum, & loco ejus cum spiritu vini, vel tantum cum vino calente, quo melius subigatur, paretur, & egregium erit remedium propter camphoram, myrrham & crocum. Sperniola si non sit in promptu, commode potest substitui albumen ovi bene dissolutum, cum camphora permistum, & cum lixivio cinerum fagi loco erysipelate affecto applicari; vel

℞. *olibani*
myrrhæ ana ℥ß.
camphoræ ʒij.
croci ʒß.
vini ℔j.

coquantur in vase clauso. Decocto postmodum addatur

spirit. vini ℔ß.

In hoc postmodum humectentur lintea, quæ applicentur Erysipelati, idque in defectu sperniolæ. In dolore podagrico dissoluta in aqua spermatis ranarum, & applicata parti dolenti confert.

PULVIS STOMACHICUS
Quercetani seu Birckmanni
num. 20.

Pulvis hic est egregius illis, qui laborant apepsia ex cruditate acida, & pituitosa idque propter basin radicis ari, quæ egregie abstergit ventriculum à crassa & viscida pituita, & propterea vocatur

etiam Zehr-Wurtzel / uti monui *superius* sub aro; undeetiam confert in vertigine per consensum ventriculi oborta, uti & in cachexia. Commodè permiscetur cum hoc pulvere pulvis rubeus epaticus hoc modo:

℞. *pulv. stomach. Querc.* ℥ij.
epat. rub. ℥ß.
M. f. *pulvis.*
divid. in 4. part. æqual. S.

Magen-Pulver.

Compositionem autem pulveris stomachici corrigerem ita:

℞. *rad. ari acris non prap.* ℥ij.
acori nostr. ℥vj.
lapillor. & prapar.
extr. torment. ana ℥ß.
cinnam. ℥iij.
⊖*is absinth.* ℥iß.
M. f. *pulvis.*

Pertinent huc Trageæ aromaticæ, cujus delicatæ talis est compositio:

℞. *cinnam.* p. iij.
cardam. p. ij.
caryophyll. part. j. M.

Hæc addito saccharo dant Trageam perquam concinnam, variis rebus condimenti loco inspergendam.

PULVIS AD STRUMAM.

Pulvis contra strumas Villanovani prostat in *Pharm. August.* & utilis admodum est tam ad præservationem quam generationem strumarum in principio. *Dosis* est ℥ß, ad ℈ij. vel ℥j, assumendo singulis matutinis horis jejuno stomacho, ut absumat materiam glutinosam, glandulas gutturis infarcientem. Ubi est suspicio scirrhorum in glandulis mesenterii, etiam est egregius. In specie autem ad strumas usurpatur, non neglectis externis; Vel

℞. *hujus pulv.* part. ij.
arcani duplic. Mynsi. p. j. M.

Dosis ℈j. ad ℥ß vel ℈ij. sic quasi appropriatum est contra strumas.

PULVIS TRITHEMII.

nro. 21.

Pulvis Trithemii plane aromaticus est & à multis multum commendatur ad confortandam memoriam; spiritus enim animales volatiliores reddit. Modum assumendi cum aqua Magnanimitatis submini-strat AUTOR. Convenit imprimis senibus quoniam vertigini resistit senibus familiari, & apoplexiam præservat. In affectibus capitis & stomachi erit egregius, imprimis si sint senes, vel affectibus catarrhalibus obnoxii.

Post Pulveres sequuntur

SPECIES.

Quæ κατ' ἐξοχὴν sunt pulveres ex aromaticis compositi, ut species diagalangæ, diamoschi, &c. quæ semper denominantur à basi: sicuti pulveres grossi vocantur Trageæ; & *pulveres subtiles* vocantur *pulveres in specie sic dicti.* Omnes autem species conveniunt, quatenus sunt aromata & aromatica pulverisata quæ terendo in pulverem successivè abeunt. Præterea dantur etiam species ex seminibus oleosis, ut species diatragacanthi frigidæ & calidæ, &c. Jam quia hæ & similes sunt rancidæ, qui rancor est congeries copiosorum vermiculorum, inutiles fere sunt, & si præscribendæ, præscribuntur ita:

℞. *spec. diatragac. recent. dispens.*

SPECIES DIAMBRÆ
cum Ambra & Moscho.

Compositum videbitis in *Pharm. Augustana.* Valde conveniunt in corroboranda memoria ac spiritibus animalibus & vitalibus; unde solent hæ ipsæ species ingredi Morsulos & Rotulas refectivas. Constant ex aromatibus, & quidem species diambræ cum Ambra & Moscho destinatæ sunt viris; sine illis usurpantur tantum pro mulieribus.

SPECIES DIANISI.

Prosunt in stomachi inflationibus & copiosis ructibus item convenientes sunt in malo hypochondriaco ex stomacho oborto, & in genere ubi opus est carminatione, vel flatuum discussione.

SPECIES DIACURCUMÆ
seu
DIACROCU.

Conveniunt valdè in ictero, item ubi obstructio est vel lienis vel epatis unde etiam in cachexiis convenienter permiscentur cum medicamentis Martialibus, item cum pulvere rhabarbari in ictero flavo vel nigro. In iis in genere conveniunt affectibus, quos veteres sanguificationi læsæ ex vitio epatis; moderni sanguinis crasi turbatæ attribuunt.

SPECIES DIAGALANGÆ.

Conveniunt in affectibus stomachi, in quibus possunt usurpari loco digestivi pulveris.

SPECIES DIAIREOS.

Species diaireos, tam *simplices* quam *composita*, conveniunt in affectibus pectoris, in tussi, asperitate faucium & gulæ, in raucedine, & similibus pectoris affectibus à lympha acri, permiscentur cum Magisterio vel floribus benzoes, item cum floribus sulphuris. Loco harum specierum possunt etiam commode fieri pulveres pectorales, quibus tamen permiscentur Iris Florentina, quæ est basis.

SPECIES LÆTIFICANTES
Galeni.

Solent dari post affectus melancholicos, melancholiam hypochondriacam & uterinam. Constant ex aromatibus quæ mobiles & vegetos reddunt spiritus, unde etiam dicuntur Lætificantes.

SPECIES LITHONTRIBON.

Dicuntur ita ob vim, quam habere putantur pellendi calculum. Cæterum est insulsa ac miseranda compositio, & vix est miserabilior & insulsior in omnibus dispensatoriis; paucissima enim antinephritica adsunt.

SPECIES DIATRION PIPEREON.

Harum duæ compositiones *in Pharmacopœia Augustana* prostant. Conveniunt in affectibus stomachi, in specie in cruditate acida, complicata cum copioso muco crasso ac viscido. Permiscentur cum radice ari præparata, epatico rubro, cremore tartari & similibus, pro præcavenda & absumenda cruditate acida. Formula potest esse talis:

℞. *spec. diatrion. piper.*
crem. ♀i ana ℥iß.
rad. ari præp.
pulv. epat. rub. ana ℥ß.
M. f. *pulvis.*
div. in 7. vel 8. part. æquales. S.

Magen-Pulver.

Possunt irrorari aliquot guttis olei destillati anisi, vel misceri cum Elæosacch. anisi, hujus assumendo ℥ß.

SPECIES PRO ELECTUARIO
RESUMPTIVO.

Compositionem harum specierum videbitis in *Pharmacopœia Augustana.* Conveniũt in hectica, tabe, atrophia, & similibus affectibus; vel cum saccharo, & fiunt Morsuli,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1096-6 DFG

Morſuli, vel cum melle Electuarium, vel tantum ſub forma pulveris præſcribuntur. Cæterum ſemper debent eſſe recenter diſpenſatæ propter admiſta ſemina, quæ facile corrumpuntur. In catarrhis nimis ſalſis à lympha ſalſa obortis, in raucedine ab eadem cauſa oborta conveniunt.

SPECIES DIARRHODON *Abbatis, cum & ſine Moſcho,* & SPECIES ROSATÆ NOVELLÆ.

Proſtant Deſcriptiones in *Pharmacopæâ Auguſtana* & quidem ſolent præſcribi poſt febres acutas in declinatione ad firmandam ſanguinis craſin & miſturam. Præſcribuntur etiam poſt purgationes pro corrigendo ſanguine, in purgatione nimis perturbato.

SPECIES DIASPOLITICON.

Species diaſpoliticon Galeni parantur ex nitro & oleo deſtillato cumini, quæ egregium remedium in affectibus hypochondriacis, ubi nimii flatus & phlogoſes adſunt: non melius tunc remedium, quam hoc. *Doſis* à ʒß ad ʒj.

SPECIES DIATRION SANTALON.

Species diatrion ſantalon videbitis in *Diſpenſatorio Auguſtano.* Conferunt in inflammatione hepatis, item in febribus, quas vocant bilioſas. In febribus tertianis, & in febribus continuis permiſcentur cum conſervis acidulis, ut fiant exinde Electuaria. Permiſcentur etiam commode cum ebore ſine igne, item cum pulvere epatico rubeo in febribus tertianis: item in morbis poſt potum nimium, uti etiam ante potum, ne nimis generoſum vinum poſſit nocere viſceribus.

SPECIES DIA TRAGACANTHI.

Species dia Tragacanthi, tam *frigidæ* quam *calidæ*, proſtant in officinis, & uſurpantur in tuſſi, raucedine, aſperitate, & aliis affectibus faucium à lympha acri. Cum ſaccharo fiunt exinde Rotulæ, quæ ſenſim ſenſimque liqueſcunt in ore, ut corrigatur aſperitas faucium.

Speciebus autem dictis compoſitis ſane longe præſtant Elæoſacchara ex oleis deſtillatis; vel ſimplici vel compoſito, & ſaccharo confecta: vel Q.E. ex oleis deſtillatis, cum ſpiritu vini tartariſato, aut tinctura tartari ſolutis, paratæ, & diſpenſatæ. Et cum in plurimis ſpeciebus eadem fere ſint eſſentialiter ingredientia, variata ſaltim doſi & proportione, propterea ex pluribus pauca ſufficiunt, v. gr. ſpecies dia Cinnamomi Meſue, item diacumini Nicolai, vel ſpecies diatrion piperon, vel diagalangæ, vel ſpecies Imperatoris; item ſpecies dia-Ireos uſitatæ item ſpecies dia Tragacanthi frigidæ. Priores iſtæ aromaticæ ſpecies, ventriculo & primis viis muco obſeſſis, flatulentis & cruditatibus onuſtis, hincque vi & efficacia aromatibus communi, qua calefaciunt, ſanguinem volatiliſant, & bilem acuunt, hinc cephalica & uterina eſſe ſolent, ſub uſu Medico conducunt. Verum propter doſin exceſſivam minimè ſunt uſurpanda, & in deſuetudinem fere abiere. Poſteriores duæ affectibus faucium & pectoris catarrhalibus, pro temperanda lympha acri, & mitigando dolore partium dictarum plus minus excoriatarum, & hinc, ut vocant, pro incraſſando catarrho, conducunt.

SAL PHILOSOPHORUM & SACERDOTALE,

num. 24. & 25. pag. 273.

Quibuſdam in uſu ſunt, & uſurpant talia ſalia in alimentis loco ſalis communis eſculenti. Verum non multum faciunt, ſaltim ratione aromatum agunt, quicquid agunt.

Sequuntur jam *pag. 274.*

PULVERES PURGANTES,

Inter quos eſt

nro. 1.

PULVIS ARTHETICUS *Paracelſi.*

In affectibus articulorum adhibetur doſi ʒß ad ʒj; nam hermodactyli dicuntur *Anima articulorum*, quæ ſunt baſis. Ingredientia purgantia ſunt cruda, & non nihil virulenta: ut tamen tutior & magis convenientior fiat, huic & ſequentibus ſemper vel ſal tartari addendum, vel ſpecies jam miſtæ oleo tartari p. d. ſufficienti quantitate irrorandæ, & hinc exſiccandæ, iterumque irrorandæ: Sic deſtruitur nimia vis, & tollitur cruditas virulenta: Item addendum eſt oleum nucis moſchatæ vel cinnammomi, quo minꝰ noceat ſtomacho & inteſtinis. Oſſa humana ingrediuntur etiam hunce pulverem; nam oſſa humana ad ʒß adhibita, uti *ſuperius* monui, ſolent interdum alvum laxare. Non addendum eſt tantum ſacchari, quantum AUTOR adſcribit, ſed ſaltem paululum pro gratia ſaporis.

Ex hoc pulvere enatum eſt Electuarium Carioſtinum ſeu marocoſtinum, quod etiam ſingularis laudatur uſus. In præſervanda & curanda podagra.

PULVIS CHOLAGOGUS QVERCETANI.

num. 2.

Datur ad ʒß, & valde convenit in evacuandis humoribus nidoroſis, ad bilis naturam accedentibus. Rhabarbarum excreta colore flavo tingit, unde patet fraus, qua veteres decepti, quod evacuetur bilis. Pro ſtimulo poteſt addi tartari cremor, vel epaticum rubrum, vel tartarus vitriolatus, *in forma pulveris*; poteſt etiam miſceri cum conſerva florum cichorii, ut fiat *inſtar boli.*

PULVIS CORNACHINI.

num. 3.

Pulvis Cornachini, aliàs *Comitis de* WARWICK, & *Cerberus triceps febrifugus*, ex tribus conſtat: nempe *cremore tartari, ſcammonio præparato*, & *antimonio diaphoretico*; quæ miſcentur ſequenti proportione:

℞. crem. ♃i gr. xv.
ſcamm. ♃*rati* ℈ß.
♂*ij diaph.* gr. vj.
M. f. *pulvis* pro doſi.

Confer. ZWELFERVS, *Pharm. Regia pag. 96.* Obſervetur quod vis purgans oriatur ex ſcammonio ſulphurato: antimonium diaphoreticum & cremor tartari ceu digeſtiva adduntur; antimonium diaphoreticum ceu digerens & præparans acidum, cremor tartari ceu corrigens mucilaginem craſſam & viſcidam, inteſtinis adhærentem & vias obſtruentem; & proinde merito commendatur propter hos duos ſcopos: confer. ZWELFERVS *Pharm. Reg. pag. 96.* Doſis ʒß ad ʒi. Aſt concinnior longe fit præparatio, ſi loco antimonii diaphoretici ſimplicis recipiatur *antimonium diaphoreticum Martiale*:

℞. ♂*ii crudi pulveriſ.*
☉ *i pulveriſ.* ana ℔ß.
lim. ♂*ii rec.* ℥j.

Deto-

Detonentur l. a. in mortario ferreo: massa exempta pulverisetur, & cum triplo ☉ i in crucibulo calcinetur, donec fundi incipiat: hinc successive infundatur in aquam simplicem, edulcoretur probe & abluatur ☉, & pulvis edulcoratus restitans flavus ex antimonio & Marte compositus recipiatur.

℞. hujus pulv.
mag. scammon. ana gr. xv. ad ℈j.
crem. ♀ gr. vj. vel vij.
M. pro dosi una in quocunque vehiculo.

Sane est nulla febris intermittens, quæ non hujus usu imminente paroxysmo, cedere cogatur: item in pleuritide, cholera, obstructione mensium, variolis & similibus egregie prodest.

PULVIS MELANAGOGUS QVERCETANI.

num. 4.

Pulvis hic convenit cum pulvere laxativo sennæ Montagnanæ. Basis est senna; & est egregius in affectibus Melancholicis, melancholia hypochondriaca, cachexia, & similibus affectibus. Pro ratione sacchari additi præscribitur nunc in majori nunc minori dosi; non enim laudandum est, quod tantum ingrediatur sacchari; quo enim minus additur sacchari, eo minori in dosi est præscribendus.

PULVIS PANCHYMAGOGUS QVERCETANI.

Pulvis hic ita dicitur, quod omnes evacuet humores. In frequenti usu est, ubi opus est purgatione prophylactica seu præservatoria tempore vernali & autumnali.

PULVIS PASSAVANTICUS.

Pulvis Passavanticus est inusitatus: aliàs in moderata alvi solutione vel solum diagrydium sufficit, sive in præservandis sive curandis morbis, ad gr. vj. vel viij, v. g.

℞. *diagryd.* gr. iix.
crem. ♀ ℈ß vel ℈j.
M. pro dosi una.

Quidam commendant hunc pulverem purgantem 4, vel 5. vicibus absque torminibus evacuantem:

℞. *pulv. rad. jalappæ* ℈ß vel gr. xv.
☉ *puriss.* gr. vj.
M. f. *pulvis*, qui leniter & sine molestia purgat.

PULVIS SENNÆ PRÆPARAT. MONTAGNANÆ.

Potest præscribi à ℈j ad ʒß. Constat ex *cremore tartari, coriandro, senna*, &c. Ex pulvere hoc natum est *Infusum elegans laxativum Mannagettæ*, cujus formula prostat in *Pharm. Reg. ZVVELFERI pag.* 20. Datur ab ʒj. ad ℥ß. Usitatum est valdopere Augustæ Vindelicorum & Viennæ pro laxanda alvo. Ad hujus normam commodè possunt præscribi Infusa laxativa Sennæ elegantia & nitida.

PULVIS STERNUTATORIUS RULANDI.

num. 9.

Facit huc succincta, sed elegans, compositio sternutatorii Rolfincii:

℞. *pulv. tabaci Ind.* ℥ß.
majoranæ ʒj.
♁ destill. majoranæ.
rorimar. ana ℈ß.
ambræ gr. iv.
moschi gr. viij.
M. pro *pulvere*.

CAPUT LXXIIX. DE SACCULIS.

Sacculi sunt nihil aliud quam vegetabilia contusa & concisa, in sacculos lineos conclusa, qui vel ita sicci applicantur parti affectæ, vel prius humectati, aut decocti in liquore conveniente, applicantur convenienter.

Materia ex qua fiunt sacculi, sunt vegetabilia quæcunque: quæ incisa & contusa præscribuntur, & quidem quantitas vegetabilium pro quantitate sacculorum majori vel minori variat.

Materia hæc inditur in sacculum interpassatum, seu interpastatum, sive quod hic inde est, intersutum, ne species in sacculo mobiles hinc inde possint relabi, sed sit æqualiter repletus sacculus.

Sacculi hi variæ sunt figuræ, non tam in quantitate quam in figura. Quidam sacculi sunt quadrati, qui applicantur ano in tenesmo; quidam rotundi, qui applicantur abdomini in colica, dysenteria & aliis intestinorum affectibus; quidam triangulares in stomachi affectibus, & sic pro aliis partibus applicandi.

Sacculi hi interpassati, & consuti applicantur vel *sicci* vel *humidi*: *sicci* applicantur fascia convenienti: *sacculi humidi* prius irrorantur vel irrigantur in liquore appropriato, aut in aqua calida, ubi opus est, ut emolliatur & discutiatur; vel in aqua aceto mista, ubi opus est penetratione & adstrictione: Sacculi stomachales, antidysenterici contra tenesmum &c. non raro nudi in acetum immerguntur calidum, aut cum aceto coquuntur, ut ebulliat liquor, & ita sacculi applicantur calide stomacho affecto. Non raro sacculi nude à calore ignis incalescunt, & sicci applicantur partibus affectis, uti fit in sacculo applicato capiti in cephalalgia.

Usus sacculorum est varius; pro varietate enim ingredientium variat. In genere adhibentur pro usu calefaciendi partes, pro usu alterandi, resolvendi & dissipandi flatus; item ad robur parti conciliandum, ad leniendos dolores, & similes alios usus. Sacculi qui applicantur capiti, convenientes sunt in affectibus catarrhalibus, in dolore capitis à causa frigida, imprimis in senibus: in inundatione cerebri à copiosa lympha, & inde orto torpore, & operationum animalium cessatione. Sic applicantur lateri pleuritide affecto sacculi emollientes & discutientes, & quantum fieri potest, sanguinem congrumatum resolventes. In affectibus flatulentis hypochondriacorum, item in colica & similibus morbis, convenientissime applicantur. In dysenteria applicantur sacculi cum appropriatis adstringentibus, coctis in aceto, item in tenesmo dysenterico fructuose applicantur sacculi.

Quantitatem sacculi præscribit magnitudo partis, sicque quantitas sacculi quantitatem ingredientium: vid. MORELLUS.

Sacculi officinales pauci sunt, nisi sacculi ad pulsus: sed ut plurimum ex tempore præscribuntur, uti recte monet MORELLUS.

SACCULUS STOMACHALIS.

num. 1.

Sacculus hic non rejiciendus est, sive calidus siccus applicetur, sivo in vino calido maceratus imponatur regioni stomachali; Vel

℞. *com. absinth.*
herbæ menthæ
flor. rosar. ana Mj.
rad. acori veri.
levist. ana ℥iij.

cyperi

cyperi ℈i
galangæ ana ʒj.
caryophyll.
macis
nuc. Mosch. ana ℈j.
flav. cort. citr. ʒij.
mastich. ʒiij.

f.l.a. *sacculus interpassatus* in forma triangulari vel oblonga.

Qui sacculus applicetur vel per se calidus, vel calefactus cum vino irroratur & applicatur in affectibus stomachi.

Sacculi hi pro faciliori operatione, quando sicci applicantur, possunt aspergi cum oleo destillato menthæ, oleo anisi, fœniculi, acori veri, &c.

Sed observandum: quod sacculis stomachicis etiam in vino q. s. ebullitis præferantur longè spiritus aromatici, applicati cum panno crasso vel linteis multiplicatis: v. g. spiritus menthæ & Elixyr menthæ, item spiritus juniperi, spiritus vini camphoratus, calide cum panno scarlatino vel linteo multiplicato applicantur in stomachi affectibus egregio cum successu.

SACCULUS CORDIALIS.

Sacculi cordiales rari sunt: si qui in usu sunt, ad vulgi fit imitationem, cum cor ceu musculus rarissime aliquid patiatur in morbis; ac loco talium olea destillata penetrantiora, citri, camphoræ, lavendulæ, & sic porrò longe melius illinuntur.

SACCULUS NEPHRITICUS seu PAREGORICUS.

Sacculi nephritici usurpantur, quando æger nephriticus insidet semicupio, in quo sacculus antinephriticus, & bene calefactus, applicatur parti affectæ, ut una cum balneo vis sacculi penetrans dolorem demulceat & compescat. Vel sacculus talis coquitur in lacte vel aqua simplici; tepidè semper applicetur in summitate ossis sacri vel regioni lumbari.

Huc pertinent

CUCUPHÆ,

Quæ sunt sacculi cephalici, in senibus præprimis usurpandi, qui facillimè à frigore læduntur, & qui laborant vertigine, catarrhis, mentis & memoriæ hebetudine, & similibus affectibus senilibus. Mitris scilicet, quas capiti imponunt, aromatum species insertunt, non tantum ex vegetabilibus partibus, sed etiam effectis, gummatis nempe, resinis, similibusque interdum apud ditiores Moscho & Ambra: quæ vocantur *Cucuphæ*.

Proportionem ingredientium habet MORELLUS satis accuratam. Hæc omnia bene pulverisata excipiuntur cotone vel bombace, qui coton postmodum inditur panno serico rubro, & fit sacculus rotundus, intus paulisper concavus ita ut totam capitis peripheriam ambiat. Interdum grosso modo pulverisata sola mitris seu capitiis includuntur, quæ interpassata continuo in capite gestantur. Quoad dosin, aliquot unciæ sufficiunt. Exemplum specierum pro cucupha habet AUTOR. *pag.* 277. in quibus nil monendum censeo, nisi quod in doloribus capitis inveteratis addi possit Tacamahaca, quæ est valdè efficax & elegans: v. g.

℞. *spec. pro cucuph.* ʒij.
tacamahac. ℥ß.
sandar. ʒij.
succini ℥ß. M.

Irrorentur cum ♃ *Major.* excipiantur bombace, & cum panno sericeo f. *cucuphæ.*

Olea iis imprimis adduntur, qui capitis debilioris sunt, quæ tamen plures ferre non possunt, & caput inde turbari sentiunt. Ipsæ etiam cucupcæ non solent præscribi iis, quibus caput est siccius, aut qui laborant agrypnia, & quibus ob siccitatem cerebri memoria vacillat: saltem in affectibus capitis ex humiditate, in catarrhis, in memoriæ lapsu, ex inertia spirituum, ex abundantia seri: in quibus cucuphæ spiritus animales roborando satis elegantes & efficaces sunt.

CAPUT LXXIX. DE SALIBUS PRÆPARATIS.

Salia constituunt ingrediens quoddam pulverum de quibus in genere observetur, quod in officinis usitata sint vel *artificialia*, vel *nativa*. *Artificialia* sunt vel *simplicia*, vel *composita*: Simplicia sunt vel *acida*, vel *urinosa*; & *urinosa* vel *volatilia* vel *fixa*. *Volatilia* sunt opera naturæ; *fixa* autem sunt opera artis, & ignis producta.

Hæc duo salia, acida & alcalia, in omnibus regnis reperiuntur, & diversam scenam ludunt: mutuo concursu resoluta producunt effervescentiam, vel inducunt fortem & impetuosum motum, sub quo coeunt in concretum novum, nempe salsum tertium. *Motus* autem ille vel *sedatus* est & temperatus, vel *impetuosus*.

Sedatus est, quando salia additis aliis particulis coeunt, & vocatur fermentatio, quæ & putrefactionem sub se continet. Quæ *impetuosè* coeunt, sunt salia acria, & dicitur *Effervescentia*.

In regno minerali reperiuntur salia acida; sicut mediante acido ex metallis, mineralibus, eorumque cognatis, concreta saliformia, nova nempe decomposita, ad vitriolorum naturam plus minus accedentia habentur, ut patet ex Saturno, & concretis vitriolaceis. Salia aliàs fixa proprié dicta, uti & volatilia, regni mineralis proprie dicta sunt nulla; quod enim succinum attinet, obscuri perquam sunt ejus natales.

Animale regnum prompte & copiose suggerit salia volatilia, quæ ex solidis simplici rigeriori paulo per retortam destillatione, igne nonnihil fortiori, eliciuntur; ex mollioribus vero & fluidis non nisi vel prævia aliquali putrefactione, vel aliquali salis cujusdam fixi absorbentis additione, vel nitri detonati commixtione. Rationes harum operationum *infra, ubi de spiritibus*, explicentur; hi quippe sunt salium saltim fluores.

Salia volatilia animalium ordinariò propter pertinacitatem olei empyreumatici adhæsionem fœtida ac nauseosissima sunt. Depurantur autem optimè ab hoc contagio oleoso mediante spiritu vini. Scilicet postquam semel sal volatile post primam destillationem fuerit sublimatum, cum spiritu vini illud lavant, sicque potissimas & exterius magis adhærentes oleositates à spiritu vini imbibitas abluunt: Quo facto, alius affunditur spiritus vini, digeruntur per unum alterumve diem, hinc calore lenis ex cucurbita vel vase altiori sublimantur, & adscendit sal volatile albissimum, remanente spiritu vini particulis oleosis impregnato. Sal hoc ulterius exactè depurari potest, si porro in aqua communi solvatur, & aliquandiu digeratur, hinc sublimatur; sic enim eò purius obtinebitur illud. Salia hæc volatilia animalium non depurantur saltem à spiritu vini, sed & aliqualiter ab eodem figuntur: v. g.

℞. *Spir. Vini* ♀ *sat. seu maxime rectificatus*; affundatur sali volatili depurato.

Ponuntur in loco calido ad digeſtionem, & aliqualem unionem: hinc per aliquot dies ponuntur in loco frigido, & ſic figuntur in cryſtallos, ſeu coagulantur.

Sed hæc potius ſalia ſunt nonnihil coagulata, quam fixata: in loco enim calido adhuc facile evolant; non enim niſi per acida concentrari & figi poſſunt. Alias, ut ſalia volatilia absque fœtore & nigrore aſſerventur, ſpiritus vini tartariſatus affunditur; hic enim imbibit oleum, redditur rubicundus, & ſal ſine ſenſili alteratione ita ſubſiſtit.

An animalia etiam *ſal fixum* obtineant cum copioſo ſuo, quo inſtructa ſunt, ſale volatili? quæritur: equidem paucum illud admodum eſt, ex iiſdem quod elici valet, ex liquidis quidem partibus promptius, ex ſolidis difficilius & parcius. Sic ex ſanguine bubulo poſt deſtillationem calcinatoriam ex capite mortuo ſal fixum præparavi, quod tamen revera magis ſalſum, indeque in cubicam figuram coagulabile erat, quam alcaliſatum, utut aeri libero expoſitum facile diffluereret: conf. BARTHOLINI *Acta Med. Haſſn. Volum. 2. pag.* 284. Quoad fixa talia ex partibus ſolidis, oſſibus & cornubus ac carnibus, &c. equidem pauca horum deprehenduntur poſt dictarum harum partium calcinationem veſtigia, obruta nempe & quaſi infixa nimis terrearum particularum compedibus; experimentum tamen fieri poteſt per extinctionem, dum C. C. uſtum adhuc ignitum aliquoties in aqua extinctum ſalſedine aliquali imbuerit. Ratio quare in minima quantitate elici queant ſalia fixa ex animalibus, eſt, quia deſtituuntur acido: Cum namque plantarum alcaliſata ex colliquatione acidi & alcali fiant, ut infra patebit, in animalibus vero principium iſtud coagulans acidum ferè deficiat, ſeu parcius ſit, fixi pro ventus parciſſimus erit. Utut autem oleo conſtent animalia, in oleo vero occultum acidum ſit, & alcali urinoſum volatile adſit; tamen propter inſufficientiam acidi coagulantis, quale in animalibus non eſt, prout in vegetabilibus, minus copioſum ſal fixum producitur. Sic inter plantas etiam aquoſiores, quibus cum partes ac humores noſtri non inepte conferri poſſunt, in minima quantitate ſal fixum itidem elicitur. Non detentæ itaque animalium partes volatiles, ob acidi penuriam copioſum phlegma nimis illud diluens, antequam igne colliquari aut uniri poſſunt, in auras abeunt.

In regno vegetabili ſunt ſalia acida & urinoſa: ſi enim fermentando tractantur vegetabilia, extra vertitur ſal acidum: imo res, quæ apparenter inſipidæ ſunt, fermentando acorem contrahunt, ut ſunt flores cyani; in putrefactione econtra manifeſtat ſe ſal alcali volatile, quod ſi recentia tortutæ Vulcani committantur, ſe exerunt ſalia fixa in cineribus. Pro varia igitur tractatione, varia oriuntur ſalia.

In ſpecie quoad vegetabilium ſalia in forma ſicca parabilia, triplicem horum deprehendimus differentiam: ſunt enim vel *volatilia*, vel *fixa*; vel *media* quaſi *naturæ eſſentialia* dicta, revera in ſua craſi enixa ſeu ſalſa; eaque & volatilium & fixorum primæ matres.

Quoad *ſalia urinoſa volatilia*: obſervandum ante omnia quod reperiatur animale & vegetabile inter regna in puncto ſalium volatilium ex utriſque parabilium hæc differentia, quod vegetabilia per ſe ignis etiam ope, nihil ſalis volatilis, multum vero ſalis fixi; animalium vero per ſe multum ſalis volatilis, parum fixi, & hujus non urinoſi, ſed ſalſi ſuggerunt. Ratio videtur eſſe quod ſalia volatilia in vegetabilibus à ſulphure eorum (in receſſu magis acido quam animalium) nimis concentrata ſint, ita ut ſub primo etiam ignis inſultu colliqueſcant magis ſulphura cum ſalibus, adeoque ſaltim oleum & ſal fixum ſuggerunt. Quod inſint ſalia volatilia vegetabilibus, teſtatur ſapor acris penetrans & punctivus, uti teſtantur plantæ ſcorbuticæ, qui revera nihil eſt aliud niſi eorum ſal volatile; & quidem ſcio, quod ex pane quidam deſtillarit ſpiritum cum ſale volatili; jam vero panis eſt ex farina vegetabilium: ita novi quendam, qui infundendo in ſpiritum vini rectificatum grana piperis contuſa longa digeſtione acquiſivit ſal volatile ex pipere in ſpiritu vini item qui legitimè deſtillare norunt abſinthium, cum ſpiritu poſſunt acquirere ſal volatile abſinthii amariſſimi & penetrantiſſimi ſaporis: ſicuti noſter MATTHÆUS aliquando acquiſivit hic ſpiritum abſinthii cum ſale volatili in forma ſicca; adeo ut non ſit impoſſibile, habere ſal volatile ex vegetabilibus.

Neceſſe eſt ergo pro acquirendis ſalibus volatilibus ex vegetabilibus, ut ſulphuris ligantis textura diſſolvatur, ut ita ſalia volatilia, quaſi ſui juris facta, poſſint reſiſtere. Fit hoc tribus modis:

1. Per *putrefactionem* quâ fatiſcit ſulphur enervatur acidum, & magis magiſque emergit ſal volatile.
2. Per *concremationem*: hac enim pingue deflagrando maximam partem abſumitur, & emergit ſal volatile: v. g. in fuligine, quæ deſtillata ſal volatile & ſpiritum urinoſum cum aliis productis ignis, ſimul fundit.
3. Per *digeſtionem* cum alcaliſatis ſeu alcalibus fixis: his enim diſſolvitur pinguedinis ſulphureæ compages deſtruitur plus minus acidum, adeoque emergit ſal volatile liberum; uti fit, dum per ſalia fixa ex oleis deſtillatis intercedente digeſtione fiunt ſalia volatilia.

Ratio vero, quare in vegetabili regno tam firmiter coaluerint ſalia volatilia? eſſe videtur intenſius acidum, qvo vegetabilia eorumque ſulphura pollent præ animalibus; unde & omnia fermentationis motu ad aceſcentiam diſponi poſſunt: ſicut ligna actu manifeſtum acidum poſſident. Hujus itaque præſentia, uti in vegetabilibus ligat & magis concentrat ſal volatile, unde tam prompte arctiori colliquatione in ſalia fixa abeunt; ita ejus abſentia in animalibus libera magis & ſui juris, eſſe quaſi permittit ſalia volatilia.

Quoad *uſum ſalium volatilium* ex animalibus: ſane omnia ſunt penetrativa, viſcidi attenuativa, glutinoſi inciſiva, acidi deſtructiva, diuretica, ſudorifera, ſcorbuti, mali hypochondriaci, intermittentium ac ſimilium morborum chronicorum curativa. Sed cum hæc ſint proprietates quæ ipſis, tanquam ſalibus volatilibus oleoſis, omnibus & ſingulis aliqualiter competant, dubium emergit: *an ſalia volatilia vegetabilium inter ſe differant eſſentia? an vero non? adeoque de craſi ſpecifica ſeminali aliquid aut nihil obtineant?* Res poteſt expediri diſtinctione: nempe vel plus minus de ſulphure concreti nondum penitus deſtructo participant ſalia volatilia, vel de eodem penitus fatiſcente, nihil obtinent: ſi prius, aliqualis ſubeſt differentia; ſi poſterius, revera inter ſe coincidunt. Quod ſi ſupra dictos præparationum modos conſideremus, manifeſtum evadit: nullam ſingularem differentiam inter ea intercedere, quin experientia conſtet, ſalem volatilem

non

non secus ac spiritum volatilem urinosum, fumariæ, chelidonii majoris, absinthii, menthæ, &c. nullam, ne minimam quidem sensibilem obtinere differentiam, ita ut revera promiscuus eorum videatur usus. Conf. SYLVIUS *lib.3. Prax. pag.* 136. BECKIUS *Exper. circa Rer. natural. Princip. pag.* 148. BOYLE *Chymist. scept. pag.* 157. BARTHOLINUS. *Act. Med. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 177. Nec est, quod objiciatur singularis ista differentia, eaque multiplex, salium volatilium, cujus mentionem facit TACHENIUS *Hippocr. Chym. cap.* 19. alia ratio est dictorum salium in naturali statu consideratorum, alia ratio est eorundem sub artificiali opera multipliciter alteratorum. Interim singulare quid obtinent quædam vegetabilia v. g. destillata cum piperitide, item spiritus sinapi cum calce vivâ, item spiritus ac sal volatile absinthii, item cochleariæ aliquantulum saltim & inchoativè putrefactorum, quæ integram concreti crasin reverà obtinent.

Ulterius quæritur: *an salia volatilia vegetabilium & animalium inter se differant?* sanè ritè parata, probè depurata & rectificata, sibi invicem simillima sunt; ita tamen, ut vegetabilium salia volatilia subtiliora adeoque penetrantiora videantur, ac delicatiora animalium salibus; unde dum salia hæc à suis sulphuribus penitus ferè separata sunt, aut exile illud, quod participant de sulphureo contagio, nullam sensibilem alterationem efficere queat; propterea statuendum videtur; exilem inter salia intercedere differentiam.

Ulterius disquiritur, neque id immerito, à modernis: *an salia hæc volatilia, tam animalium, quam in specie vegetabilium, formaliter in concretu præexistant!* Revera de materiali præexistentia nullum est dubium: sed de formali multum disquiritur; idque ex eo, quoniam non nisi prævia insigni totius concreti alteratione, & plus minus destructione, adeoque in novam texturam particularum permutatione, salia volatilia hæc obtineri queant. Nam in animalibus, quicquid ex iis mitiori sub examine elicitur, gelatina est; ex vegetabilibus vero est succus, & in hoc sal essentiale; unde dubium emergit: *an* secundum quosdam *ex pingui seu oleo oriantur, dum nempe acidum hujus occultum cum particulis pinguibus in novum concretum contexatur*, quod sal volatile constituat? *an* vero *ex sale essentiali nascantur, acido hujus volatili occulto subtilem terream substantiam arripiente*, & in tale sal volatile abeunte? Sanè omnia salia volatilia, quæ adhuc in forma sicca coagulabilia existunt, ab acido participant Sed de iis quæ non sunt coagulabilia, nempe quæ à calce viva fuerunt rectificata, de his res magis dubia videtur: *an* & *hæc de acido adhuc participare queant?*

Cæterum cum rara sit avis sal volatile in forma sicca ex plantis, propterea moderni sal volatile compositum vegetabilium beneficio spiritus vini, salis ammoniaci, & olei destillati, ex plantis eliciunt, & vocant *salia volatilia oleosa*, vel *spiritus salino volatiles oleosos*. Superius enim monui: quod olea destillata vegetabilium nihil sint aliud, nisi sal volatile concentratum. Huc ergo respexerunt Autores, & voluerunt denuò separare, & in sal volatile sublimare: quoniam vero non processit, propterea adjunxerunt spiritum vini & salis ammoniaci, ut spiritus vini dissolvat oleum destillatum, & spiritus salis ammoniaci conjungatur cum spiritu vini. Hæc tria invicem mixta destillant in unum tertium sal volatile oleosum. Horum verò parandorum ferè 1000. modi sunt: Primus, qui hæc salia volatilia oleosa paravit est BOYLE *in Philosophia Experimentali Part.* 2. *S.* 1. *pag.* 382. Talis e. g. est, si ♀ rectificatissimus infusione supra subjecta oleosa, v. g. aromata & digestione probè impregnetur, & huic calx viva & sal ammoniacum, aut ipse spiritus salis ammoniaci, addatur, blando igne destilletur, & cohobetur, prodit *spiritus urinosus oleosus aromaticus*. Præprimis autem procedit hoc in caryophyllis & cinnamomo, ubi spiritus coloris aurei urinosus aromaticus habetur: item si spiritus urinæ per fermentationem, vel spiritus salis ammoniaci cum sale tartari, affundatur oleo destillato, cum eodem coit, & ita semet mutuò coagulant; sic istud coagulum destillatum prodit in forma salis volatilis elegantis: vel miscetur sal volatile animale cum oleo quodam vegetabili destillato, sic sublimando aliquoties certè sal volatile aliquid de oleo secum rapit, & in forma salis volatilis oleosi aromatici adscendet. Probari id poterit v. g. cum oleo ligni rhodii; vel mistura fiat ex calce viva, sale ammoniaco, & oleo destillato: affundatur spiritus vini rectificatissimus, stent diu in digestione, post destillentur per alembicum, & habitur *sal volatile oleosum*, elegantis saporis & odoris: e. g.

℞. ♒ *vini aromat. c.* ♀ *rifat. par.* part. iij.
♁ ✱ *ci* ♁ ♀ *f. ciner. clavell. par.* p. j.
M. & destillentur *lento igne.*

Vel

℞. ♀ *ifati* part. iij.
♌ *destillati cujusd. aromat.* quantum imbibere possit,
♒ ♁ ✱ *ci* part. j.
M. destillentur *lento igne.*

Quoad *salia fixa*: horum præsentiam manifesto quælibet cineres eorumque lixivia loquuntur: fiunt enim hæc, quando calcinantur vegetabilia, & rediguntur in cineres, è quibus post elixiviationem & filtrationem per exhalationem in fundo remanent salia fixa, id est, talia salia, quæ igne fortissimo calcinata non mutant naturam, sed semper fixa permanent.

Quæstio de origine eorum prima oritur: *an materialiter tantum, an formaliter in plantis præexistant?* Dubium hoc paucis resolvendum: nempe de formali eorum nil deprehenditur in concreto, sed saltem materialiter. Sufficienter hoc declarat TACHENIUS *in Hippocr. Chym.* & HELMONTIUS *in Scriptis*, qui demonstrant sufficienter: quod salia hæc tantum sint artificialia, & per se in nullo vegetabili reperiantur; sed fiant de novo per σύγκρισιν ab igne factam sub calcinatione per colliquationem sulphuris, seu pinguedinis, in recessu acidæ, cum sale volatili: Dum enim ignis agit in concretum, colliquefacit pingue seu sulphur; in hoc per minima sui moto agit alcali in motum concitatum, agunt sic in se mutuo, & invicem coeunt in tertium primo salsum, tandem ulteriori in igne actione perfectius destruitur pingue, & cum alcali intimius unitum emergit fixum alcali; sub ista tamen societate & aliquas terreas particulas plus minus simul arripiunt. Hinc in salibus fixis ceu artefactis consideretur:

1. *Materia*: quæ sunt salia concreti volatilia.
2. *Efficiens* quod est ignis.
3. *Modus fiendi* qui est colliquatio eorum cum particulis terreis.
4. *Forma salis*, seu *specialis* novi concreti emergentis *textura* quæ est, quod sint corpora instar calcis vivæ cujusdam salsioris.

Quod vero sint fixa hæc salia artificialia, patet ex eo: quod

1. E vegetabilibus putrefactis non possit sal fixum præparari, quia deest sal, sub colliquatione figendum in sal fixum; non secus ac ligna cariosa calcinata nil fere salis fixi suggerunt.
2. Quia parili ratione ex nitro, (concreto nempe ex sale urinoso volatili oleoso excrementorum animalium, quod cum acido aereo in nitrum, & hoc per se totum in ignem abit) cum subjectis sulphureis tractato, sal fixum alcali parari potest, quale proprie dictum in eo non habebitur.
3. Quia nulla alia vi nisi per ignem, & quidem apertum, obtineri possunt; nullum enim vegetabile in cinerem redigitur, nisi in igne nudo cum clauso vase in carbones abeant.
4. Si per fermentationem recludatur mistum, talia vegetabilia paucum admodum vel nullum suggerunt sal fixum post calcinationem quia sub reclusione sal volatile evolavit.

HELMONTIUS dicit: quod fiant ex colliquatione sulphuris plantæ cum sale volatili quod perinde est, ac si dicat cum TACHENIO, quod fiant ex acido plantæ cum sale volatili urinoso: nam sulphureum plantæ principium est acidum, & omnia sulphura acidum in se continent; adeoque sulphur & sal volatile sub concrematione colliquescendo partim avolant & condensantur in fuliginem, partim colliquefacta cum substantia terrea concrescunt in alcali fixum. Quo temperatiora sunt hæc salia, eo magis conducunt. Hæc salia fixa in principio sunt minus pura, interdum & obscura, & quasi nigricantia. *Purificantur* autem *vario modo*: *Modus optimus* est, qui fit per calcinationem in crucibulo, ut partes heterogeneæ comburantur, hinc per crebras solutiones in aqua simplici, & repetitas coagulationes: Quidam ex chymicis salia fixa alcalia depurare volunt beneficio sulphuris: nempe vel incendunt sulphur cum cineribus, vel miscent ipsa salia jam inspissata cum sulphuris ana, in ignem seponunt, ut sulphur inflammetur, & acquirunt sal elegans. Cæterum hæc purificatio est sophistica: nam hæc salia fixa plantarum sunt de natura alcalium fixorum. Quando itaque inflammantur, deflagrat ex sulphure substantia pinguis, ejusdemque pars acida se jungit cum alcali fixo plantæ, & ita se uniunt; undenovum concretum & sal salsum tertium oritur, compositum ex acido sulphuris, & sale fixo alcalino plantæ. Merito ergo à ZWELFERO *in Animadversione ad Pharm. August. pag.* 435. & quam plurimis aliis, rejicitur hæc Depuratio.

Varia autem sunt *salia fixa* pro varietate vegetabilium & calcinationis, nunc *salsa*, nunc *urinosa*: v. g. in absinthio, si caute & leni igne comburatur, invenitur sal salsum; sin vero cineres nimis diu calcinentur, abeunt in lixivialia & pure alcalia: Nam subjecta temperata, in quibus acidum pingue æquiponderat alcali volatili, in incineratione moderato igne tractata, abeunt in sal salsum. Forti ergo calcinatione acidum pingue abit in auras; unde ex salibus mediocriter calcinatis, adeoque quodammodo salsis mistis cum bolo, adhuc spiritus subtilis acidulus per retortam, at in pauca quantitate, destillari potest; sicut fit ex sale communi, qui ex salibus perfectè lixivialibus nullo modo acquiritur, quod notandum.

Vsus & effectus salium hujusmodi *fixorum alcalinorum* in genere est:

1. Absorbere & destruere acida in corpore nostro.
2. Resolvere sordes, ac mucilaginem crassam & viscidam in ventriculo, intestinis & abdominis meatibus stagnantes.
3. Per urinam, interdum per sudorem, excretiones movere.
4. Febres intermittentes curare.

In usu autem eorum observandum est:

1. Quod, dum exhibentur, debeant solvi in brodio carnis calente; sic enim majorem vim habent sin vero prius non solvantur in vehiculo calente, lædunt ventriculum, facileque nauseam faciunt.
2. Omnia salia debent sumi jejuno stomacho, & hinc aliquot horarum jejunium institui.

Sed cum modo recensiti effectus & proprietates sint communes iis omnibus quæstio adhuc est: *annon & proprias habeant ex speciali concreti crasi oriundas?* adeoque *an omnia eadem sint essentia, & non differant inter se?* ita ut v. g. sal absinthii fixum differat à sale cardui benedicti; & hoc à sale plantaginis, vel artemisiæ, aut salviæ non differat; quidam affirmant, quidam negant.

Ex geneseos illorum ratione res decidi facile potest: scilicet in incineratione rerum vis earum seminalis perit, *adeoque specificè vix differunt* salia: nihilominus tamen in ipsa illa colliquatione salis volatilis & sulphuris aliquantum seminalis virtutis adhuc absconditur; adeoque tam ratione virtutis seminalis specificæ, quam ratione constitutionis propriæ salium lixivialium, aliqualis eorum est differentia: & hæc habet originem solum à partibus suis pinguibus, sulphure nempe, majori denique & minori colliquatione. *Alcalisata* HELMONTIUS appellat *pinguia*, nec immerito; quia ex pinguedinis & oleosæ partis colliquatione ortum habent: quo itaque plus ejus colliquatum est, eo pinguius alcalisatum existit, ut in sale tartari, item in alcali tartari & nitri, quod fere instar saponis existit, evidens est. Nempe in calcinationis ratione res omnis sola est, prout vulgari modo præparata sunt, non differunt essentia, sed omnia inter se conveniunt, sicuti alia volatilia animalium. Nam hæc omnia, uti sunt ejusdem ferè naturæ, ut sal volatile urinæ; ita sal artemisiæ, salviæ; absinthii, tartari, cardui benedicti, &c. fixa, prout communiter præparantur, non multum differunt. Si vero accuratè præparentur, ita ut pingue colliquefactum non destruatur penitus, nec adeo intime concentretur, etiam essentialis ferè differentia in Medico foro concedenda erit: Confer. hic BORRICHIUS *Herm. sap. pag.* 352. Omnibus hic est Magister TACHENIUS *Hippocr. Chym. cap.* 21. & *Clav. cap.* 5. qui docet: qua ratione ritè calcinanda sint, ut alcalisata salia de vi seminali concreti plus minus participent; præprimis cum BORELLUS *Cent.* 2. *Observat.* 21. in lixiviis conglaciatis diversas vegetabilium figuras annotarit; quod & in urticarum lixivio QVERCETANUS, MULLERUS *in Mirac. chymicis* atque ROSENBERGIUS *in Rhodolog.* observarunt: Huc etiam facit, quod BORELLUS *Cent.* 4. *Observ.* 34. de cinerorum incineratorum revificatione refert. Et exinde palingenesia vegetabilium ex eorum salibus fixis deducenda est; dum v. g. sal menthæ in mentham denuo in terra fœcunda excrevisse observavit curiosus quidam Medicus: Sic etiam notatu digna est observatio *le* FEBURE *in*

sua

sua chymia, qui ex cineribus fœniculi elixiviatis fimo damnatis & conjectis, subsequenti anno fœniculum uberrimè germinatum observavit quod etiam de sale fixo urticæ terræ congruæ commisso ROCHAS *de aqua mineral.* testatur: vid. BORRICHIUS *in Herm. Sapient. Præfat.* Maximè ad salium fixorum alcalisatorum virtutes specificas probandas huc facit, quod BARNERUS in M.A.N.C. *Anno 6. & 7. Observ. 199.* testatur de cive Numburgenti, qui absinthium plane abhorrens, à sale absinthii incie assumpto animi deliquium & vomitus incidit. Nempe qui simpliciter saltim in salsa colliquata sunt illa salia, præsertim ex aromaticis parata, vim aliqualem seminalem omnino plus minus obtinere videntur; & ex hoc fundamento etiam spirituum acidorum ex salibus fixis destillatio expediri potest: de quibus *supra dixi.*

Interim utut alcalisata perfectè, vi specificâ seminali ad usum Medicum destinata orbata, non differant, quin tamen ex particularum colliquatarum ratione aliqualem in sua textura differentiam, & hinc in mechanicis proprietates non nihil distinctas obtinere valeant, negari non potest: e.g. si hisce salibus vitriola præcipitantur, fit ut unum sal hoc promptius, alterum autem tardius præcipitet; sicut sal tartari præ aliis prærogativam habet in resuscitando Mercurio; quod etiam illustrant experimenta præcipitatoria TACHENII *Hipp. Chym. cap. 7. & 16.* Virtutes ergo specificæ suis simplicibus in salibus fixis ritè paratis absolute denegari non possunt.

Salia hæc vegetabilium præmittuntur crebro loco digestorum ante purgantia; item in febribus intermittentibus die remissionis, aut etiam ante paroxysmum pro sudore & curatione febris. Tale ☉ *digestivum* potest fieri hoc modo:

℞. ♀ ⊕ *lati* ℈ij.
☉ *is absinth.*
cent. min.
cichor. ana ℈j.
div. in 4. part. æqv. s.

Digestiv-Saltz auf etliche mahl.

Capitur diebus intermissionis in febribus intermittentibus, vel etiam ante paroxysmum.

Quando volumus habere *sal diureticum*, præscribimus hoc modo:

℞. ☉ *stip. fabar.*
♃ ana ʒß.
vol. succ. ℈j.
M. div. in ʒ. part. æqv. s.

Harntreibend Saltz.

est egregium diureticum in calculo, nephritide, hydrope & similibus affectibus.

Tangenda venit adhuc obiter *salium fixorum*, speciatim *vegetabilium*, tantopere desiderata *volatilisatio*, autore HELMONTIO primitus insinuata, & hinc à posterioribus chymicis tanto studio prosecuta. Consistit totum artificium in eo, ut saltem substantia seu calx figens separetur ex consortio colliquatarum particularum sulphurearum & alcalium volatilium, quo impetrato, habebitur concretum salinum, quod in usu Medico habet potestatem resolutivam contumaciorum in corpore obstructionum, absterſivam quarumvis sordium, & penetrativam ad quartam usque corporis digestionem; in usu verò Alchymistico vim aperiendi coagulationem metallicam, & claustra adhærentis & figentis sulphuris corporum metallicorum reserandi, solvendi itidem in primum sui liquorem duriora quædam concreta, ut perlas, lapillos cancrorum; adeo ut ceu *succedaneum liquoris alcahest* hæc ipsa commendet HELMONTIUS *de Febb. cap.* 15. §. 26. Siquidem talia volatilisata salia fixa præ vulgo notis salibus volatilibus, ob colliquationem particularum salinarum per ignis vim præviam magis ignea, actiora, penetrantioraque facta fuerint. Sed quanti laboris sit salia fixa hæc volatilisare, præ cæteris BECK *in Experim. circa Rerum Natural. Princip. Epist. & Vindic.* BARNERI *in* BECKIUM, consulendi sunt; non minus quam BEKCHERUS *suppl.* 2. *pag.* 81. *seqq.* Sane BECKII *Experimenta* hoc in puncto non sufficiunt, ut præter BARNERUM *in Vindiciis*, ipsa præparationum ratio ostendit. Quantum LUDOVICI in hoc puncto laboraverit, *scriptum ejus de sale volatili tartari* docet. Res mihi adhuc intentata indeque intricata videtur; unde negotium hoc curiosioribus & felicioribus relinquo.

Restant adhuc *salia vegetabilium essentialia* seu succulenta, quæ sunt concreta saliformia, ex succis vegetabilium expressis, vel etiam ex plantis in s. q. aquæ coctis, & postmodum expressis enata; suntque vel proprie talia, vel impropriè. Hæc sunt sedimenta impura, bolaria, &c. qualia ex lupulo, carduo benedicto, salvia, &c. educuntur: propriè dicta *salia essentialia* sunt vel *tartarea*, vel *nitrosa.* Parantur ex succis vel simplici expressione, vel prævia cum aqua coctione, elicitis, depuratis, & ad syrupi consistentiam sensim evaporatis, ubi spontanea coagulatione in frigido loco in crystallos concrescunt, quæ vocantur *salia Essentialia. Tartarea* ex acidis aut his cognatis, acetosa, succo citri, ribium, berberum, tamarindis, &c. præparantur. Revera autem nihil sunt aliud, nisi tartarus plantarum: sicuti enim tartarus ex uvarum succo expresso & fermentato in loco frigido concrescit; ita succi plantarum dant talem tartarum in loco frigido post fermentationem, qui est principium salinum cum succo suo in crystallos redactum. Elegantior est *modus* ZWELFERI parandi sal essentiale vini, ex spiritu vini, spiritu aceti & sale tartari fixo, quæ jungit per modum terræ foliatæ in crystallos elegantes: cujus præparatio habet aliquid in recessu, & videri potest in ZWELFERI *Apologia contra Tachenium.* Salia essentialia nitrosa vero, qualia fere ex amaris fiunt, aut saltem quæ nec acida, nec amara sunt, sed saporis ex acerbo, acido & amaro mixti, atque nitri sapori similes sunt; item ex borragine, buglossa, fumaria, absinthio, Mercuriali, &c. præparari solent, hæc post primam sui crystallisationem pinguedine plus minus limosa adhuc sunt imprægnata, unde salia hæc in aqua denuo solvantur, & bis vel ter super cineres alcali fixo præditos colantur, colaturâ ad mediæ vel tertiæ partis absumptionem evaporata crystallisatur: Quod si nec sic puræ satis videantur nitrosæ crystalli, funduntur in crucibulo, quo omnes heterogeneitates per ignem delentur, hinc in aqua solvuntur, & in loco frigido in perfectas crystallos nitrosas abeunt.

Observandum hic quod illa vegetabilia, quæ sale nitroso pollent si incinerationi exponantur, parum aut nihil salis fixi suppeditent, cujus defectus rationem videtur constituere deflagratio salis nitrosi una cum oleo; unde parum salis fixi potest restitare: non secus, ac nitrum, si cum debito sulphureo addito subjecto deflagret, parum alcali fixi suppeditat. Mediæ quasi consistentiæ & naturæ inter dicta essentialia salia sunt illa, quæ dulci gaudent sapore, v. g. saccharum: sal in

succo uvarum maturarum seu musto concentrato sponte concrescens, &c. Nam quod saccharum sal tale sit essentiale, quod & suum habet acidum quod cætera pinguia, oleum & alcali cogit in tales crystallos; item quod sit succus expressione ex cannis elicitus, ac sui inspissatione in tale sal redactus, notum est.

Pertinet ad hæc salia etiam illud sal essentiale, quod alioquin etiam *vitriolum vegetabile* dicitur, & ex succo corticum juglandium viridium paratur, de *quo supra.*

Conferatur, quoad hæc salia essentialia, SALA *in Tartarologia*, & etiam ROLFINCIUS *in sua chymia.*

Hæc sunt salia simplicia artificialia: sequuntur

SALIA COMPOSITA ARTIFICIALIA.

Verbigratia tartarus vitriolatus, Panacea Holsatica, &c. item talia salia composita artificialia, quæ eliciuntur ex capite mortuo spiritus aperitivi Penotti ex capite mortuo spiritus salis ammoniaci: & sunt hæc salia fixa digestiva in cachexiis, in febribus ante purgationes, &c.

Sunt quidam, qui parant sal quoddam purgans hoc modo: fides tamen sit penes experientiam.

℞. *pulv. senna* ℥ß.
turbith. ℥ij.
rhabarb. opt.
hermodact. ana ℥j.
agar. trochiscati ℈iv.
♁ ♀ *crystall.*
macis
cinnam.
galangæ ana ℈ij.
sacch. candi albiss. ℥j vel ℥vj.
♁ *comm.*
aceti rosac ana ℔ß.
♈ *absinth.*
rosar. ana ℥iv. M.

digerantur in MB. per noctem & colentur: Ex colatura per exhalationem & evaporationem fiat sal purgans: quod à gr. iij vel v ad viij vel etiam ad plura pro stimulo permiscetur aliis. Sic per se solet dari ad ℈ß. & gr. xv. sed dubito, ex hac compositione posse fieri tale sal purgans, quod in tam exili dosi alvum laxet.

Inter artificialia composita Autoris est.

nro. 1.

SAL ALCALI,

pag 279.

Sal alcali in specie sic dictum, non habet usum in Medicina: adhibetur tamen in laboribus metallicis, in separatione metallorum à se invicem.

SAL ALEMBROT.

num. 2.

Sal hoc tantum est in usu Alchymistico pro calcinandis aut cemetandis metallis.

Facit quoque AUTOR mentionem *salis Alembrot, nativi*; sed est rara avis, & non in usu.

SAL ANATRON.

nro. 3.

Hoc similiter in usu Medico non valet; sed tantum in Alchymistico, in metallis purificandis & separandis.

BORRAX.

num. 4. pag. 280.

AUTOR *noster* aliis salibus quoque adseruit *Borracem*, qui est vel *nativus*, vel *factitius*. *Nativus* in India Orientali reperitur, & adfertur exinde in Belgium, in quo, imprimis Amstelodami, per alcalia purificatur: *Artificialis* est, qui describitur ab AUTORE. Nobis in usu est nativus, qui sal elegans est, valde urinosum de natura alcalium, perspicuum, atque candidum, & tum in Alchymia tum Medicina proficuum. In Alchymia pro fusione & reductione metallorum in usu est. In Medicina prodest ad partum difficilem & secundinas promovendas, ubi fortissimum est remedium; hinc est *basis pulveris partum promoventis Helidai Paduani.* Præterea menses ciet insigniter, eosque potenter promovet. *Dosis* grana xv. ad ℈j, imo ad ℥ß, & miscetur cum cinnamomo, myrrha: e. g. *Pulvis in partu difficili* potest esse talis:

℞. borrac. Veneti ℥ß.
myrrhæ electæ ℈j.
croci ℈ß.
M. pro duab. dosibus.

In mensibus promovendis:

℞. *borrac.* ℈j.
cinnam. ℈ß. M.

propinetur cum decocto pulegii vel rorismarini, vel simili.

Vel:

℞. *borrac.* ℥ß.
myrrha gr. xv.
cinnam. ℈ß.
Misc. pro duab. dos.

Item:

℞. *castor.*
fl. ♃ *ii* ana ℥ß.
borrac. ℈ß.
myrrhæ el. gr. vj.
cinnam.
zedoar. ana gr. iv.
M. f. *pulvis.*
div. in 2. part. æq. f.

Treibend-Pulver.

ad partum, secundinas & menses promovendos prodest.

Sunt qui Borracem valde commendant pro stimulanda Venere, pro quo usu sumuntur ejus aliquot grana in ovo sorbili. Egregium quoque est remedium ad stranguriam confirmatam. Quod si aut Borrax calcinetur instar aluminis, tunc remanet terra fixa adstrictoria, quæ menses & gonorrhœas sistit.

CAPUT LXXX.
DE
SAPONE ODORATO.

Sapo odoratus præparatur partim pro gratia odoris partim pro gratia coloris, manibus ac faciei concilianda. Ita saponi Veneto in aqua appropriata dissoluto adduntur pulveres odorati, v.g. benzoe, styrax, ladanum, & si lubet, etiam aliquot grana ambræ, moschi & zibethi: exsiccantur postmodum lente, & sapo Venetus inspissatus, & istis odoriferis imprægnatus, formetur in globulos saponiformes, & fit sapo odoratus. Sapo elegans odoratus, qui simul nitidas reddit manus, fit per essentiam benzoes, si scilicet benzoi dissolvatur in spiritu vini rectificatissimo sicque emergit Tinctura rubicundissima: Huic Tincturæ infunditur sapo Venetus in aqua rosarum odorata dissolutus; sic enim fit, ut ista tinctura benzoes subito lactescat, hoc facto bene invicem miscentur hæ duæ solutiones, & leni evaporatione denuo (ne odor exhalet) inspissantur, & fit sapo odoratus: qui sub solutione & suavem benzoes odorē spirat,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1104-5 DFG

ſpirat, & præterea cutim glabram albam & nitidam reddit.

CAPUT LXXXI.
DE
SPIRITIBUS.

Spiritus ſunt liquores ſubtiles deſtillati, ſapidi, volatiles, cum aqua miſcibiles, ſumme activi, & inſigniter penetrantes. Uſus namque obtinuit ut in tota Philoſophia & Medicina id, quod eſt valde volatile, penetrans, & ſtatui volatilitatis proximum, vocetur ſpiritus: cum enim iſtæ partes in pharmacopœia ſint volatiliores & ſubtiliores quam aquæ, propterea aptius vocabulum imponere nequiverunt, quam ſpiritus. Inertes ſunt aquæ reſpectu ſpirituum, ſicuti hi ſunt liquores reſoluti reſpectu oleorum: nam revera in vegetabili & animali regno reſoluta olea & extraverſa eorum ſalia, ſpiritus conſtituunt; & minerali in regno concentrati ſpiritus communiter olea, utut abuſivè, dici ſolent. Ex quo patet: propriè ſpiritus dici vegetabilium per fermentationem elicitos; qui vero ſunt fixioris naturæ, & per retortam igne fortiori deſtillantur ex mineralibus & animalibus, quique poſt phlegmata denuo ſolent adſcendere, ſunt impropriè dicti ſpiritus: utut etiam communiter hoc nomine appellari ſoleant. Hinc ex dictis, & ex eo ſimul, quod aquæ commiſcibiles ſint, conſtat: quod ſalium ſaltim ſint larvæ, adeoque recte ſpiritus omnes ſalium fluores dicuntur: vel ſolo fluore, quo phlegmatis ope ſoluti ſunt, à ſalibus differunt.

In minerali regno hoc clarum eſt, ſpiritu nempe vitrioli vel nitri: acidum horum eſt in phlegmate ex aere arrepto ſolutum: Spiritus C. C. ex ſale volatili plus minus oleoſo, in phlegmate ſoluto conſtat: ſpiritus vero urinoſi vegetabilium ſunt ſal volatile in phlegmate dilutum; & ſpiritus vinoſi ſeu inflammabiles eorum, cum ſint olea deſtillata fermentando ſaltem attenuata & reſoluta, illa vero in receſſu ſint ſalia volatilia oleoſa, merito etiam eandem cenſuram ſubeunt.

Ex tribus ergo regnis, animali, minerali, atque vegetabili, eliciuntur ſpiritus. *Animalium ſpiritus* vel exduris, vel ex mollibus eorum partibus elaborantur: Ex duris, v. g. cornubus, oſſibus, ungulis pilis, &c. ſpiritus urinoſus in forma nebulæ cum ſale volatili, fortiter adhærente lateribus recipientis, & oleum craſſum & fœtidum, poſt phlegma ſpirituoſum prodit; vel ſimplici deſtillatione per retortam igne aperto, aut intenſiore arenæ: vel harum partium raſura, v. g. C. C. cum ana ſeu duplo nitri, eleganti encheiriſi per retortam candefactam detonationis beneficio in ampliſſimum receptaculum deſtillantur: in quo caſu oleum maximam partem, deſtructo pingui ignis beneficio, in ſpiritus urinoſi & ſalis volatilis forma prodit. Raſuræ C. C. ſub deſtillatione addi poteſt aliquid de ſuccino, & prodit ſpiritus C. C. ſuccinatus, qui à ʒß, imò ad ℈ij, etiam ſine ſuccino, potenter ſudorem movet: Caput mortuum in retorta remanens eſt calx nuda & terrea, omni virtute & potentia agendi deſtituta: coloris eſt nigri; quod tamen ulterius in igne aperto calcinatum evadit album, quale eſt v.g. C. C. uſtum.

Ex partibus vero mollioribus, v. g. ſanguine, carnibus, item animalia integra molliſa, ut lumbrici, &c. ſimiles ſpiritus & ſal volatile ſuggerunt: vel prævia fermentatione aut putrefactione copioſiores & ſale volatili ſaturatiores, eodem ignis regimine; vel abſque putrefactione ſui cum tartaro calcinato miſtione, dicto ignis gradu proliciuntur, ut de lumbrici ſupra monitum: nam ſine his encheiriſibus dictæ animalium partes parum ſpiritus & ſalis volatilis, multum vero olei empyrevmatici reddunt. Nempe in partibus talibus mollioribus acidum eſt, occultum licet, quod adhuc ſalis volatilis & ſpiritus ſeparationem impedit. Unde etiam ex ſanguine animalium ſal fixum parari poterit, ſecus ac ex durioribus illorum partibus, in quibus omne acidum vitale penitus ſaturatum, facile ſal & ſpiritum dimittit: hinc in iſtis mollioribus, vel putredinis inchoamento, vel ſalis fixi additamento, acidum iſtud plus minus infringendum, ut ſeparentur volatiliores particulæ, & copioſior ſpiritus ac ſal volatile, parcius è contra, nec adeo deſideratum, eliciatur oleum. *An* etiam *ex* his *animalium partibus mollioribus*, prius rite *exſiccatis*, *cum nitro detonando* per retortam *poſſit elici ſpiritus?* nondum expertum eſt: de poſſibilitate ſane nullus dubitarem, ſiquidem ſanguis bovinus ſiccus nitro in crucibulo additus cum inſigni detonatione hoc figit, quo labore in retortam inſtituto ſpiritus & ſal volatile alias evolans obtineri poſſunt.

Illa tria ex animalium partibus producta beneficio rectificationis ſunt ſeparanda: primo quidem per filtrum, ſeu tritorium, ut vocant, ſeparatur phlegma ſpirituoſum ab oleo, quod ſemper ſupernatat; unde quando per filtri orificium tranſit phlegma ſpirituoſum, oleum ſeparatim poteſt abſtergi. Phlegmate ſpirituoſo ſeparato remanet ſal volatile, vel ſolum ſub forma ſalis volatilis ſicci, vel conjungatur cum phlegmate ſpirituoſo, ut habeatur ſpiritus volatilis: ſic fit ſpiritus C. C. volatilis; ſic fit ſpiritus ſanguinis volatilis, &c. Phlegma ſpirituoſum conſtat ex ſubtili acido volatili, temperato à particulis ſalinis volatilibus, oleum deſtillatum conſtat ex copioſis ſalibus volatilibus, beneficio pinguedinis cujuſdam acidæ concentratis: Ipſum ſal volatile primo conſtat ex ſale volatili urinoſo, ſeu alcali quodam volatili, cui tamen intimè admiſtum eſt ſubtiliſſimum quoddam volatile acidum. Sed parum.

Spiritus minerales pariter etiam] ſalium acidorum fluores ſunt, ſeu, ut magis propriè loquar, ſulphura volatilia, dum, pingui ſulphuris embryonati quacunque ratione reſoluto, acidum ejus, quod ſpiritus vocatur, phlegmate dilutum prodit: v. g. ſpiritus *ſalis* ſunt partes *ſalis* acidæ reſolutæ & diſſolutæ; ſpiritus nitri ſunt partes acidæ nitri reſolutæ & diſſolutæ; id quod imprimis de ſimplicibus obtinet. Nam quod magis compoſitos attinet, *elyſſos* dictos non niſi ſulphuris ac nitri deflagratione atque detonatione parabiles, ſolent hi eſſe vel acidi vel urinoſi: Illi ex mineralibus ſulphureis ſolis, ſpeciatim ſulphure, antimonio & nitro hi ex addito tartaro cum nitro, aliiſque pro lubitu; qui tamen revera eo ipſo, quo urinoſi ſunt, minus minerale regnum ſapiunt, ſed ad vegetabile potius pertinent, de tartaro maxi-

maximam partem participantes: nam de nitri alcali volatili hoc modo separabili adhuc sub judice lis est. Retortis tubulatis multum tribuendum pro destillandis spiritibus mineralium, aliorumque subjectorum, quæ sine fulmine non possunt destillari; hinc & pulvis pyrius hac ratione etiam destillatur, si successive imgeritur in cucurbitam terream tubulatam, vel retortam similem, prodit spiritus acidus nitrosus, & flores grisei sublimantur.

Spiritus autem minerales simplices ordinatiè per retortam terream igne aperto destillantur: loco cujus quidam *furnum pressorium* GLAUBERI commendant, quem describit *de Furn. Philos. cap.* 1. ubi materia destillanda sine vase destillatorio immediate supra prunas per ostiolum furni mox occludendum injicitur, cujus fumus seu vapor ab igne elevatus in rostris longis, lateri aut summitati furni in fixis, & vasis recipientibus munitis, in liquorem sensim condensatur; quod etiam præstat furnus, quem *Londini apud* DREBBELIUM AUTOR *noster lib.* 1. *cap.* 20. *pag.* 51. se vidisse scribit. Sed nihil valet hic destillandi modus: nam

1. Fuligines carbonum sulphurei cum spiritu simul adscendunt, & spiritum inquinant.
2. Salia mineralia partim colliquescunt, partim alcalisantur, ut nitrum; & sic pauci acquiruntur spiritus.
3. Maxima spirituum pars à carbonum cineribus lateribus & luto destruuntur.

Optimus ergo est modus, qui fit per retortam igne aperto, ubi prodit primo phlegma, deinde sequuntur spiritus acidi, pro varietate mineralium varii coloris & saporis. Retorta quo amplioris est colli, eò melius est; quoniam aliàs spiritus in retorta angustioris colli conclusi, cum non possint invenire exitum, & cum impetu propulsi, circulantur in retorta, & subeunt denuo caput suum mortuum, & cum eo figuntur, ut ita minus spiritus possit acquiri.

De spiritibus mineralium ipsis in genere notandum; pro diversitate materiæ eorum, simul & operationis varietate, diversimode etiam se habere spiritus, vel in majore vel minore quantitate; vel fixi, vel volatiles magis sunt: nam cum vitriolum Hungaricum minus liquaminis metallici contineat, embryonatum vero acidum liberum contineat, plus etiam spiritus suppeditat, residuo manente capite mortuo satis levi. Cum sale communi itidem se res habet. Hispalense, quod Germanicè das Meer-Saltz dicimus, plus spiritus præbet & in Sæ simul distinctio observetur quod plus vel minus de terrestreitate participet. Multum quoque interest; quomodo operatio instituenda? imprimis lentè festinandum; neque enim ignis unquam intermitti debet, neque intendi: Prius si fiat in motu qui fuerunt spiritus, progredi desinunt, & expelli denuo difficulter possunt: posterius nisi attendatur, à fortiori igne colliquatur facile materia nec sal sic fluorem adeo præbet. Sic etiam, quo minus dictæ materiæ recipiatur, eo melius destillatio succedit: sufficiunt 4. 5. vel 6. libræ pro una retorta: nam si nimia fuerit materia colliquata plus minus exitum spiritibus denegat. Consultum quoque est, ut finita destillatione, dum retorta adhuc candet, & omnia intensius calent receptaculum removeatur ne subtiliores spiritus suum caput mortuum repetant, & in eodem se denuo figant, & ita loco spiritus penetrantis remaneat tantum in recipiente phlegma quoddam spirituosum. Notandum quoque in spirituum horum destillatione: quod phlegma non separandum, sed proportionato ignis gradu totum cum spiritu evacuandum, à liquamine aut metallico vel particulis terrestribus per capellam vacuam rectificando liberandum. Nimia enim rectificatio magis obest quam prodest, spiritus nimis corrosivi evadunt, & pro corporum solutione inepti, nisi prius cum aqua iterum solvantur: ut videri est in oleo vitrioli, quod nisi cum partib. ij. aquæ dilutum, Martem in vitriolum vix corrodit.

Et hic est ordinarius modus destillandi spiritus mineralium: Modum alium & artificialem, præter furnum pressorium supra allegatum, monstrat GLAUBERUS, dum destillat spiritus minerales igne aperto in vase candente ferreo, quem videbitis *loco alleg.* ubi sunt quædam lectu & notatu digna, quæ instruunt chimiæ solertem Medicum.

Spiritus minerales etiam *concentrare* quidam satagunt; quæ concentratio proprie dicta alia non datur, quam quæ fit per crystallisationem & dephlegmationem. Illa præsertim est spontanea illorum concentratio, in cujus locum succedit dephlegmatio; sic enim spiritus concentratur in oleum: sic oleum vitrioli sponte crystallisatum videb. in BOYLE *Hist. Fluid. & Firm. pag.* 126. Quæ per lapidem calaminarem fit *spirituum concentratio Glauberiana*, dum rodendo illum coagulantur cum eò particulæ salinæ, non est genuina, cum sine jactura elici denuò non possint.

Consideranda etiam venit *regeneratio spirituum* mineralium, quæ non solum in capite mortuo vitrioli procedit, sed etiam alumen calcinatum, & spiritu suò orbatum, si aeri exponatur, illud reassumere eundem dicitur: Terra nitrosa aeri exposita denuò efflorescit, seu caput mortuum nitri: residua nempe à destillatione spiritus terra successu temporis & aeris beneficio in elegans nitrum efflorescit. Verum sciendum est: necessarium esse in talibus corporibus quasi residuum magnetem, qui iterum attrahat ex aere, & de novo saturetur; qui magnes consistit in simili acido, sed per destillationem in capite mortuo concentrato, hujus præsertim ab aere facta resolutione regeneratio ista fieri videtur.

Post spiritus minerales sequuntur spiritus vegetabiles, & cum jam ipsa vegetabilia sint distinctæ naturæ, & etiam vegetabilium partes heterogeneæ sint diversarum constitutionum, propterea etiam diversimode eliciendi sunt spiritus ex regno vegetabili: hinc spiritus vegetabiles in triplici sunt differentia: vel oleosi, & sic inflammabiles; vel urinosi; vel acidi, adeoque non inflammabiles. Illi vel per fermentationem fiunt, vel per additionem spiritus vini. Spiritus oleosi autem seu inflammabiles per fermentationem prolecti, v. g. spiritus vini, menthæ, cochleariæ, anisi, &c. propriè spiritus sunt: hi vero per spiritum vini impropriè tales, & fiunt, quando volatilioribus subjectis non tam facile fermentescibilibus, ut aromatis proprie dictis radicibus & corticibus aromaticis, v. g. semini anisi, fœniculi, corticibus citri, absinthio, radici angelicæ, nuci moschatæ, &c spiritus vini affunditur, & inde destillatur: suntque spiritus hi abstractitii nil aliud, quam spi-

ritus vini, oleosis specierum infusarum partibus imprægnatus; adeoque non tam spiritus, quam spiritus vini, v.g. anisatus, fœniculatus, &c. nominandi; vid. ZWELFERUS: hinc fit, ut quando propter insufficientem quantitatem spiritus vini oleum simplicis non totum absorbetur, ut oleum superfluum cum aqua lactescat, quod tamen à novo affuso spiritu vini cum illo jungitur.

Spiritus per fermentationem sunt nihil aliud, quam oleum plantæ fermentatione mediante resolutum. Materialiter ergo spiritus inflammabilis est pars salino oleosa aut resinosa, seu ipsum oleum plantæ volatilisatum & rarefactum, & in proprio suo phlegmate solutum, & in liquorem homogeneum unitum: sicut & spiritus ille inflammabilis, qui ex saccharo Saturni destillatur, non à Saturno, sed oleosa & pingui aceti substantia in saturno regenerato oritur. Efficienter fiunt per modum fermentationis, ita ut non præexistant formaliter in concreto ante fermentationem, sed hujus saltem medio, aut simili ratione atque mustum, non nisi post fermentationem spiritum inflammabilem dat. Utut autem particulæ oleosæ aromaticorum simplicium attenuatæ & resolutæ ab igne, ac phlegmate aliquali dilutæ, mentiantur spiritus, de quo videbitis experientiam BORRICHII *in Sap. Herm. pag.* 370. Conf. etiam simul WEDELIUS *de Sale volatili Plantarum pag.* 273. formaliter tamen adeo propriè spiritus dici non possunt. Fermentatione igitur producuntur spiritus ardentes inflammabiles seu sulphurei; unde omnes tales spiritus sunt productum artis, non naturæ; quod facile per mechanicam probatur: nam plantæ oleosæ aromaticæ, saporis amaricantis & fortioris odoris, v. g. salvia, absinthium, rosmarinus, & similes, recentes concisæ per se ex aqua cum sale communi destillatæ, dant aquam spirituosam cum supernatante oleo, in quo sane magna pars concreti craseos consistit, nullus autem spiritus habetur: quod si fermententur eædem plantæ & destillentur, dant spiritum volatilem oleosum ardentem, cum pauco vel nullo planè oleo: ratio enim, quia oleum hoc volatilisatum per fermentationem, dat spiritum: sic ex absinthio recenter expresso non habetur spiritus, sed phlegma; post fermentationem vero spiritus elegans inde destillatur. Hoc igitur factum est per artem: adeoque spiritus vegetabilium sunt olea fermentando volatilisata & rarefacta; sicut econtra olea eorum sunt spiritus inflammabiles condensati; unde eædem plantæ post olei abstractionem fermentatæ nullum spiritum ardentem fundunt: accedit & hoc, quod olea rebus fermentantibus in proportionata quantitate adjecta, simul in spiritu resolvantur, nec sub forma naturali sive pristina per destillationem prodeant.

Rursus planta recens calcinata dat sal fixum in cineribus; sin vero fermentetur, & destilletur spiritus, paucum vel nullum sal fixum post calcinationem relinquunt, cum salia fixa fiant è colliquatione sulphuris. Sub tortura enim ignis, acidum volatile pingue coit cum alcali volatili, & ita simul coeunt vel in formam olei, vel in salia fixa; quæ antea fermentata abierunt in spiritus. Spiritus vini probè rectificatus, si juxta BASILII VALENTINI *Testam. pag.* 260. à sale tartari, cineribus clavellatis, aut à sale vegetabili fixo probè alcalisato, item à calce viva aliquoties abstrahatur, relinquit humidum in sale fixo: hoc sal si destillatur igne forti, prodit aqua insipida: hac asservata in superficie supernatat oleum, quod nihil est aliud, quam spiritus inflammabilis in alcali fixo concentratus: isti spiritui si addatur parum olei destillati vegetabilis cujusdam, tunc spiritus iste ab alcali exhaustus prompte absorbet oleum, & resolvit in spiritum: è contra spiritus hic aeri diutius & frequentius expositus, oleum quasi præcipitatur & supernatat. Olei seu resinæ denique in spiritibus per fermentationem factis præsentiam, demonstrat experimentum HELMONTII *Tr. de Lithiasi*: quando nempe spiritus urinæ per fermentationem paratus injicitur spiritui vegetabili tali bene rectificato, quorum miscella fit coagulum crassum & quasi butyraceum. Phænomenon hoc quidem fieri putat per particulas spirituum vegetabilium subacidas, quæ cum partibus salinis volatilibus seu partibus alcalisatis spiritus urinæ conjungantur, & in talis crassioris consistentiæ corpus coagulentur; Verum nihil est aliud, quàm pinguedinis seu resinæ ex spiritu inflammabili præcipitatio; phlegma enim spiritus urinæ statim assumit phlegma spiritus inflammabilis, unde vinculo laxato particulæ salino oleosæ coaguli butyri formis forma fundum petunt,

Quoad usum: disceptatur, an spiritus hi omnes sint ejusdem naturæ & essentiæ? Negatur; utut enim integram concreti crasin non possideant, sed plus minus saltem de eadem in olea rarefacta obtineant, tamen eo ipso, quo ex oleo destillato constant quasi materialiter; hæc vero essentialiter ab invicem differunt, etiam de spiritibus nullum dubium; hinc spiritum vini anisi, cochleariæ, liliorum convallium, rosarum, &c. multum differre, manifestum est. Conveniunt quidem omnes, quatenus augmentando nostros spiritus exaltant; tamen spiritus baccarum juniperi e. g. est huic affectui magis appropriatus, alter alii.

Fiunt ergo omnia originaliter per fermentationem vel immediate, vel mediante abstractione cum spiritu per fermentationem jam parato; unde & illi spiritus fermentati, hi abstractitii dicuntur, de quibus supra dixi. Nam in his particulæ oleosæ sulphureæ simplices ab affuso spiritu sulphureo-salino absorbentur, & per destillationem intimè uniuntur. Hac ratione v. g. ex cochlearia, salvia, floribus liliorum convallium, tam fermentando spiritus, quam abstrahendo cum spiritu vini & aliquoties cohobando, similes spiritus parari possunt; qua ratione spiritus compositi, aquæ compositæ apoplecticæ, &c. parari solent. Marcus Marci menstruo ex sale tartari cum sale ammoniaco parato, spiritus vegetabilium cephalicos, e. g. lavendulæ, liliorum convallium, &c. singulari artificio præparat, & etiam vegetabilia multum exaltat in vigore: de quo vid. SACHSIUS *in Ampel. p.* 647.

Parantur spiritus hujusmodi ex omnibus vegetabilium partibus, vel ex herbis succulentis recentibus contusis, vel si non succulentæ fuerint aqua moderatè calida ad eminentiam 3. vel 4. digitorum transversorum dilutis, floribus aromaticorum præsertim, fructibus maturis ac eorum succulentorum succis expressis, (qui per se & naturaliter fermentant, imo sæpe aliis rebus ad fermenta-

mentationem ineptis, fermenti loco adduntur. vel ex seminibus subtilioribus, uti & cerealibus, propter reconditam pinguedinem, unde der gemeine Brandt-Wein / den man die Huren Salbe heisset / item ex illarum decoctis, v. g. cerevisia, fermentando spiritus parari possunt. Uno nomine: quæcunque vegetabilia vel per se, vel quacunque ratione fermentabilia existunt, fermentando spiritus suppeditant. Acetosa enim semper vivum, parietaria, beta, brassica, &c. nullum suggerunt spiritum propter defectum particularum sulphurearum: in fermentatione acescunt, & spiritus, si qui à nitro volatilisato insint, figuntur.

Ex lignis non potest parari talis spiritus: utut sint qui volunt, quod etiam ex ligno sassafras possit fieri fermentando spiritus; qui modus tamen non est adeò vulgaris.

Fermentatio instituitur in loco tepido, ut ibidem sensim sensimque fermentent, donec incipiant acidum spirare: hæc enim est norma sufficientis fermentationis, ita ut subito atque percipitur acor subtilis odoratu, destillentur vegetabilia fermentata; quoniam aliàs loco spiritus acquiritur acetum.

Rebus his fermentandis, ut facilius fermententur, solent apponi quædam *fermenta*: ita sunt, qui admiscent *fæces vini recentes*, quæ non sine magna acceleratione fermentationis adjiciuntur, & maximè congruæ sunt huic usui; vel additur aliquid fæcis cerevisiæ minus lupulatæ, aut fermenti pistorii spiritu vini irrorati, quod in aquæ calidæ proportionata quantitate dissolvitur. Fermenta hæc quidem frequentissima sunt: illis tamen nonnunquam alia substituuntur, quorum particulæ salinæ jam in motu existunt, ut sunt mustum, saccharum, cum quo, ceu succo valde fermentativo optime promovent successum fermentationis, mel, tartarus, &c. quæ rebus fermentandis addita, eas ad motum fermentativum concitant. Rejicit quidem GLAUBERUS *Furn. Philos. P. 3. cap.* 14. Saccharum & Mel, similiaque, tanquam ad fermentationem inepta: Verum hoc refellit fermentatio theriaces &c. conservarum. Quidam vegetabilibus fermentandis addunt urinam, quæ fermentationem facilitare, & florum quoque colores cum aqua earum per alembicum transportare dicitur.

Hic est communis modus parandi spiritus ex vegetabilibus. Cum succis vegetabilium expressis eodem modo succedere, supra dixi: nam si succi fermentantur instar vini, & sic adserventur pro vinaceis: sic est pomaceum, paratum ex succo pomorum expresso per fermentationem: Sic habemus vinum pyraceum, paratum ex succo pyrorum expresso per fermentationem sicut fit proprie ex succo uvarum per fermentationem. Hi succi destillati dant spiritus.

Et quidem hæc *fermentatio* vegetabilium facile *succedit in vase querno*, quod eam valdè promovet. Quando fermentatio est peracta, & fermentata incipiunt spirare acorem, includuntur vesicæ, & destillantur: liquor destillatus rectificatur semel aut bis, vel MB. in cucurbita, vel vesica, modo observetur ignis regimen; sic *prodit spiritus*, qui adscendit per alembicum *sub forma striarum*; quæ *striæ* sunt *signum appropriatum spirituum*: quod *si cessent striæ, incipiunt apparere guttæ*, quæ *constituunt phlegma*. Rectificatio aliquoties non reiteranda: quidam una rectificatione possunt penetrantissimum efficere spiritum ex vesica, destillando eundem per canales ferreos in altum ad longitudinem erectos, quibus superimponitur alembicus: nam tales canales facile possunt transcendere spiritus, relicto phlegmate à calore propulsi: ard. FEBURE *in sua Chymia*, qui exhiber systema talium canalium, & vidi ego in *Laboratorio Reg. vid. Londinensi.*

Quidam, ut spiritus ex succis vegetabilium copiosiores destillentur, ipsis expressis addunt aliquid spiritus vini bona fermenti quantitate; sic enim citius & copiosius adscendere dicuntur spiritus.

Cum igitur spiritus per fermentationem fiant, quæritur: *an simplicia antiscorbutica quoque fermentari debeant, ut exinde acquiratur spiritus inflammabilis?* sunt qui affirmant, sunt qui negant: hi qui negant, dicunt, quod in fermentatione plantarum antiscorbuticarum recludatur vinculum mistionis, & soleant exhalare copiose salia volatilia earum, in quibus tamen optima earum virtus ac energia antiscorbutica resideat: Id quod satis loquitur experientia. Nam antiscorbuticarum plantarum, cum fermentantur, odor ad aliquot ædes potest percipi propter copiosa salia volatilia turmatim exhalantia: & præterea, qui hoc asserunt, solent præparare spiritum ex vegetabilibus antiscorbuticis, affundendo spiritum vini bene rectificatum plantis antiscorbuticis, eumque sæpius cohobant à recentibus plantis, donec spiritus vini copiosè & fortiter sit impregnatus salibus volatilibus istorum simplicium antiscorbuticorum. Sic quidam præparant spiritum cochleariæ, spiritum nasturtii, &c. qui spiritus non sunt in efficaces, nec segnes in operando.

Alii contradicunt priori opinioni, quoad antiscorbutica, & dicunt: si destilletur aqua, v. g. cochleariæ, in succo post destillationem residuo inspissato, aut succo ejus expresso, percipi adhuc præsentiam copiosi salis ejusdem fixioris, aut certo talis, quod implicatum aliarum partium connexarum vinculo non potuerit sese extricare. Ne ergo hujus salis cochleariæ appropriati fiat jactura, propterea optimum esse fermentando recludere mistum, & volatilisare ea, quæ paulo sunt fixiora, ut ita perfectus totus habeatur spiritus.

Et hanc posteriorem opinionem ego quoque veriorem arbitror, quod scilicet *plantæ antiscorbuticæ non inconcinnè possint subjici fermentationi*: Nam utut crasis earum consistat in anomalo quodam sale volatili penetranti, quod in superficie quasi hærere videtur; revera tamen sunt concretum clausum, ut exinde vix sine fermentatione spiritus haberi possint. Nam

1. Omnia antiscorbutica expressa inspissata relinquunt Extractum fortissimi odoris & acoris.
2. Omnia antiscorbutica, si assumantur cruda, diutissime hærent in stomacho, & difficulter digeruntur.

Habent ergò antiscorbutica mistum firmum, in quo quidem volatilitas ludit; cui tamen fixissimum etiam corpus conjunctum est. Optimè igitur

igitur & per fermentationem tractantur; nam istud, quod aliàs exhalat, utut fortiter nares feriat, paucum tamen est, & admodum parvum; quoniam aqua destillata à crudis antiscorbuticis, quæ est phlegma imprægnata istis particulis adeo facilè exhalantibus, est admodum debilis, & non valde potens, ita ut non magna sit jactura partium volatilium in fermentatione exhalantium. Ne tamen sal volatile exhalet, vel ejus jactura fiat, spiritus fermentando elicitus deinde recentibus herbis antiscorbuticis affundatur, & post digestionem aliquoties ab iis cohobetur. Sin vero quendam tædeat fermentationis labor, potest accipere spiritum vini antiscorbuticum appropriatum, eumque affundere recenti plantæ, & aliquoties cohobare; sic enim efficacissimum & penetrantissimum acquiret spiritum.

Hi sunt spiritus vegetabilium per fermentationem parati.

Spiritus vegetabilium urinosos quod attinet, & ex his parata salia volatilia: etiam hæc sunt productum artificiale per putredinis motum, in quo subjugatur acidum, & nova concreti textura emergit, adeo ut suspicer, etiam ex immutato oleoso seu resinoso salia volatilia hæc manifestari. Parantur ex omnibus vegetabilibus, & quibusvis horum partibus putrefactioni aptis. Sunt naturæ urinosæ, & omnes partes alcali volatilis explent; adeoq; si per absolutam putrefactionem parati sint, de specifica virtute concreti nil retineant, & omnes ejusdem naturæ usus & operationis sunt: & si quid specialis virtutis obtineant, eam ab oleo adjuncto per putredinem nondum resoluto habent: vid. WEDELIUS *de Sale volatili Plantarum.*

Spiritus *vegetabilium subacidi* ex durioribus, radicibus, lignis & corticibus destillabiles, post phlegma prodeunt, & per retortam igne aperto destillantur: v. g. visci, lignum juniperinum, quercinum, guajacum, sassafras, buxi, coryli, &c. nam istud, quod aliàs sub forma fumi in combustione lignorum adscendit, & instar fuliginis corpus adhæret camino, in hoc copia magna salis volatilis & olei penetrantis hæret uti dixi, ubi de fuligine: ita hoc ipsum ex ligno retortæ incluso acquirimus in recipiente sub forma spiritus acidi volatilis. *Naturæ sunt duplicatæ*, compositi nimirum ex acido & volatili sulphureo, qui mediante infusione super corallia vel lapillos cancrorum, C. C. ustum, &c. à se invicem separari possunt. Sic enim spiritus lignorum acidus si rodit corallia, vel similia concreta terrea, acidum destruitur, & per coagulationem cum iisdem concentratur: hinc absorpto acido, facta levi abstractione, spiritus oleoso subtilis inflammabilis instar cujusdam spiritus vini prodit, remanente parte acidula cum coralliis in fundo: quam enchirisin videbitis in BOYLE *Chym. sceptico*; & ita duplex natura istius spiritus est quasi divisa & separata.

Oleum autem illud, quod cum spiritu prodit, est horridum: super caput mortuum tamen aliquoties rectificatum, fit oleum penetrantissimum aurei coloris, & convenit eum oleo fœtido rectificato. Si tamen ex lignis per spiritum vini resina extrahatur, paucum vel nullum oleum per destillationem suggerunt, manifesto indicio, olea nihil aliud esse, quam resina dissoluta. Confirmat hoc NEHEMIAS GREW *Tract. de Mixt.* quando olea destillata appropriatis acidis in substantiam resinosam præcipitant, v.g. oleum anisi cum oleo vitrioli vel sulphuris per campanam.

Quoad *usum spirituum*, & quidem *ex partibus animalium*: hi in genere ratione copiosi salis volatilis sunt sudoriferi dissolvunt massam sanguineam congrumatam, aut etiam coagulatam, eandemque fundunt; quoscunque meatus penetrabilitate sua penetrant atque resetant, obstructiones feliciter resolvunt, urinam promovent, &c.

Spiritus mineralium acidi in genere quodcunque volatile urinosum in corpore nostro & massa sanguinea temperant, figunt, agitationes & ebullitiones immodicas Massæ sanguineæ sistunt, & hinc per accidens refrigerare dicuntur; spiritus ferocientes & nimis volatiles moderate figunt & coercent, appetitum deperditum leniter revocant, & qui alii sunt effectus speciales: de quibus *superius sufficienter dictum.*

Spiritus verò *vegetabiles inflammabiles* in genere augent spiritus animales, temperant blande acidum quodcunque, temperant etiam acrimoniam nimiam bilis, seu acidum ejus volatile excedens, flatus discutiunt, stomacho prosunt, affectibus capitis frigidis, quos vocant, conducunt, & qui alii speciales uniuscujusque sunt usus. Dosis eorum in potionibus est ad aquæ ℥j, spiritus ʒj: v. g. spiritus rorismarini, salviæ, &c. præ reliquis sunt oleosi & pingues, cochleariæ est magis salinus.

Usus spirituum vegetabilium acidorum non saltem est mechanicus pro solutionibus & aliorum remediorum præparationibus, sed & Medicus: nam penetrant, incidunt, sudores movent, ac simul specificæ virtutis aliquid possident, in quantum de oleo adhuc aliquid participant.

Inter spiritus minerales, ab AUTORE tanquam usitatiores recensitos, in specie adhuc noto de *spiritu salis ammoniaci*, quod vocetur à quibusdam spiritus antiquartius ex eo, quod singulare sit specificum in cura quartanarum, & non tantum in quartana, sed in genere, legitimo usu, omnium febrium intermittentium certissimum est eradicativum, quod nunquam fallet, præmissis universalibus, si propinetur ante paroxysmum.

Spiritus Angelicæ commendatur valdè contra colicam, & elegantem admodum habet saporem.

Spiritus cardui benedicti commode permiscetur cum spiritu nitri, observata proportione, & aliquoties cohobantur; & sic fit *spiritus nitri dulcis antipleuriticus.*

Spiritus ligni guajaci in usu est contra epilepsiam, contra morbum Gallicum, & similes.

Spiritus juniperinus convenit in colica, & imprimis in calculo.

Spiritus liliorum convallium contra epilepsiam convenit, item contra imbecillitatem memoriæ. Cum hoc spiritu quidam faciunt elegans sudoriferum hoc modo:

℞. ♁ *lil. convall.* ℔ß.
⊖*is volat.* C. C. ℥iij.

Indantur phiolæ altæ, & alembico super imposito destillentur.

Dosis ℈ß ad ℈j in syrupo acetositatis citri egregium est sudoriferum: cui si addatur camphora, erit eo melius & eo penetrantius.

Spiritus Melissæ est corroborativus cephalicus, & insigniter uterinus; uti etiam *spiritus rorimarini.*

Sequuntur nunc

SPIRITUS COMPOSITI.

Illi qui vult parare tales spiritus beneficio affusionis spiritus vini, sit exempli loco

SPIRITUS ANTICOLICUS, *DRAVVIZII,*

cujus hæc est compositio:

℞. *rad. angel.*
levist. ana ℥ij.
cal. arom. ℥ß.
herbæ menthæ M. iij.
flor. chamomill. ℞. M. ix.
cent. min. M. iij.
sambuci M. ij.
cort. aurant. ℥ijß.
zedoar. ℥ß.
galangæ ℥ß.
sem. fœnic.
anisi
carviana ℥j.
bacc. lauri ℥ij.
cinnam. ℥iij vel iv.
castor. ℥j.

M. digerantur cum ∽ *vini*, & destill.

Pertinet huc *spiritus anodynus* quem quidam hoc modo parant:

℞. ♈ *opt.* ℥iv.
opii ♈ *solut.* ℈ij.
croci
styrac. liquid. ana ʒß.
℞ *destill. spicæ.* ℈j
castoreï ℈ß.

M. digerantur, & vel filtrata, vel destillata serventur ad usum.

CAPUT LXXXII.
DE
SUCCIS.

Succi sunt quasi aquæ ā natura destillatæ. Hi autem facile vel acescunt, vel putrescendo macescunt: recentes igitur semper haberi debent pro usu medico. Ad hos eliciendos ipsa vegetabilia apta sunt:

1. *Flores,*
2. *Fructus,*
3. *Arbores*, harum nempe *radices* & *ligna*; &
4. Etiam *herbæ.*

Ex mineralibus enim non possunt exprimi propter ineptitudinem eorum: sicuti succi ex animalibus propter facilem corruptionem non possunt adservari.

Nec omnia subjecta ex vegetabilibus sunt apta, ut subministrent succos; quæ enim sunt pinguia & oleosa, non dant succos, quoniam ratione olei fiunt acres, rancescunt, & vermium progeniem producunt.

Ex floribus eliciuntur succi, vel communi modo, quem habet AUTOR *num.* 1. *pag.* 284. ubi rectè monet; quod dicantur florum essentiæ, abusivè ab ANGELO SALA *in Anat. Essent. Vegetab.* ita dictæ; vel per deliquium, qui succis communi modo expressis præferendi. Isti nempe, qui fiunt per colliquefactionem calotis solis & furni pistorii ex floribus, accedente simul aliquali putrefactione; v. g. liquor florum cichorii, de quo vid. AUTOR *lib.* 4. *pag.* 46. ubi de cichorio, item HARTMANNUS *Praxi pag.* 67. liquor florum cyani pro oculorum affectibus, liquor florum verbasci, item sambuci pro doloribus, speciatim arthriticis. Quin etiam ex floribus tunicæ & aliis similes possint fieri liquores succosi, nullus dubito. Liquores tales non solum crasin totius concreti specificam seu seminalem magnam partem adhuc continent; sed & alcali volatili pollere per putrefactionem exaltato, videntur; hinc & affectibus ab acido ortis egregiam conferunt operam.

Fructuum succi sunt, qui ex concisis & contusis fructibus succulentioribus eliciuntur, ac pro usu medico ita asservantur: idque tribus imprimis modis; vel affuso oleo olivarum, mediante quo à mucilagine quidem per tempus præservantur, sed hoc nihil est; vel post aliqualem phlegmatis exhalationem & despumationem, nempe ad quartam partis consumptionem, cum spiritu vini, addendo hujus ℥ij vel iij ad ℔j succi ita præparati & depurati; vel qui modus omnium optimus, per residentiam spontaneam depurati succi, sulphuris halitu seu Gas à fermentatione aliisve alterationibus ad longum tempus sine corruptione adservantur, simili ratione œnopolæ sulphure incenso durch den Einschlag præservant vina ab alteratione. Occasionem subministrat HELMONTIUS, qui in quibusdam locis, obscure tamen, conservationem succorum cum sulphure innuit.

Modus hic est.

℞. *lagena* angusto orificio instructa:

Huic immittatur *tæda sulphurea incensa*, sic nebula alba totam lagenam implet: hoc fiat tamdiu, donec à fumo sulphuris extinguatur: hinc *filtratus* immittatur *succus*, & probe claudatur vitrum; ita per longum temporis spatium commode conservari possunt. Hoc procedit etiam in succis florum & plantarum.

Arborum pariter succi, aliàs prima entia dicti, commendantur; & sunt, qui ex arboribus denuo se ad germinationem disponentibus, verno vel declinante hyemali tempore colliguntur, & ex arboribus earumque radicibus, vel incisis vel terebratis, spontanea emanatione colliguntur, ut liquor sambuci, fraxini, coryli, &c. Sic de lachrymis vitis res nota est: de liquore betulæ vid. Acta Societ. Reg. Volum. 1. *pag.* 717. de liquore tiliæ ex trunco prope terram collecto vid. M. A. N. C. *Anno* 6. *Append. pag.* 50. vel ex ipsa radice incisa effluente ceu nobili antiepileptico: conf. Tilemann. in Append. Mater Med. *pag.* 308. item succus radicis juglandis ad cephalalgiam laudatus vid. in BARTHOLINI *Cent.* 3. *Histor.* 97. Sic liquor salicis ex tenellis surculis destuens contra nimiam salacitatem mulierum egregius est. Asservandi horum succorum ratio est vel sulphuris fumus supra laudatus, vel caryophyllatæ radix, vel levis fermentatio: conf. *Acta Societ. Reg. pag.* 772. Diu certè asservari possunt, & plane mirabiles sunt aquæ pro usu Medico.

Herba-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1110-8 DFG

Herbarum succi vel simplici expressione, vel prævia cum aqua simplici coctione, & hinc facta expressione: Sine coctione exprimuntur, ubi sunt succulentæ, cum coctione ubi necesse est, ut adjuventur quasi decoquendo, cum alias sint ineptæ, ut subministrent suos humores seu humiditates.

In officinis succi quidam inspissantur, qui Extracta alias dicuntur; ac sane haud inferiores videntur Extractis cum spiritu vini paratis: conf. ANGELUS SALA *de Essent. regetab. pag.* 8. & 9. commodè ex hujusmodi succis inspissatis cum spiritu proprio Essentia extrahi potest, ad imitationem nempe *Essentiæ absinthii*, quam habet DRAWIZIUS *Tract.* von dem Schmertz machenden Scharbock / *pag.*164. vel per spiritum proprium in essentiam extrahitur absinthium vel aliud vegetabile; cui Essentiæ extractæ postmodum addatur succi inspissati tantum, quantum potest essentia imbibere; sic enim fit potentior longe quam communis, quæ postmodum filtretur.

Succi inspissati, si sint dulces, vocantur *Mella*, uti est mel juniperinum, passularum, &c, vid. AUTOR *pag.*285. sin crassiores, vocantur *Sapæ* vel *Rob.* v. g. rob. sambuci, &c.

Usus succorum inspissatorum est partim ut ex iis certæ fiant pilulæ, quibus largiuntur corpus; partim solent usurpari, ut dissolvantur in liquoribus appropriatis, & ita fiant ex iis potiones.

In specie

SUCCUS ACACIÆ NOSTRATIS,

De quo supra dixi, convenit in dysenteria & fluxibus alvi similibus.

SUCCUS CYDONIORUM,

Valde commendatur in dysenteria, vomitu, item ructibus, nausea, & similibus affectibus.

SUCCUS ENULÆ.

Convenit in affectibus pectoris, in putificando sanguine, item in scabie.

SUCCUS MERCURIALIS.

Non solet usurpari, nisi in pessariis, fœminis præscriptis, pro scopo putificando uterum, & eliciendi sordes ac mucilagines eundem conspurcantes.

Ex

SUCCO NICOTIANÆ.

Solent fieri pilulæ contra dolorem dentium; aliàs non solet usurpari propter nimiam & generosam vim catharcticam & vomitivam.

CAPUT LXXXIII.
DE SUPPOSITORIIS, ET PESSIS.

Suppositoria quid sint? omnibus notum est. Est scilicet suppositorium medicamenti forma in acumen desinens, quæ ano intruditur. Tale suppositorium pro quantitate subjecti recipientis debet esse diversæ magnitudinis: nam pueris parva convenjunt suppositoria; in adultis verò 3. vel 4. digitorum transversorum longitudinem attingunt: crassities quoque in adultis debet esse major, quam in junioribus.

Usus horum est, ut applicentur intestino recto, quo mediante sui stimulo proritent excretionem alvi. Siquidem cum continuus intestinorum sit tractus facile per consensum recto irritato, vellicatur & colon, & ita alvi retentio solvitur: propterea non raro, quando clysteres applicantur irrito usu, v. g. in colica, in iliaca passione, &c. & fit, ut una cum fæcibus pertinaciter retineantur, lene vel fortiter stimulans post clysterem applicatur suppositorium: sic enim fit, clysma in ut superiori loco emolliat suppositorium vero in inferiore viam aperiat, & motum concitet.

Quod dixi de clysteribus retentis etiam valet de purgantibus, quæ quando operantur nimis tarde aut blandè, tunc nt anus irritetur, præter pulverem salinum stimulantem, v. g. ex tartaro, non raro inferius applicantur suppositoria pro adjuvanda medicamenti purgantis evacuatione: Item quando clysteres non possunt admitti propter copiosos flatu distendentes colon, ejusque cellulas, quod sæpius fit, tunc commode suppositoria intruduntur pro admonenda alvo sui officii. In genere est succedaneum suppositorium clysmatis, imprimis in iis, qui non libenter admittunt clysteres, ut sunt virgines nostrates & pueruli, qui subito rejiciunt clysteres, aut etiam alia subjecta, quæ clysmata non admittere volunt.

Præter has ipsas virtutes stimulandi alvum, interdum etiam in aliis conveniunt affectibus, præprimis ex irritatione alvi solent habere fructum in lethargo, catalepsi, comate &c. in quibus & similibus soporosis affectibus cum aliis medicamentis applicantur actia admodum suppositoria, ad stimulandam & excitandam ejus naturam, ut facilius se colligat quod fieri solet in catarrho sic dicto suffocativo ad derivandum ad inferiora, item quando in malignis morbis non sine suspicione applicantur clysteres, in specie in variolis & morbillis, ubi urgente necessitate unum alterumve applicatur suppositorium lenissimum tamen. Pueruliis etiam convenientissima sunt suppositoria, cum non semper commode possint purgari per inferiora.

Hi quidem sunt usus suppositoriorum. Cæterum gravidæ non sine ratione caveant sibi à suppositoriis, ne irritato ano, ipsi connexus uterus simul irritetur, & ita stimulus ad abortum injiciatur id quod caute & sedulo observandum est ab iis, qui obnoxii sunt tumori & dolori hæmorrhoidum cæcarum similibusve ut parcius utantur suppositoriis, quoniam talia valde solent irritare alvum, & provocare ista mala.

Denique ii, qui sunt obnoxii procidentiæ ani, similiter sibi caveant à suppositoriis, cum periculum sit, ne aut anus irritatus foras elabatur & procidat.

Recte dicit MORELLUS: quod *suppositoria* sint vel *simplicia*, vel *composita*.

Quoad simplicia: fiunt hæc ex variis rebus pro vario scopo, uti AUTOR insinuat. Recipitur radix vel caulis cujusdam plantæ emollientis, quæ ita intruditur ano, ut blande laxet & emolliat alvum obstructam: quod si opus sit stimulo, adspergendus caulis vel radix, v. g. betæ malvæ, althææ, &c. salis communis tantillo, quo stimuletur anus: si fortiori opus est stimulo, recipiatur sal gemmæ, quod ipsum satis stimulat. Ut autem sal melius hæreat, illiniri potest prius radix oleo emollitivo aut discussivo.

Fiunt item suppositoria ex lardo, vel ex caseo Hollandico, contra ascarides in intestino recto, quæ ipsis adhærent, & sic extracto suppositorio, simul extrahuntur. Talia suppo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1111-3 DFG

sistoria ex lardo aut caseo Hollandico illinuntur interdum cum lacte, quod valdè allicit vermes; interdum melle, quoniam omnia dulcia vermibus sunt amica, atque ita applicatis vermes adhærent, ut una foras extrahantur.

De lardo adhuc moneo: quod desumatur vel ex carne porcina salita, & fumo indurata, vel ex porco recenter mactato, & nondum sale adsperso. Si prius, cum tale lardum imbiberit copiosum sal, necessum est, ut maceretur in aqua calida, quosal sedo extrahatur; nisi enim hoc fiat, periculum est, ne fortius stimulet, & non diu possit permanere in ano: imo periculum est, ne ascarides propter acrimoniam salis non adhæreant, sed remaneant in intestino recto: posterius, si sit ex lardo nondum salito, seu sale permisto, possunt ex tali sine maceratione fieri suppositoria.

Sapo communis etiam extemporaneum dat suppositorium, quod mulieribus nostratibus fere usitatum est, imprimis pro usu infantum pro emollienda alvo eorum: quod si debeat aliquantisper esse actius tale suppositorium, potest illiniri oleum amygdalarum amararum, cui etiam pro varietate circumstantiarum potest aliquid admisceri de oleo colocynthidis Qercetani, quod per se etiam potenter stimulat.

Alias ordinario solum mel ad debitam consistentiam coctum, suppositorium simplex satis crassum & satis tenax, uti & corpus suppositoriorum compositorum, constituit in ista enim coctione, cum mel contrahat empyrevma, simul acquirit aliqualem acredinem, qua talia suppositoria vel solo ex melle parata stimulant prompte anum.

Hæc sunt suppositoria simplicia: sequuntur Composita, quæ quoniam pro varietate scoporum etiam sunt varia, usitatissime & fere semper usurpatur suppositorium stimulandi alvi gratia: deinde pro usu consolidandi aut adstringendi.

Modus parandi suppositoria composita pro varietate scoporum variat: in genere tamen observetur imprimis corpus suppositorii, & ea, quæ adduntur. *Corpus suppositoriorum* constituit mel ad debitam crassitiem coctum, cui postmodum pulveres appropriati stimulantes, plus minus acres, ex scammonio, helleboro, esula, &c. item muscerda, quæ est usitatissima, sal, &c. addi possunt; ita quidem ut ℥j mellis ut plurimum sufficiat pro uno suppositorio, cui postmodum adduntur pulveres à ℈j ad ʒj plus minus prout pulveres sunt fortiores, vel sunt debiliores, & ita prout vel fortius vel debilius agere debent: interdum mel istud miscetur cum succis appropriatis, v. g. cum succo Mercurialis, succo bryoniæ, succo althææ, &c. & invicem mista coquuntur ad spissitudinem mellis pro suppositoriis. Interdum etiam sumuntur pulveres purgantes & stimulantes, v. g. species hieræ item pulvis agarici & sennæ: interdum in specie species diacolocynth. seu hieræ cum colocynth. aut etiam pulvis ipsius colocynthidis: quæ cum sint fortiora vel sola, à ℈ß ad ℈j sufficiunt: item interdum additur pulvis hellebori albi, aut etiam pulvis ellebori nigri, aut etiam pulvis esulæ. Imo in affectibus soporosis, & ubi opus est forti stimulo, nonnulli addunt aliquot grana scammonii.

Talia suppositoria semper prostant in officinis parata, tam pro adultis, quam pro infantibus: eaque duplicia, *lenia* & *acria*.

Quando ergo præscribuntur talia officinalia præscribuntur hoc modo:

℞. *suppos. commun.* num. II.
illinantur *ol. lilior. albor.*
D. S.

Linde Stuhl-Zäpflein.

Si vero volumus præscribere suppositorium actius, præscribimus hoc modo:

℞. suppos. acre, num. j.
illinatur c. ℞ *diacolocynth. Querc.*
D. S.

Eröffnendes Stuhl-Zäpflein.

Talia suppositoria quando applicantur, necessum est, ut in parte ultima crassiore iis alligetur filum, quo filo foras propendente commodè possint extrahi; quoniam interdum ægri nimis profunde solent intrudere suppositoria, adeo ut sæpe sursum repant, ut non possint denuo eximi, imprimis si sint lenia: unde si postmodum volumus applicare clysma, hoc ipsum propter remanentiam suppositorii potius non tentandum: non enim immitti potest. Tale quidem contingit non raro in contumaciori alvi obstructione, in colica, uti etiam in malo iliaco; in quo testatur experientia, quod non raro ipsa suppositoria fuerint per os rejecta. Talia & majora mala ut præcaveantur, alligentur filo, quo ipso suppositorium, si diutius subsistat, potest extrahi.

Præscribuntur usitate suppositoria num. ij, ut scilicet, si prius nimis citò rejiciatur, & nihil operatur, alterum possit applicari: id quod usu venit in casibus, ubi opus est forti stimulo, in specie in affectibus soporosis. Alias non opus est, ut sint duo.

Quidam in cuspide suppositoriorum addunt aliquot grana croci metallorum, aut etiam Mercurii vitæ pro forti stimulo. Cæterum observatum fuit; quod non raro ex talibus antimonialibus cum suppositoriis applicatis concitatus fuerit gravis vomitus (quod etiam dicitur de elleboro albo, cujus pulvis in summitate suppositorii pro stimulo fortiori reconditus dedit vomitus) adeo ut talia etiam ano applicata, non possint oblivisci suam malignitatem vomitoriam.

Fel tauri inspissatum etiam suppositoria ingreditur, ex quo solo cum muscerda & s. q. mellis elegantia fiunt suppositoria. Nonnulli in contumacissimis alvi obstructionibus pro emolliendo & laxando faciunt linimentum ex butyro, sale & vitello ovorum, & hoc illinunt linteo in formam suppositorii complicato, & ita applicant.

Alumen item *rochæ*, rasione & incisione in debitam figuram redactum, dat suppositorium acre, pro pluribus vicibus sufficiens: post operationem foras extractum abluitur, & denuo potest in aliis subjectis usurpari: idque ad longum tempus: nam alumen tali intrusione non absumitur, de quo vid. ANGELUS SALA *in suis scriptis Chymiatr. pag.* 840.

Hæc sunt suppositoria stimulantia.

Sunt

Sunt qui etiam *suppositoria anodyna* parare volunt, in tenesmo, dysenteriis, ulceribus ani, gravi dolore hæmorrhoidum, pruritu ani à charta piperata, & aliis rebus acrioribus, cum opio scilicet permista. Nam observetur in genere: quod anus propter acutum sensum, quem habet à musculo sphinctere, irrigato quamplurimis nervis, facillime irritetur; adeo ut charta pulvere stimulante adspersa, si abstergatur anus statim sentiatur stimulus ab irritatione: unde joci gratia chartæ adspergunturpulvere piperis, ut abstergentes iis anum sentiant stimulum: quod etiam faciunt chartæ, si illinantur cum succo cucumeris asinini, & exsiccentur, hinc postmodum, quando illis detergitur anus, sentiuntur mitæ passiones. Dum ergò anus est adeo sensilis orificii, ex hoc facilè patet; quæcunque suppositoria applicata semper stimulare alvum; unde etiam ea ipsa suppositoria, quæ tanquam consolidantia, abstergentia & anodyna applicantur, semper irritabunt. Nam utut opium dolorem sistat, præsentia tamen corporis inconsueti in podice sine irritatione esse nequit: præterea metus est, ne ex stupore, per opium sphincteri inducto, oriatur paralysis ani, & ita semper habeat os patulum, & nihil retinere aut etiam nihil excernere possit; quoniam laxatio & constrictio propter stuporem omnino impediretur; sic v. g. in tenesmo aut exulceratione ani solent applicari lintea illita cum balsamo sulphuris, quæ sunt egregia; nihilominus tamen non intermittunt stimulationem. Quidam recipiunt emplastra consolidantia eademque inducunt *linteis in forma suppositorii, & applicant in talibus casibus.*

Talia suppositoria ut facilius operentur, & ut aliquantisper leniamus intensionem, illinuntur cum oleis appropriatis: ubi volumus emollire, cum oleo amygdalarum dulcium, oleo liliorum alborum, oleo chamomillæ, &c. ubi fortius agendum; cum oleo diacolocynthidis Quercetani, cum oleo amygdalarum amararum, & similibus.

PESSI.

Sequitur jam ex adversa parte in mulieribus applicandum *Pessarium*, in virginibus vero *Nascale.*

Pessarium est medicamenti forma, intrudenda vulvæ muliebri, unde fabricatur fere ad imitationem membri virilis: Est scilicet *pessus seu pessarium medicamentum longum* ad 3. vel 4. digitos transversos, crassitie pollicis, quod obducitur findone rubra, & immittitur sinui pudoris muliebris.

Pro variis uteri affectibus commendantur & destinantur.

Hujusmodi Pessaria apud nos rarioris sunt usus; applicant enim lubentius naturalia, quam artificialia Pessaria. Nihilominus cum in quibusdam casibus sit necessum, ut præscribantur, notetur eorum compositio: Imprimis usurpantur pro purgatione, pro alteratione; pro aliis usibus quibuscunque, utut pro purgatione res sit rara.

Præparantur fere ex pulveribus panno sericeo inclusis, vel excipiuntur pulveres bombace, & ita involuti applicantur vulvæ: vel etiam cum melle ad debitam consistentiam cocto, uti factum fuit in suppositoriis, rediguntur in formam pessi findone obducendi; vel pulveres succo appropriato seu inspissato excepti in formam pessarii formantur; vel planta quædam recens contusa syndone inclusa in pessum formatur; vel bombax succo appropriato cum syndone in pessi formam redigitur.

Hæc sunt in genere pessariorum formulæ in specie tamen variant.

Pulverum quantitas raro excedit ℥ß, plus tamen minus, pro quantitate in dosi; reliquum complent succi vel mel, quibus permiscentur: Interdum quando pulveres sunt mitiores, vel quando fortius agendum, tunc etiam pulveres ad ℥j possunt præscribi.

Pessus AUTORIS *pag.* 287. *pro stimulandis mensibus* est egregius: nam in tali casu usitate applicantur. Ratio, quoniam menses non exeunt per uterum, sed tantum per vaginam uteri, irritet oscula venarum, & promoveat mensium fluxum;

Vel

℞. aloes ℥ß.
myrrhæ ℥ij.
agar. albi
sem. nigellæ ana ℥ß.
troch. de myrrh. ℥ß.

c. succo Mercurialis & melle inspissando, miscendo & obducendo cum syndone rubra,

F. Pessarium cum filo,

S.

Sonderliches Zäpfflein.

Succus Mercurialis egregius est in uteri affectibus; unde ex solo hoc succo, excepto cotone, fit pessus cum syndone, qui intruditur in vulvam pro purificando: & certe valdopere commendatur in quibuscunque uteri affectibus, & à quibusdam habetur pro secreto. Interdum cum succo Mercurialis impregnatur bombax, & sic fit pessus: interdum Mercurialis viridis contunditur, & ita cum syndone in formam pessi fingitur.

Dabo alium pessum in tali casu minus acrem, non tamen minus efficacem:

℞. *herbæ puleg.*
rad gentianæ ana ℥ij.
sem. nigellæ ℥j.
pulpæ seu *carnis ficuum* q. s.
ad incorporationem,

& cum succo Mercurialis f. *Pessus*, obducendus syndone rubra cum filo & applicandus.

Sic etiam ANGELUS SALA nodulum instar pessi ex radice hellebori nigri describit *pag.* 29. item *pag.* 579. qui perquam est egregius ad stimulandos menses. Cæterum quoniam helleborus est acris non diu relinquendus est in utero, quoniam metus est, ne inducantur exulcerationes & excoriationes uteri. Fit talis Pessus ex elleboro, primo quidem in substantia, quando elleborus niger pulverisatus ad ℈j cum pauco cotone excipitur & applicatur utero; vel tantum fit nodulus ex ℈j ellebori nigri, qui nodulus cum filo munitus intruditur in vulvam, & potenter admodum ac acriter stimulat; vel fit pessus ex floribus persicorum & radice ellebori pulverisata: Hi excipiantur cum gummi tragacanthi, soluto cum succo Mercurialis, & in pessum compinguntur; syndone rubra obducendum; vel denique Extractum hellebori nigri permiscetur cum melle & succo Mercurialis, & compinguntur in pessum elegantem in uterum. His pessis stimulantibus uterum convenienter additur

crocus,

crocus, qui singulariter in stimulando utero convenit unde post Balneum emollitivum aut aperitivum valdopere commendat HELIDÆUS PADUANUS Pessum ex ℥ß croci paratum pro mensibus ciendis hoc modo:

℞. *fell. tauri insp.* ℥j.
croci ʒv.

Misceantur & subigantur cum succo Mercurialis, in quo cocta fuit colocynthis, f. *Pessus*, obducendus sindone rubra c. filo, & applicandus.

Loco fellis bovini etiam usitate admodum potest sumi *fel hircinum vel vaccinum*, & fit talis Pessus:

℞. *fell. hircini* ʒiij vel ℥ß.
rad. asari
agar.
cinnam. ana ℥j
succi Mercurial. ℥j.
M. & inspiss. cum *mellis* s. q. & f.
Pessus.

De *Instrumento Glauberiano*, sicuti Pessus formato, superius dixi; quod sit ex ligno confectum, & quod in superiori parte habeat aliquot foramina, ut possint exhalare salia volatilia in uterum: inditur enim sal fixum & sal volatile, v. g. sal tartari cum sale ammoniaco; ex quorum mutua actione exhalant salia volatilia ex parte, quæ intrant uterum. Adiberi potest pro ciendis mensibus, purgando uterum, & pro fœcundandis mulieribus.

Ex *solo cotone cum pulveribus* fit Pessus: sit v. g. supprimendus sanguis nimium fluens in nimio mensium fluxu, vel ante partum, vel post partum: tunc

℞. *sterc. asinini*
suill. ana ℥iij vel q. s.
pulv. sperniola Croll. ℈j.
laud. opiati gr. ij.
M. f. *pulvis*

qui excipiatur *cotone*, & obducatur *sindone rubra* pro *Pesso*, & applicetur.

Adhuc unum sit exemplum pessi in nimia uteri hæmorhagia:

℞. *sterc. asinini* ℥vj.
succi acaciæ ℥iß.

c. s. q. *mellis* f. *Pessus adstringens*, *syndone obducendus* & applicandus utero.

AUTOR habet *Pessum ex bursa pastoris* contusa, qui est elegantissimus in nimia hæmorrhagia uteri. In inflammatione uteri aut colli uteri post partum, aut etiam alia ex causa, applicantur Pessi ex succo semper vivi, ex succo beccabungæ, &c, qui excipiuntur cotone, & ita applicantur: possunt etiam addi flores chamomillæ, vel succus ex floribus sambuci pro discussione. In *prolapsu uteri*, qui nihil aliud est, nisi nimia laxitas vaginæ uteri: in tali laxitate etiam convenienter applicatur pessus ex fortiter adstringentibus paratus, ex quibus vagina denuo adstricta non potest prolabi in sinum, ex hypocistide, vel ex acacia ex succo acaciæ nostratis immaturæ, ex radice bistortæ quæ irrigantur, modicè tamen, aceto forti, & ita cum cotone excipiuntur, & fit Pessus.

In suffocatione uterina fiunt nude tales pessi ex zibetho, vel Moscho, aut aliis suaveolentibus, exceptis nude cotone & bombace: item potest coton imbui oleo suaveolenti destillato, v. g. oleo caryophyllorum, oleo ligni Rhodii, aut oleo macis, & unum alterumve granum zibethi addi, & excipi cotone, & applicari in forma pessi.

Hæc pessaria usurpantur tantum in mulieribus, in quibus via est aperta; in virginibus autem, quibus adhuc res est angusta domi, applicantur Nascalia. Sicuti enim pessus factus fuit in forma oblonga, ita Nascalia fiunt in rotunda, instar parvorum nodulorum, ut applicentur orificio vulvæ: & ad eosdem usus possunt præscribi Nascalia in virginibus, ad quos pessi in mulieribus. Fiunt ergo nascalia instar nodulorum hoc modo:

℞. *rad. elleb. nigri pulveris.* ℈j.

Excipiatur *cotone*, irroretur *spiritu urinæ*, & cum sindone rubra f. *Nascale* s. *nodulus parvus*, applicandus ubi fores sint patulæ.

Ulterius in nimio fluxu mensium etiam fieri possunt nascalia ex adstringentibus; item in nimia laxitate vulvæ, ex succo symphiti majoris expresso cum cotone vel bombace in linteo rotundo & conglobato & ita applicatur externè, uti nascale in forma noduli.

Virginibus uterinæ suffocationi obnoxiis, præscribantur suaveolentia hoc modo:

℞. *balsami apoplect.* q. s.

Excipiatur *cotone*, & f. cum *sindone rubra nascale seu nodulus parvus*, applicandus vulvæ, sive extremitati uteri: vel aliquot granis zibethi aut Moschi impregnatus talis coton, & cum syndone obductus applicatur externè utero.

Cæterum, uti dixi, rarius applicare permittunt, pessaria & nascalia nihilominus, ut pateat præscribendi modus, dicta observentur.

CAPUT LXXXIV.
DE
SYRUPIS, MELLIBUS, & ROBIS SYRUPISATIS.

QUod salia sunt in culinis, hoc saccharum est in officinis: Nempe quæ veteres conservare apte sine fermentatione & corruptione non poterant, saccharo addito condiebant in liquidiori consistentia, & serapium appellabant: quod vero in solidiore paulo aut minus fluida consistentia miscere vel asservare studebant, cum melle miscebant, & ab opio ordinario ingrediente opiatum, moderni Electuarium vocant: Arabum hæc sunt inventa, qui magis quam Græci rem pharmaceuticam, tam quoad simplicia quam composita, augere sategerunt, cum Græci vix ultra mel indeque mulsum & hydromel pervenerint: adeoque cum iis ignotæ fuerint elegantiores & efficaciores spagyricorum operationes, essentiarum, Tincturarum, &c. & nihilominus tamen plantas non semper habuerint virides, & similiter in exsiccatis magnam jacturam virium deprehenderint, & ipsas exsiccatas etiam non commode diu ad potiones adhibuerint, succos, decocta & Infusa, quæ asservare non poterant, saccharo ceu sale impregnabant, hinc humiditatis sufficienti evaporatione seu abstractione ad consistentiam non fermentescibilem, adeoque melius asservabilem, redigebant, & syrupum concinnabant.

Syrupi

Syrupi sunt vel *simplices*, vel *compositi*: *simplices* sunt, qui constant ex uno vel duobus ingredientibus: *Compositi* qui ex pluribus ingredientibus fiunt. *Hi* sunt vel *alterantes* vel *purgantes*; uterque officinalis, qui semper in officinis prostat vel, *Magistralis* qui extempore à Medico præscribitur: de quo in *Colleg. Formular.*

In omni autem syrupo duo sunt consideranda: *Liquor* in syrupi formam redigendus, & additum *saccharum*, quod coquendo dat consistentiam.

Liquor est vel decoctum, vel Infusum, vel aliquis succus, interdum horum unum solum, interdum hæc invicem mista; quando scilicet confusa cum aliis decoquuntur, antequam in succum redigantur, qui ex additione sacchari fit syrupus.

Præscriptio syrupi ingredientium est eadem, quæ in decoctis & Infusis solet usu venire: utut, quoniam syrupi pro longiore tempore præscribi solent, etiam major copia & liquoris & addendorum præscribenda sit. Differentiam magnam non habent: Sive recipiatur succus depuratus, sive Infusum, sive decoctum, semper postmodum additur saccharum usque ad consistentiam syrupi: & quidem prout volunt vel crassiorem, vel fluidiorem syrupum eò plus vel minus addimus sacchari: ordinario proportio solet esse, ut dimidium sacchari recipiatur ad liquorem: v. g. si liquoris sint ℔ iij, additur ℔ ij, quæ invicem coquuntur ad spissitudinem Sacchari. Aliàs parandi sunt secundum *correctionem Zwelferianam*. Sacchari loco aut mel, aut rob quoddam, aliudque simile, substitui commode potest. Signum sufficientis decoctionis habet Autor: si nempe guttula in tabulam frigidam effundatur, & habeat consistentiam debitam, ita ut non diffluat.

Quoad vires syruporum, imitantur hi suorum simplicium dotes: sed in usu eorum observandum:

1. Suspectam esse facilem eorum in primis viis fermentescibilitatem, tam ex parte sacchari, quam ex parte succi, aut Decocti adhuc crudi.
2. Hinc suspectum esse eorum usum in morbis acutis, ne fermentationem & agitationem contentorum liquidorum plus minus intendant; adeoque in febribus meritò rejiciuntur à PANAROLO & HEINRICO *ab* HEER.
3. In morbis chronicis, ex stomachi & hypochondriorum vitio natis, etiam minus conveniunt; cum dulcia talia & acidum intendant, & viscidum tenacius reddant, & bilem vitiose alterent: hinc est quod ne millesimus nostrum in nostro climate & sub nostra diæta ferre queat saccharata, &c. citra vel tormina vel borborygmos abdominis, vel hypochondriacas suffocationes, vel ructus vel appetitus prostrationes vel intumescentias, & infarctus viscerum abdominis, &c.

Ob id

4. Meliores ac tutiores sunt syrupi, si non nimium sacchari additur:

Et

5. Hi ipsi syrupi propter saccharum copiosum non sint adeo magnarum virium, & si velimus, ut aliquid operentur, necessum sit, ut præscribantur ad ℥iv, v vel vj pro una dosi; unde vix alius apud nos syruporum usus, quam ad gratiam aliqualem potionibus aut misturis variis conciliandam; adeoque non in tanto usu solent apud nos usurpari, atque veteribus fuerunt; utut ab Italis adhuc interdum soleant nimis excessivè præscribi, quibus tamen morem suum relinquimus.

Syrupos alterantes officinales simplices & compositos fuse enumerat Autor, è quibus.

SYRUPUS DE ABSINTHIO.

Usitatus est in affectibus ventriculi & intestinorum. Descriptionem videbis in *Pharm. Augustana.*

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI,

Ex succo citri cum saccharo paratus, frequenter adhibetur in Julepis, ad febres ardentes & malignas destinatis; sitim enim & ebullitiones humorum compescit, suavem habet acorem cum succus citri una resistet malignitati. In potionibus interdum vel decoctis solet admisceri pro gratia saporis.

SYRUPUS DE SUCCO ACETOSÆ ET ACETOSELLÆ.

In febribus ardentibus benignis conveniunt. Præparationem videbitis in *Pharmac. Augustana.*

SYRUPUS ADIANTINUS

Fernelii.

Convenit in affectibus artheticis, pectoris & stomachi, ubi tam partes in pectore quam ipse stomachi sunt infarctæ & refertæ copiosa mucilagine crassa & viscida: hanc enim incidit & attenuat, & incisam expectorare vel expurgare facit. Sed possumus syrupo hoc tuto carere.

SYRUPUS DE ALTHÆA

Fernelii.

Paratur ex radice Althææ, & convenit valde, ubi lenienda est acrimonia humorum, & temperanda eorum salsedo: unde hic syrupus de Althæa in affectibus urinariis est usitatissimus, v. g. in dysuria, in stranguria, in exulceratione aut etiam corrosione renum & vesicæ, item in mictu cruento, & similibus dolorificis partium urinariarum affectibus; potenter enim confert ad emendandam acrimoniam humorum, & pro tali usu convenienter miscetur cum oleo amygdalarum dulcium recenter expresso, item cum lapillis cancrorum præparatis; quoniam hi nimium acidum absorbent & præcipitant: Optime hic potest propinari in decocto cicerum rubrorum, qui & diuretici sunt. Formula sit hæc:

℞. *decocti cicer. rubri in* ▽ *petrosel.* ℥iv.
ol. amygd. dulc. rec. expressi ℥ß.
lapill. 69. præpar. ʒj.
laud. optati gr. ij.
syr. de althæa Fernel. ℥iß. vel ij.
M. f. *Potio.*

quæ & leniter abstergit vias urinarias, & temperat acrimoniam urinæ & humorum.

Convenienter Syrupus hic potest misceri cum emulsione ex terebinthina, & vitello ovi, de qua in *Colleg. Formularum*, ubi de Emulsionibus; corrigitur enim sic sapor terebinthinæ nauseabundus, & intenduntur vires;

SYRUPUS ANISI cum VINO *Quercetani.*

Syrupus hic est gratus, & in affectibus pectoris in specie conveniens.

SYRUPUS ANTIEPILEPTICUS *Quercetani* *num.2. pag.291.*

Examinanti ingredientia facile patet, quod syrupus hic non sit inelegans in affectibus epilepticis; & quidem præparatio ejusdem singularis. Paratur beneficio spiritus vini vel baccarum juniperi prius ex ingredientibus tinctura, quæ saccharo pulverisato affusa & accensa deflagrando redigitur in consistentiam syrupi. Hic modus parandi syrupos singularis, uti dixi, & convenientior est reliquis syruporum præparationibus, & fit *oleum saccbari compositum*, ad eundem modum, de quo *superius, ubi de saccharo* habui.

SYRUPUS E SUCCO AURANTIORUM.

Syrupus hic non ubivis prostat: conveniens est in affectibus intestinorum colicis.

SYRVPVS AURANTIORVM E CORTICIBUS.

Convenit pro usu carminativo in colica flatulenta, aliisque intestinorum torminibus.

SYRVPVS DE ARTEMISIA FERNELII. *nro. 3.*

Valde commendatur in affectibus uteri, tam veris mensium vitiis, quam putatitiis, & suffocatione uterina utut inconcinna ejus sit præparatio, demonstrante ZWELFERO: nihilominus, si ex his ingredientibus fiat decoctum sine saccharo, non erit inconveniens.

SYRVPVS E SUCCO BETONICÆ.

Convenit in contusionibus, aliisque affectibus capitis, dissolutus in potionibus vulnerariis.

SYRVPVS DE SVCCO BERBERVM.

Est subacidus, & ingredi solet Julepos & potiones in febribus continuis & intermittentibus, etiam malignis, propter gratam aciditatem, quam obtinet.

SYRVPVS CAPILLORUM VENERIS.

Solet usitatè præscribi in affectibus pectoris & renum, ubi scilicet hæ partes sunt infarctæ mucilagine, & pituita crassa & viscida; hanc enim extergit & mollefacit, ut possit facilius expurgari: permiscetur commode Potionibus & decoctis pectoralibus atque nephriticis.

SYRVPVS DE CARDUO BENEDICTO.

In pleuritide obtinet suum usum; uti etiam in febribus ardentibus.

SYRVPVS CORALIORUM.

Syrupus coralliorum, tam *modo communi* præparatus, quam *modo Zvvelferiano* ex sale coralliorum, convenit ubi opus est adstrictione, & imprimis ubi adest hæmorrhagia cujusdam partis; v.g. in dysenteria, in fluxu, hepatico & uterino; non sine usu solet præscribi, imprimis si origo mali sit ex acido corrodente oscula vasorum absorbendo acidum, & oscula adstringendo & claudendo: in dysenteria, diarrhœa, & aliis affectibus scorbuticis, valde convenit.

SYRUPUS CYDONIORUM.

Est stomachicus, convenit in roborando stomachi tono, quoniam valdè adstringit, & tonum naturalem ventriculo restituit.

SYRVPVS DE ERYSIMO *Lobelii* *nro. 5. pag. 292.*

Aliàs κατ' ἐξοχὴν *contra raucedinem* dictus, ad affectus pectoris, in specie ad raucedinem, à materia viscidiore, fauces & arteriam asperam obtinente, in usu est & valdè convenit, imprimis si hauriatur cum decocto passularum & radicis glycyrrhizæ, cum & hoc valdopere conveniat in raucedine: LOBELIVS dicit: se curasse puellam, quæ decem annos laboraverat raucedine, hoc ipso syrupo: convenit in asthmate & affectibus respirationis item in tussi, & similibus pulmonum affectibus ex infarctu bronchiorum asperæ arteriæ, facto à materia viscida ac tenaci; hanc enim attenuat, resolvit & incidit ratione erysimi quod abundat sale volatili acri, incidente, attenuante & resolvente ista mucilaginosa excrementa; quod ipsum etiam præstant reliqua ingredientia, capillus veneris, & stæchas Arabica. *Potest meliorari* hic syrupus, si scilicet decocto adhuc infundatur recens herba erysimi, & imprimis ejus semen contusum, & huic infuso colato addatur succus erysimi saccharatus, & in cucurbita, suo alembico munita, decoquantur ad consistentiam syrupi; qui syrupus potest convenienter in vehiculo istius aquæ, quæ in coctione per alembicum descendit, hauriri; quoniam erit impregnata succi & seminis erysimi sale volatili. Ubi opus est expectoratione, tam in tussi & asthmate, quam in pleuritide exulcerata & empyemate, permiscetur cum *syrupo de nicotiana*, qui est expertus in tali casu, uti postmodum audietis.

SYRVPVS DE FARFARA seu TVSSILAGINE.

Similiter solet adhiberi in pectoris affectibus.

SYRVPVS GRANATORUM, tam dulcium quam in specie acidorum.

Usurpantur hi, ut diluantur in Julepis & potionibus ad gratiam saporis in febribus, & ubi stomachus est affectus; item in potionibus dictis cordialibus; impedit enim sanguinis effervescentiam, roborat stomachum, & nimiam illius dissolutionem corrigit.

SYRVPVS ANTIHECTICVS RIVERII. *num. 6.*

Syrupus hic ex *testudinibus*, *cancris*, & similibus non est inelegans in defectu meliorum remediorum; quoniam subministrant succum sale alcali occulto impregnatum, cujus ratione absorbet subtile acidum, in hecticis prædominans.

SYRU-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1116-2 DFG

SYRUPUS DE SUCCO HEDERÆ TERRESTRIS.

Est vulnerarius, valde conveniens in potionibus traumaticis: in specie in affectibus pectoris & sputo sanguinis, in phthisi & ruptione vasculorum pulmonum à nimio clamore, in casu ab alto, in pleuritide suppurata, & similibus convenit non minus quam in exulceratione renum & mictu cruento, in quibus affectibus hedera terrestris plantula nunquam satis laudanda.

SYRUPUS DE SUMMITATIBUS HYPERICI.

Est similiter vulnerarius & antinephriticus: propterea optimè possumus hos invicem permiscere in talibus casibus.

SYRUPUS DE HYSSOPO.

Convenit in incidenda crassa & viscida materia, qualis non raro in stomacho & pectore stabulatur, imprimis cum hyssopus sit planta pectoralis.

SYRUPUS DE JUJUBIS.

Solet dissolvi in liquoribus & potionibus, ubi opus est temperare urinæ & humorum salsedinem, interdum etiam aciditatem: in catarrhis salsis ad fauces & pectus ex glandulis decidentibus: ad excoriationem faucium, & aphthas, & affectus urinarios ex urinæ acrimonia ortos, & ad similes, ubi opus est temperare acrimoniam humorum.

SYRUPUS MYRTINUS.

Est adstrictivus, & solet præscribi, ubi opus est adstrictione, in vomitu, diarrhæa, dysenteria, cholera; item in hæmorrhagiis dissolvitur in potionibus contra hæmorrhagias partium.

SYRUPUS DE NICOTIANA SIMPLEX.

num. 7. pag. 293.

Syrupus hic excellentissimus est in affectibus respirationem lædentibus, quoniam sal volatile nicotiana mira facit in asthmate, & similibus affectibus. Cæterum quoniam notum est, quod nicotiana soleat inducere vomitum, & non levem diarrhæam, propterea vis ejus emetica per exquisitam digestionem corrigatur, ut ad fundum secedant partes vomitoriæ, uti rectè dicit AUTOR *in Nota*: & ubi syrupus hic legitima digestione est præparatus, in asthmate certe, tussi, & similibus affectibus difficilis respirationis, plane singularis est. In empyemate, in specie post pleuritidem suppuratam, vomica item pulmonum, vix satis potest commendari ab EPIPHANIO FERDINANDO *in Consiliis*, qui in expurgando pure empyematicorum & quocunque alio, mira præstitit hoc ipso. Recte igitur oxymel additur, quo vis ejus maligna corrigitur eo citius: si vero sal tartari adjiciatur, vis emetica remittit. In empyemate, præter hoc quod expurgat, etiam consolidat virtute vulneraria ulcus & abscessum pulmonum. Convenienter dissolvitur cum syrupo appropriato, vel solus in decocto hederæ terrestris, scabiosæ & similibus; & tale decoctum in expurgando pure empyematicorum & plevriticorum est egregium. Præterea in morbis infantum est egregius, in dispnœa & asthmate infantum, imprimis ubi metus est suffocationis in tenellis infantibus, item quando auditur sonitus in bronchiis pulmonum: in tali casu legitime præparatus est omnibus reliquis præferendus.

SYRUPUS DE NICOTIANA COMPOSITUS.

num. 8.

Quod jam dixi de syrupo simplici, etiam intelligendum est de composito. Feliciter infantibus propinatur in difficili respiratione: vix melius compositum officinale datur pro infantibus hoc in casu, quia interdum vomitus causatur, si non sufficienter resolvit mucum viscidum.

SYRUPUS DE PAPAVERE SIMPLEX.

Virtutem habet somniferam anodynam & dolorum sedativam: unde loco laudani opiati ab ℥ß. ad ℥j. commode potest dissolvi, tam in potionibus, quam in Julepis in febribus, ubi adest agrypnia, vel in specie in cephalalgia. Nam in talibus casibus, quoniam disponit ad somnum, est egregius, & in febrium principio humorum ebullitionem compescit, & simul materiæ morbificæ coctionem adjuvat; & ubi præscribitur hic syrupus, non opus est, ut præscribatur laudanum opiatum, & contra.

SYRUPUS DE PAPAVERE ERRATICO EX INFUSIONE FLORUM.

Notum est, quod conveniat in pleuritide, sanguine congrumato, & similibus partium internarum & externarum affectibus, cum inflammationibus erisypelaceis conjunctis.

SYRUPUS DE SUCCO PLANTAGINIS.

Est adstrictivus & vulnerarius.

SYRUPUS DE V. RADICIBUS APERIENTIBUS.

Convenit in affectibus chronicis, cachecticis & hypochondriacis. Cum autem *præparatio* communis sit ridicula, vid. *correctior in* ZWELFERI *Animadvers.* In digestivis medicamentis febrium intermittentium conducit, in cachexiis, scorbuto, & similibus morbis.

SYRUPUS DE ROSIS SICCIS.

Est adstrictivus, & convenit in sputo cruento, mictu cruento, dysenteria, & similibus.

SYRUPUS DE RUBO IDÆO.

Præscribitur usitate in julepis contra febres malignas; in his enim præfertur gemmis & perlis omnibus à GESNERO in resistendo malignitati.

SYRUPUS DE SCABIOSA.

Syrupus hic traumaticus est, & in specie convenit in abscessibus & ulceribus partium internarum pulmonum & renum: solet interdum adhiberi in inflammatione suppurata stomachi, prorumpenda, abstergenda & consolidanda eadem. Convenit in variolis & morbillis, dum præservat, ne ex variolis in partibus internis oriatur abscessus & ulcus, in quibus etiam jam factis decoctum scabiosæ adhibetur; vel exinde paratus syrupus dissolvitur in eodem, vel usitate dissolvitur in decocto ficuum vel milii.

SYRUPUS DE SUCCO SCORDII.

Resistit malignitati, venenis, & imprimis vermibus & lumbricis intestinorum.

SYRUPUS DE SUCCO SEMPERVIVI.

Convenit valde in ardore faucium, in in-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1117-8 DFG

flammatione faucium & linguæ, uti etiam in prunella, & principio anginæ: diſſolvitur in aqua prunellæ; & additur aliquid nitri depurati; eſtque egregius in affectibus faucium.

SYRVPVS DE SYMPHYTO *Fernelii.*

De ſyrupo hoc notum eſt, quod ſit vulnerarius, & conveniat egregiè in potionibus vulnerariis.

SYRVPVS FLORUM TVNICÆ.

Convenit in affectibus capitis; unde & permiſcetur potionibus & Electuariis analepticis.

SYRVPVS DE SVCCO VERONICÆ.

Eſt vulnerarius.

Sequuntur *Syrupi* vel *ſucci melliti.* Hæc ipſa mella raro uſurpantur, niſi quod interdum loco ſyruporum in decoctis pectoralibus ſoleant diſſolvi.

MEL MERCURIALE, RVTACEVM, & VIOLACEVM.

Solent diſſolvi in clyſteribus pro abſtergendis inteſtinis: reliqua non item.

Oxymel eſt, ſi melli acetum addatur; quod non fit, niſi validius incidendum & attenuandum ſit. Oxymelita hæc omnia, in ſpecie ſcilliticum, conveniunt, ubi mucilago eſt craſſa, ut in inteſtinis & ventriculo, unde ſolent permiſceri cum potionibus vomitoriis ad incidendam pituitam, item in affectibus pectus infarcientibus, in quibus oxymel ſcilliticum eſt egregium.

Poſt ſyrupos alterantes ſequuntur purgantes, è quibus eſt.

SYRVPVS FLORVM ACACIÆ.

Syrupus hic egregius eſt in expurganda colluvie ſeroſa, tam in morbis catarrhalibus quam hydrope, in depuranda M. S. ab excrementis hinc inde collectis; unde in potionibus Majalibus ſeu præſervativis non raro ſolet præſcribi.

SYRVPVS DE CARTHAMO.

Convenit in expurgando pectore à mucilagine craſſa in eodem collecta & congeſta, cum carthamum ſit pectorale.

SYRVPVS DE CICHORIO CUM RHABARBARO.

Eſt blandum & lene purgans; unde in infantibus recens natis pro purgando meconio, ut præſerventur ab epilepſia, præprimis convenit; in quo uſu à quibusdam pro ſecreto habetur.

SYRVPVS DE FVMARIA, COMPOSITVS ſeu MAJOR.

Patiter infantibus eſt dicatus, quando tinea & achoribus laborant; valdè etiam convenit in morbis melancholicis.

SYRVPVS HELLEBORATVS MINOR.

Valde convenit pro expurgandis melancholia afflictis.

SYRVPVS FLOR. PERSIC.

Convenit pro expurgando ſero abundante; item in lumbricis abigendis.

SYRVPVS VOMITIVUS.

Huc & *ſyrupi emetici* pertinent, qui optimi ſunt: ſed doſis eorum incerta eſt ex duplici cauſa, prout nempe vel cum aceto vel cum vino extrahuntur; cum hoc enim fortiores, cum illo debiliores ſunt, quia acetum antimonii virtutem obtundit. Ut ergo ritè parentur, fiant modo ſequenti.

℞. *croci metallor.* ℈x.
Infunde in:
✠ *vini* ℔iß.
Poſt digeſtionem filtretur, & addatur
ſacchari ℔iß.

Sic blando calore ſacch. diſſolutum dat conſiſtentiam ſyrupi.

Doſis ʒiij. ad ℥ß. imo ad ʒvj. in infantibus autem gt. v. ℈ß. ad ʒß. pro ætatis ratione: Diſſolvitur in conveniente aqua ſimplici, v. g. hyſſopi, centaurii minoris, &c.

Hic ſyrupus vomitivus, & Tartarus emeticus MYNSICHTI inſtar catholici vomitivi poſſunt inſervire: nam uti notum eſt ex ſuperioribus, vomitoria antimonialia omnibus reliquis ſunt præferenda.

Tandem his *Oxymel Pectorale cum agarico Altenburgenſium* annumero, in incidenda, attenuanda, & expurganda mucilagine craſſa pituitoſa egregium; cum notum ſit, quod agaricus præ cæteris ſit dicatus pectori.

Compoſitio eſt talis:

℞. *herbæ hyſſopi,*
praſii,
origani,
card. bened.
puleg.
veron.
ſcabioſæ ana Mj.
rad. Ireos Florent. ℥j.
agar. albi ʒx.
zingib. ʒij.
Infund. in aceti ℔iß.
♈ *veron.*
card. bened. ana ℔ß.

Digerantur per tres dies, tunc coquantur & exprimantur:

Colat.
℞. ℔iß. add. mell. deſpumat. ℔j.
mell. deſpum. ℔j.
M. f. oxymel. cui injiciatur *Nodulus continens*
pulv. cinam.
caryoph.
calami arom. vel cubeb.
ana ℈j.

CAPUT LXXXV. DE TINCTURIS.

Tinctura nomen ab antiquitate ſpeciatim arcano transmutationis metallicæ tributum fuit: hodie vero nihil aliud ſunt, quam eſſentiæ cum proprio rei colore extractæ: adeoque cognatæ ſunt eſſentiis & elixyriis, & vix realiter inter ſe differunt, cum in genere quæcunque eſſentiæ vel quæcunque extractiones, ſi in operatione ſuavem & jucundum acquirunt colorem, imprimis rubeum, poſſunt vocari tincturæ. Hinc in mineralibus ac metallicis res manifeſta eſt, quorum tincturæ genuinæ merito hoc nominis obtinent; ſunt enim tales tincturæ metallicæ *ſulphura glorioſa* HELMONTIO dicta, & BASILIO VALENTINO notantec

guldia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1118-4 DFG

güldische tincturen appellantur, quas vitriolo, metallisque aliis æque ac soli inesse asserit; vegetabilium v. tincturæ sunt corporum coloratæ particulæ, à subtiliore sulphure seu oleo simul dependentes. Sed hæ raro sine vel alteratione sub præparatione, vel crasios immutatione, obtineri possunt. Ex animalibus, eorumque partibus, paucæ vel nullæ eliciuntur.

Tincturæ mineralium sunt vel siccæ vel humidæ: utrobique est substantia corporis metallici soluta: sic è croco Martis est tinctura Martis seu tinctura sulphuris vitrioli. Non raro enim magna est sophisticatio in tincturis metallicis, dum scilicet colores non tam sunt ex re extracta, quam potius ex menstruo, quod digestione longa super subjectum, non raro solet mutare colorem, aliumque induere, cum imprimis omnia ferè menstrua, imprimis salina, diuturna coctione & digestione soleant fieri rubra.

Ex *fructibus & baccis*, v.g. ex baccis sambuci, granis coccionellæ, fragis, fructibus alkekengi, &c. vel exsiccatis, vel ex earum Rob, *Tinctura* extrahi solent cum aqua appropriata, aut spiritu vini, parum tamen acidulatis: sic e. g. ex rob sambuci secundum AUTOREM cum *spiritu vini* fit *Tinctura*, quæ potius est *Essentia*; quod si loco spiritus vini accipiatur *spiritus flor: sambuci per fermentationem*, & beneficio hujus spiritus ex *rob sambuci* fiat *Essentia*, erit expertissimum remedium in erysipelate pro expulsione. Nobilius erit, si spiritus per fermentationem baccarum sambuci affundatur floribus sambuci, & cohobetur, qui spiritus postmodum rob affundatur, & ita fiat extractio *Essentiæ*.

Ex floribus vegetabilium aliàs frequenter eliciuntur *Tincturæ*. Menstrua sunt varia: vel aqua communis, vel appropriata destillata, cum spiritu vel vitrioli, vel salis, vel quocunque acido acidulato: eligatur tamen loco aquosi liquoris phlegma vitrioli acidulum, quod ipsum non est medicina contemnenda, quo v. g. flores rosarum, violarum, tunicæ, &c. infunduntur, leni calore per aliquot horas digeruntur, donec menstruum tingatur, postea exprimitur & filtratur.

Sunt autem tincturæ tales in usu, ut misceantur cum potionibus & Julepis pro colore & grato sapore: item præscribuntur instillandæ cerevisiæ ad aliquot guttas pro potu communi. Quod autem multum de crasi & vi vegetabilium participent, non est: certè flores tales parum habent in recessu; quicquid operantur, fit saltim beneficio menstrui. Ergo perinde est, sive tincturam florum bellidis, sive betonicæ, sive tunicæ, præscribam. Pro variis tamen affectibus variè specificari possunt, tam ratione florum, quam menstruorum appropriatorum: sic v. g. pro expulsione in variolis commodè instillatur *Tinctura expulsiva* in mens. ß. cerevisiæ ad 50. guttulas, parata ex *floribus aquilegiæ, fumariæ & scabiosæ* cum *spiritu vitrioli regenerato*: in nimio æstu M. S. tempore æstivo commodè instillatur potui *Tinctura epatica*, uti vocant, parata ex *floribus bellidis, cichorii, papaveris rhoados, & epatica nobilis* cum *spiritu vitrioli Martis*. Hæ tincturæ commodè etiam possunt usurpari post nimium potum liquorum spirituosorum aut generosorum, ubi opus est provocatione urinæ; potest instillari potui vel Julepis *Tinctura nephritica*, parata ex *floribus calcatrippæ, cyani, & restæ bovis* beneficio *spiritus salis*.

Observetur etiam: quod colores tincturarum vegetabilium, præprimis menstruis acidis elicitarum non semper sint genuini, sed ab his diversimodè immutentur: si enim floribus etiam cœruleis, e. g. borraginis, violarum, &c. affundatur spiritus acidus vel phlegma acidulum, tunc intensissimum colorem rubrum acquirunt: imo hoc fit, si aceto tantum irrorentur destillato, ut cœruleus color ab acidis mutetur in rubicundum, adeo ut tinctura florum cyani non minus sit rubra, quam tincturæ florum bellidis & pæoniæ. De hinc rubedo hæc ab alcali calcis vivæ, vel tartari, vel aliorum salium alcalium fixorum solutorum in aqua, attacta mutatur in viriditatem; sin vero his tincturis rubris cum acido paratis affundatur sal volatile, aut spiritus urinosus volatilis, v. g. spiritus salis ammoniaci, tum egregium cœruleum & purpureum colorem acquirunt: de quo videri potest BOYLE in elegantissimo *Tractatu de coloribus*.

Aliàs notissima est *Tinctura aperitiva* D. MOEBII secretissima, & nemini adhuc satis nota; suspicor tamen sequenti modo parari:

℞. ♈ ♁ is:

Qui quater rectificetur super caput mortuum proprium, & sic fit spiritus salis quodammodo volatilis: Hic spiritus bis vel ter cohobetur ab aphronitro; & post tingatur cum *torna solis*.

Spiritus hic ita tinctus vocatur *Tinctura aperitiva*, quæ est egregiè diuretica & stomachica in morbis chronicis, appetitu dejecto, suppressione urinæ, &c.

Aphronitrum sunt flores nitri, qui reperiuntur *fenæ* in montibus, efflorescunt è lapidibus instar lanuginis.

Ex Saturno & Marte fit elegans *Tinctura antiphthisica*, antidysenterica, & in genere ubicunque opus est valida adstrictione & consolidatione. Modus est, ut solutio saturni in aceto (de qua *supra de saturno*) affundatur vitriolo Martis leniter calcinato; sic enim mox emergit Tinctura ruberrima, quæ vel simpliciter usurpanda, vel cum spiritu vini exaltanda, in quam plurimis affectibus cum sanguinis excretione, exulceratione, &c. multum proficua, etiam à multis in secretis habita.

Tinctura Paracelsi diaphoretica correcta à S. CLOSSÆO, est nihil aliud, quam *Elixyr aromaticum compositum*.

Tinctura catharctica S. Clossæi, Archiatri Mediomatricum, nihil aliud est, quam *Essentia catholica purgans*. Nempe beneficio spiritus vini ex purgantibus resinosis elicitur essentia rubra. Observetur autem, ut pro tali essentia recipiatur spiritus vini tartarisatus, eum in finem, ut corrigatur purgantium virulentia. Sic ex omnibus resinosis purgantibus cum spiritu vini extrahi potest tinctura.

Dosis ʒj. ad ℥j. in syrupi rosarum solutivi ℥ij. vel ℥iij. AUTOR cum spiritu vitrioli propinat, sed male; quia omnis vis purgandi per acidum destruitur.

CAPUT LXXXVI.
DE
TROCHISCIS.

Trochisci rarioris hodie sunt usus, qui apud Veteres frequentius usurpabantur. Conficiebantur ex pulveribus variis, mucilagine tragacanthi aliave simili, exceptis, & ita in pastillos siccos sive Trochiscos formatis. Sic etiam pulveres dentifricii excipiuntur non raro mucilagine tragacanthi, exinde fiunt Trochisci oblongi: quibus exsiccatis postmodum fricentur dentes & gingivæ; quæ formula tamen est rarior.

Inter compositiones, quæ in Dispensatoriis prostant, & ab AUTORE *pag.* 298. recensentur, usitatiores sunt.

TROCHISCI DE ALKEKENGI,
cum & sine opio

In affectibus urinariis, ardore & excoriatione & exulceratione partium urinariarum.

TROCHISCI DE CARABE
seu
SUCCINO.

Egregii sunt in temperando acri sero seu lympha, exulcerationibus & excoriationibus partium, item in hæmorrhagiis nimiis uteri, vomitu cruento, præsertim sputo cruento.

TROCHISCI PRO FUMO.

Fiunt ex simplicibus facile combustibilibus, quæ dum comburuntur, exspirant suum odorem. Componuntur usitatissimè ex benzoe, styrace, succino, gummi juniperino, thure, mastiche, &c. quorum pulveres si excipiantur mucilagine tragacanthi, exinde formantur Trochisci, irrorandi oleis appropriatis. Horum unus injicitur in prunas, & ita excitatur suffitus. Loco tragacanthi etiam possunt fieri commode cum tacamahaca dissoluta cum balsamo Peruviano in mortario calido.

TROCHISCI DE MYRRHA.

Prosunt in affectibus mulierum pro stimulandis mensibus, fœtu, secundinis & lochiis. Dos. ʒß. ad ʒj.

TROCHISCI DE VIPERA.

Nil valent: sufficienter à ZWELFERO examinati sunt in *Animadv. pag.* 209. loco quorum potius pulveres viperini usurpantur.

TROCHISCI OPHTHALMICI.

Trochisci ophthalmici sunt pulveres pro oculorum morbis destinati, qui pulveres minutissimi appellantur *Collyria sicca*, ab Arabibus *Sief*, & tali nomine prostant etiam in officinis pro oculorum usibus. Hi ipsi pulveres sæpius ex tutia ceu basi constant, quibus imprimis modo saccharum Saturni, modo tantillum camphoræ, modo aliquid vitrioli, &c. additur. Applicantur duplici ratione: vel enim sufflantur per calamum in oculum; vel tales pulveres permiscentur cum aqua appropriata, mutuo agitantur, & ita in oculos instillantur. Hi pulveres quocunque modo applicati necesse est, ut minutissimè sint triti, ne dolorem aut pruritum inducant oculis.

Ad hos pulveres etiam paratus pulvis ex lapillis cancrorum & exuviis serpentum pertinet, qui pulvis fuit *secretum* CNOEFELII *in oculorum vulneribus*: inflatur oculis, & postmodum cum linteis duplicatis; vel succus vesicularum ulmi, vel aqua MYNSICTHI ophthalmica ex cancris destillata, aut cum aqua ovorum destillata cum succino, quam describit KESLERUS in sectione 500. Processen, quæ aqua similiter egregia est.

Hi pulveres in officinis prostantes solent formari in Trochiscos: excipiuntur nimirum mucilagine Tragacanthi, & ita formantur Trochisci, qui usus tempore dissolvuntur in aquis appropriatis, & applicantur.

CANDELÆ PRO FUMO.

Si pulveres pro Trochiscis pro fumo excipiuntur à carbonibus salicis, ladano, &c. & misceantur cum mucilagine tragacanthi formantur exinde *candelæ pro fumo*.

Inter *Trochiscos purgantes* in usu sunt.

TROCHISCI ALHANDAL,
seu
DE COLOCYNTHIDE.

Hi, horumque extractum, subinde tanquam stimulus purgantibus additur. Alias rari sunt usus.

CAPUT LXXXVII.
DE
BALSAMIS INUNCTORIIS, LINIMENTIS, UNGUENTIS.

Balsami tandem *inunctorii*, seu linimenta & unguenta quod attinet: *Linimenta* dicuntur *ab illinendo*, quoniam illinuntur parti, atque dum ita illinuntur, suo fotu aut illitu confortant aut alterant partem: hinc facile patet, in quanam consistentia sint præscribenda. Ab his non admodum distincta sunt emplastra & cerota.

In his consideretur primo *corpus* seu *basis*, quod in unguento quidem formam unguinosam dat; estque non durum & spissum, sed fluidum & molle, nempe vel oleum, vel butyrum, vel pinguedo quædam, vel medulla animalium, vel mucilago, vel mel, &c. & si etiam ex *succis* fiant vel decoctis inspissatis; non tamen absque olei vel pinguedinis cujusdam additione fieri possunt. Plurimis in casibus butyrum majale non salitum præfertur ad linimenta & unguenta oleo aliisve similibus: tale enim butyrum concretum magis alcalinum est, subtilius itidem & penetrantius, atque pluribus affectibus externis, ex acido vitioso originem habentibus, conducibilius existit. Nihilominus ex oleis si parare linimenta animus, solet ipsis addi aliquid, quod det aliqualem consistentiam, atque ita in crassiorem aliquo modo linimenti consistentiam abeant. Id quod additur, sæpius solet esse parum ceræ, ita quidem, ut ad ℥j. oleorum addatur ʒj. ceræ, & hæc subacta dant medicamento consistentiam debitam, non nimis fluidam; sicut oleum non nimis crassam, ut emplastrorum; usitate enim ita præscribuntur:

c. f. q.

c. f. q. ceræ f. Linimentum.

Hæc duo ingrediuntur linimenta: nam quando *solæ olea præscribuntur*, tunc *vocantur olea* & signantur:

Eüsserlich Oel.

Pro varietate autem oleorum nomina eorum rursus variant: Si enim olea sunt destillata, mutato nomine vocantur Balsama; sin decocta vel infusa & expressa, vel oleis conformia, vocantur Linimenta.

Balsama hæc inunctoria rursus sunt duplicia: vel simplicia, vel composita; sive per mixtionem extemporaneam, sive destillationem invicem combinentur.

Quod si vero inunctionum consistentia media quasi sit inter ceram & oleum, vocantur *Unguenta*.

Cæterum in compositione Linimentorum pro majori efficacia nonnunquam etiam aliquid pulverum, vel pulverisandorum solet admisceri: modo observetur, quod talia addenda in linimentis sint penetrantia & subtilia, quoniam linimenta debent penetrare, & propterea subtilia & penetrantia eorum debent esse ingredientia, ne infarciantur pori, atque sic impetus olei & ejus penetratio impediatur: in tali enim casu ad ℥j oleorum vix ʒß pulverum potest admisceri.

Porro cum corpus Linimentorum sit oleum, uti dixi; oleorum vero non levis sit differentia, cum *triplicia* aliàs reperiantur olea:

1. *Olea decocta & infusa*, quæ maximè imbecillia.
2. *Olea expressa*, quæ mediæ quasi naturæ;

&

3. *Olea destillata*, quæ sunt efficacissima;

Adeoque horum oleorum in operando diversa admodum sit efficacia & ἐνεργεια, propterea etiam præscribendi modus quoad dosin in his oleis variat: hic tamen utplurimum habetur respectus, ut e. g. ʒj. olei per decoctionem, vel infusionem parati respondeat ʒß. vel ℈ij. olei expressi; horum verò proportio *tripla* vel quadrupla respondeat oleis destillatis.

Hoc autem observetur: quod interdum specialis olei alicujus dosis hanc proportionem observare prohibeat: sic v. g. in oleo hyoscyami expresso specialis omnium pensitanda est dosis, & sic in aliis.

In Emplastris verò corpus est cera, utplurimum cum resinoso quodam concreto, v. g. terebinthina plus minus commista, & cum oleo plus minus subacta, donec consistentia & textura talis spissior ac tenacior inde fiat; unde pro ceræ varia proportione nunc ad unguenta, nunc ad emplastra, nunc ad cerota, magis pertinent composita.

Corporibus his adduntur varia gummata, mineralia, vegetabilium pulveres pro intentione & scopo. Totum artificium componendi unguenta & emplastra consistit in effato HELMONTII *Tr. Dispens. Modern.* §. 57. *Nihil oleis, unguentis, vel emplastris miscendum esse, quod in iis nequeat per totum homogenealiter resolvi*, i. e. quæ non commode tanquam solvens & solutum se mutuo ingredi, & ita novam quandam undiquè homogeneam texturam ac miscelam efficere queunt: unde in genere, quæ vel misceri nequeunt, ut aquosa & oleosa, vel quæ mista se invicem obtundunt, ut pulveres vegetabilium & mineralium, cera ac oleis vulgari modo subacti & inviscati, frustra compinguntur, cum ingredientia vires debitas exerere nequeant. Hinc sane vulgaria unguenta & emplastra magna indigent correctione, ut non omnis efficacia iis deneganda sit: saltim non tantum præstant, quantum de iis putatur ex ingredientium ratione, vel quantum per se sola præstare valent ingredientia; unde etiam quædam simplicia minusvè composita præstant subindè in praxi maximè compositis, v. g. Balsamus Peruvianus, Balsamus sulphuris, emplastrum diasulphuris Rulandi, &c.

Corpus unguentorum, ceratorum, & Emplastrorum, tria primario constituunt, oleum, mel, & cera.

Oleo respondet ceu congener, & miscibile est butyrum, pinguedines, medullæ, *terebinthina*; quæ usitatum est ingrediens emplastrorum vulnerariorum & ulceratiorum quoniam est *balsamum* quasi *nostràs*, quæ valdopere consolidat, & quamcunque corruptionem & alterationem arcet: post hanc oleo miscibiles sunt resinæ propriè dictæ, in specie molliores, item sapones. Olea destillata optime sui generis oleis miscentur & subiguntur; interea reliquis substantiis jam liquefactis nonnihil, melius permiscentur, quin in his compositis primatum obtineant destillata olea ob penetrantiam suam volatilem.

Ceræ respondent omnia ea, quæ sunt ejusdem consistentiæ: uti sunt omnia gummata, galbanum, ammoniacum, bdellium, & resinæ spissiores, colophonia, pix, myrrha, mastix, benzoe, similia, &c. in quibus ipsis tamen non levis differentia, in specie in ferulaceis simul gummosis ac resinosis unde hæc male in aceto vel vino soluta permiscentur oleo; cum terebinthina vero subacta *methodo Zwelferiana* commodius cum oleo misceri queunt. Quanto plus accipitur ceræ, tanto crassiorem habet consistentiam, & erit emplastrum vel cerotum; ubi vero minus accipitur ceræ, mistura erit mollior, instar unguenti.

Mel quasi corpus est medium, aquosum tamen, & ob id vegetabilium succis, eorumque productis, optime miscibile; hinc ex vegetabilium succis, aut decoctis inspissatis, aut Extractis succosis, cum melle optima parantur balsama; minus cum oleo vel cera. Hinc HELMONT citato loco in melle balsamos florum cogit. Ipsi tamen etiam cum terebinthina & gummatibus coeunt, quia vegetabilium vis in simili succo gummoso fere fundatur.

Ex dictis patet quod olea per infusionem vel decoctionem vegetabilium, tam recentium quam aridorum, parata minus valeant, cum oleum de aquosa substantia nihil, de aromatica parum capiat, adeoque mel potius cum eorum succo subigatur. Nam quæ destillando nil suggerunt oleosi, vix in oleum commune quicquam fundunt: v. g. cydonia infunduntur in oleum commune pro scopo adstrictorio, ridiculo conatu: Nam de cydoniorum substantia nihil ingreditur olei,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1121-9 DFG

olei, & olea ſemper laxant & emolliunt, unde impoſſibile eſt, eorum beneficio adſtringentem virtutem applicare corpori. Chamomilla, aromaticum ſimplex, tantillum de ſuo odore particuliſque reſinoſis fundit, de cætero nihil. Potius ergo præferenda olea deſtillata compoſita ſeu balſama, tam deſtillata quam aſſata, vel miſta compoſita olea cum corpore pro balſamo: hinc balſamum ſulphuris eſt egregium, cum ſulphur ſolubile ſit in oleis: hinc oleum roſatum & aqua calcis vivæ miſta dant *unguentum butyraceum* egregium *ad ambuſta* alcali calcis vivæ & acido olei invicem coeuntibus naturali miſtura in concretum homogeneum, quaſi ſaponiforme.

Ex dictis etiam patet: quod ex pulveribus mineralium ac vegetabilium vulgari modo parata emplaſtra & unguenta parum valeant, cum oleo, cera ac pinguedinibus inviſcata & quaſi mutuo conglutinata, parum vel nihil virtutis exerere valeant. Hinc v. g. farinæ in cataplaſmatum forma ſuo ſatisfaciunt ſcopo; quæ melle vel oleo alterata, aut cum cera inviſcata, parum vel nihil in unguentis, minus in emplaſtris præſtant: confer. MAJOR *Diſſert. de laſte luna cap.* 12. §. 12. *ſeqq.* hinc tutia, lapis calaminaris, ceruſſa, vel lythargyrium, ac ſimilia frequentiſſima emplaſtrorum ingredientia obruta, minus activa exiſtunt; quia difficulter & non bene invicem uniuntur, ſed unum impedit alterum, pulveres impediunt oleoſa, & oleoſa impediunt efficaciam pulverum.

Obſervandum tamen. 1. quod in unguentis & emplaſtris quæ ingreditur Saturnus, non ſine conſilio jubeatur, ut prius in oleo ebulliat Saturnus, & ita ab olei acido, quantum poſſibile, diſſolvatur atque ſic cum oleo ex parte diſſolutus coeat, ac ipſum ſimul oleum in texturam ſuam ita alteratum, correcto acido, alcalinum magis factum, melius caſibus chirurgicis conveniant. Reliqua ſubſtantia inviſcata nimis ſub tegmine viſcido ac glutinoſo parum vel nihil operantur, & leviter ſaltem, quantum in extima ſuperficie emplaſtri hærent, acidum vitioſum exacte odoretenus ſorbere & imbibere valent.

Obſervandum 2. quod acetum addatur ſubinde in unguentis & emplaſtris Saturninis, Martialibus, item Venereis, ut unguento Ægyptiaco, Apoſtolorum, &c. propterea, ut hæc nonnihil rodendo illa ſubjecta facilius hujus medio reliquis ſuccis, decoctis, aut melli uniantur; quin & ut iſta roſione dulcorem aluminoſum acquirant, porro ab acido ulcerum ſaturandum. Confer. *Animadverſ.* ZWELFERI. Superius enim dixi, quod *Saturnus* ſit quaſi *columna chirurgiæ*, ex eo, quod ulcera & vulnera, quæque ſubſunt manui chirurgi, peccent utplurimum ſubtili acido, quod ſubtile acidum abſorbetur prompte à pulvere ex Saturno, aut ex Venere, cum notum ſit, quod eadem prompte ad ſe alliciant acidum. Inter Saturnina hæc ſunt Saturnus uſtus, ceruſſa, minium, lithargyrium, &c. Ex venere ſunt imprimis ærugo, æs uſtum, crocus veneris, tutia, pompholyx, &c. unde unguentum Ægyptiacum, cujus baſis eſt ærugo, commune eſt refugium chirurgorum in ulceribus cacoethicis, & imminente jam gangræna: quo pertinet etiam lapis calaminaris, qui lapis, & ex eo rite paratum emplaſtrum, egregium eſt in conſolidandis & incarnandis ulceribus, & vulneribus.

Emplaſtra ergò, quæ propter laudabilem ſui compoſitionem merentur ut admittantur, ſunt v. g. Emplaſtrum diaſulphuris Rulandi, carminans Sylvii, diaphoreticum MYNSICHTI, unguentum Iſchiaticum Poterii, unguentum aureum ZWELFERI: In ſpecie unguenta ad hæmorrhoid. *Zvvelferi in Animadverſ. & Pharm. Reg.* Linimentum Arcæi ad vulnera capitis, Balſamus vulnerarius Crollii, *Autoris num. 6. pag.* 304. Unguentum Ægyptiacum, Emplaſtrum Norimbergenſe, &c.

Quoad ingredientium proportionem: in unguentis olei ℥j adduntur ceræ ʒij & pulveris ʒj, quæ coeunt in conſiſtentiam unguenti. In Emplaſtris vel ceratis recipitur olei ℥j pulv. ℥ß ad ʒvj & ceræ ℥iß ad ℥ij.

Non raro etiam permiſcent ſuccos vegetabilium, ſive expreſſione ſive decoctione paratos; & hos miſcent cum vino & terebinthina, lente coquendo, donec exhalent humiditates ſuperfluæ, & ita mutuo ſe jungunt partes ſucculentæ cum pinguibus, & fiunt emplaſtra & unguenta valde efficacia & penetrantia. Imo non pauci ſunt, qui deſtillant res deſtillandas in oleum, & his oleis deſtillatis poſtmodum infundunt vegetabilia ſicciora, digerunt, & tandem filtrant, poſt cum terebinthina redigunt in emplaſtra & unguenta, valde convenientia in uſu chirurgico in morbis externis; & tales miſturæ poſteriores vocantur *Balſama unguentaria & vulneraria.* Nam quo magis & melius ſeſe uniunt ingredientia emplaſtrorum & unguentorum eò meliorem & efficaciorem habebunt uſum,

Dabo exemplum unum alterumve emplaſtri præparati cum ſuccis: ſit v. g. *Emplaſtrum* vel *unguentum ſpleneticum D. Niemanni:*

℞. *ſol. nicot. veræ* ℔iß.
cicutæ M. ij.
hyoſcyami albi M. iß.

Infund. in l. q. *vini*, in quo *radix filicis & cortices frangulæ ferbuerint*, ſtent in infuſo per 24. horas, coqv. ad conſumptionem ▽æ vel vini: contuſis & cribratis:

adde
ol. de capparib. ℥viij.
amygdal. amar. ℥ij.
irini, in quo rad. ari bullivit. ℥iiß.
pingv. anſerinæ
gallin. ana ℥iß.
ſucci depurati nicot. ℥iij.
bryon.
cyclamin.
polypod.
verbenæ ana ℥j.
coqv. iterum lento igne, add.
gumm. ✱*ci* ℥iij.
galbani ℥ij.
bdellii
opopanac. ana ℥j.
pulv. rad. aſari ℥ß.
ſem. geniſtæ ʒij.
urticæ ʒiß.
cumini ʒj.
rutæ
ceterach.
tamariſci ana ʒij.

c. ſ. q.

c. f. q. *cerae* aut *terebinth.* f. *Emplastrum.*

In hoc Emplastro adsumitur pauca cera, quoniam adsunt gummata; & parum olei, quoniam adsunt succi: quando ex his volo ungventum, augeo dosin oleorum & succorum, & minuo dosin gummatum & ceræ.

Emplastrum de Cicuta Sennerti ad scirrhos & tumores lienis est hoc:

℞. *Herbæ acutæ* M. ij.
flor. genistæ M. i.
gummi ✱ci ℔iß.

subigantur in f. q. *aceti* tamdiu, donec *g.* ✱ dissolutum sit: postmod. coletur: adde

succi nicot. veræ ℥vj.
ebuli ℥iv.

iterum bulliant: tandem adde

resina pini
terebinth. à ℥iij.
styrac. calam. ℥vj.
myrrhæ ℥iß.
℥o *de cappar.*
ceræ à q. s.

Hoc Emplastrum Sennerti longe elegantius est priori. Artificium consistit in hoc, quod ingredientia optimè sese uniant: Nam acetum, uti solvit g. ✱, ita extrahit cicutam & genistam, &c. his solutis facilè sese jungunt succi aquosi, & propter istam conjunctionem melius se apprehendunt, & ita melius in se invicem agunt.

Quoad operandi modum Unguentorum & Emplastrorum: operantur hæc vel mediatè, vel immediatè: *Ibi* per effluvia subtiliter penetrantia, seu, ut loquitur *HELMONTIUS* per sui odores: *Hic* per sui contactum materialem. Ibi in affectibus internis, ubi volatilia, v. g. olea destillata, primatum ferunt; hic in externis, ubi reliqua fixiora concreta non minus conducunt. Hinc prioribus in casibus jubet *BURRHUS*, quod Emplastra constare debeant ex materia volatili, quæ nempe tota intra cutis poros se insinuet: vid. *BARTHOLINUS Cent.* 3 *Epistolar. pag.* 387. Specimen talis volatilis unguenti videtur exhibere *DECKERS in Praxi Barbette pag.* 59. Sicuti etiam aliàs insinuavi, quod ex spiritu salis ammoniaci & terebinthina invicem mistis *Ungventum* quasi *emplasticum, volatile* tamen, fieri queat. Hinc observanda simul *encheirisis Helmontii* pro actuandis ungventis & Emplastris, quam insinuat *c. l. §.* 58. *cum delectu* scilicet *applicanda esse Unguenta & Emplastra* (nam horum eadem est ratio) *& distinguendum*, si fiat medicatio seu sanatio à centro foràs, ubi est in vulneribus, puncturis, contusionibus, fracturis & similibus, ut in talibus casibus tepide applicetur Linimentum, Ungventum, emplastrum, & similia. Cœterùm affectus internus externum petit subsidium: v. g. dysenteria, Colica, Cardialgia, spasmi nephritici & similes tunc unguenta, &c. applicare, & foras lapide calefacto, vel sacculo, arena calida pleno, fovere jubet; quoniam tali potenti lapidis vel arenæ calore super unguento posito symptomata eadem minuantur, uti dicit; & ita malum foras eliminatur, impulsionesque symptomaticæ sistuntur: Dicit enim later pellit; ut vires emplastri intrent, attrahitque foras, quæ aliàs pigriora hærent &c. vid. *citato loco.* Et hoc ipsum observetur in Praxi; & sæpiùs felix succedet successus, idque, si facienda medicatio foras, uti dixi cum latere: sin verò à centro foras in vulneribus, fracturis, &c. tunc linimenta, ungventa & emplastra sola sunt applicanda calida.

Necesse jam est ut considerentur *Unguenta officinalia*, quæ ab *AUTORE* ordine alphabetico recensentur. His Ungventis affinia superius dixi *Balsama Ungventaria*, seu *Balsama inunctoria*, Die Wundbalsam; Unde etiam de iis tractat *AUTOR* in hoc capite, & aliquot egregias subministrat formulas.

Fiunt hæc Balsama vulneraria duplici modo: vel ex destillato vel infuso. Uterque convenit in hoc, quod sint sub forma liquida vel fluida instar oleorum; ita ut possint applicari vulneribus, iisque instillari. Quæcunque vulnera sanant, & uniunt promptè citra suppurationem, citra dolorem & alia symptomata; idque brevi tempore & tutò: id quod vocat *HELMONTIUS* sanare vulnera per primam intentionem.

Communis aliàs chirurgorum lucrosa, quia diuturna, methodus est talis: ut

1. Applicent digestiva, quæ pus promovent.
2. Applicant abstergentia, quæ pus factum abstergunt & ulcus purificant.
3. Applicant incarnativa, quæ carnem generare faciunt.
4. Applicant cicatrisantia & fortiter consolidantia, quæ partem ad cicatricem perducunt.

Cæterùm qui habet Balsamum inunctorium, is mox in principio, post sedatam hæmorrhagiam, illud calide applicat aut instillat, quod aliquoties repetit, & ita vulnera citò, tutò & jucundè curat: interdum sine vestigio cicatricis, cùm labia prompte & subtiliter coëant.

Fiunt talia *balsama*, uti dixi, vel *destillando*, vel *per infusionem*: *Destillando*, quando recipiuntur gummata aut resinæ, eaque mista per destillationem dant oleum; huic oleo adduntur postmodum convenientes pulveres ex aloë, myrrha, mastiche, tutia, saccharo Saturni, & similibus, ac cum tantillo terebinthinæ vel olei terebinthinæ miscentur in formam liquidam balsami: Vel fiunt *per infusionem*, quando scilicet Vulneraria vegetabilia, in specie hypericum, ejusq; summitates, infunduntur in oleum, post infusionem exprimantur, & novorum florum infusio denuo repetitur, idque aliquoties, donec oleum benè sit impregnatum: huic oleo postmodum adduntur pulveres appropriati, & post digestionem & lenem ebullitionem cum therebinthina conjunguntur in consistentiam balsami cujusdam liquidi pro vulneribus curandis ex optatissimi.

Talium balsamorum aliquot habet Descriptiones *AUTOR*, quas inter primo loco est.

BALSAMUS BALSAMINA *num. 1. pag.* 302.

Paratur hic *Balsamus* ex *balsamina seu momordica*: est arcanum contra vulnera & ambusta, in specie, quod benè observetur, contra ulcera mammarum, quæ sunt corrosiva, & in cancrum abeunt: Anodynum est præterea Momordica; & propterea etiam balsamicam vim habet sistendi dolorem: sicut & sola poma momordicæ seu balsaminæ oleo lini infusa, dant *oleum vulnerarium.* Balsamum hoc ingreditur simul viscus ulmi: Ulmus nempe fert folliculos seu vesiculas, in quarum cavitatibus tempore æstivo inest liquor limpidus, leviter glutinosus, qui singularissimum est in omnibus recentibus vulneribus, ac præprimis mirabile est in oculorum vulneribus conf. Observat. *HEINRICI ab HEER*, ubi prostat exemplum cujusdam cui ex læsione oculi totus humor aqueus effluxit; qui postmodum fuit restitutus applicatione hujus liquoris in vesiculis ulmi reperti.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1123-1 DFG

BALSAMUS HYPERICI MAGISTRALIS, seu OLEUM HYPERICI MAGISTRALE. *Num. 3. pag. 303.*

Succinctius præparatur tale balsamum ex oleo seminis hyperici expresso, propriis floribus infuso: confer. *PARACELSI Herbar, ubi de hyperico*; ibi enim aliquot balsamorum & oleorum descriptiones prostant.

BALSAMUS UTERINUS *num. 5. pag. 304.*

Compositio est egregia, subministrat emplastrum efficax in affectibus abdominis, hystericis, colicis, &c. convulsivis:

ejus loco

℞. *Galbanum*:

Malaxetur cum dictis *oleis*, vel *oleo succini* & *spica*, & abdomini imponatur.

Balsama vulneraria externa varia prostant; eorum tamen loco simplicia quædam sufficiunt v. g. Balsamus Peruvianus, oleum hyperici expressum, &c. In specie oleum hyperici ex semine expressum si affundatur comis florentibus hyperici, fit oleum rubicundum, optimè curans recentia vulnera: quin & cerumen aurium nobilissimum est vulnerarium pro partibus nerveis æquè ac sanguineis: hinc

℞. *cerum. aur.* ℥ß.

misc. cum *oleo avell. expresso*, adde tantillum *sacchari Saturni*, & habebitur optimum vulnerarium; vel cerumen aurium misceatur cum *Balsamo Peruviano* & *oleo sem. hyperici Agricolæ.*

BALSAMUM VULNERARIUM *Crollii Num. 6. pag. 304.*

Compositio hæc *Crolliana* & præparatio est laude digna propter artificium compositionis; dum resinas vegetabilium cum terebinthina incorporare, & ita per homogeneorum unionem egregium balsamum parare docet.

BALSAMUS VULNERARIUS. *Num. 7.*

Benè quidem succedit in principio: quia tamen balsamum hoc paulò acrius est, hinc non ubique convenit. Melius est, si gummata in aceto maceranda cum terebinthina malaxentur; melius sic unientur invicem ingredientia, & efficacior balsamus ac emplastrum exinde fieri poterit.

BALSAMUS VULNERARIUS SAMARITANUS

ita vocatur, quia ex oleo & vino est paratus.

Pertinet huc *Balsamum Vulnerarium Heinrici ab Heer in observ. 10.* quod miré commendat tam ad ulcera, quàm ad vulnera; & habet observationem hæmorrhoidum ulceratarum hoc ipso curatarum. Fit ex *flor. verbasci*,

Hyperici,

folior. prunellæ ana part. æqual.

Incoquuntur in oleo seminis hyperici expresso, & vini veter. ana part. æqualibus ad vini omnimodam exhalationem: quod si sæpius infundantur & coquantur novi flores, erit eò efficacius. His additur lapis calaminaris septies in vino, & demum in hoc oleo post ignitionem extinctus, & ita in balsamum vulnerarium miscetur.

Cæterùm perfici potest ulteriùs hoc balsamum, si scilicet cum vino & oleo simul coquatur succus nicotianæ millefolii & bistortæ, & post talem decoctionem loco lapidis calaminaris potius terra vitrioli dulcis accipiatur; & etiam simul addatur pulvis aloës, myrrha, & cancri fluviatiles cum gummi elemi & terebinthina: quibus si simul addantur Balsamus Peruvianus & mucus aurium, erit *Balsamus Vulnerarius* magis efficax.

Quod attinet Linimenta, offert se

LINIMENTUM DE SATURNO. *Num. 11. pag. 305.*

Extemperaneum hoc *Linimentum de Saturno* præstat tantum, quantum omnes veterum compositiones, quas Saturnus ingreditur. Apud nos non est in usu, cum illi substitui possit Ungventum de cerussa, & quidem camphoratum. Convenit hoc valdè invulneribus, & ulceribus cum inflammatione conjunctis, & cum dolore. Ratio est, quoniam omnia ulcera inflammata & valdè dolorifica oriuntur ex fermento subtili acido, quo fit, ut alimentum ulceris proprium degeneret in succum acidum & acrem, qui reddit ulcera dolorifica; deinde dum coagulat sangvinem parti læsæ vicinum, inducit inflammationem erysipelaceam. In tali casu optimum est hoc linimentum; quoniam Saturnina absorbent subtile acidum, & imbibunt, ut sic remoto fermento acido citò & jucundè subsequatur curatio. Speciatim axaltari potest, si in fine mistionis addatur camphora in oleo illô rosato soluta: quin etiam pulvis oculorum spermatis ranarum proprio spermate in saccatorum addi, & ita simul Emplastrum de spermate ranarum fieri potest, ad imitationem nempe elegantis Emplastri spermatis ranarum, quod habet *CNOEFFELIUS in Append. ad M. A. N. C. Anno 6. pag. 186.*

LINIMENTUM SATURNI COMPOSITUM, SEU LINIMENTUM DE AMIANTHO.

Primus, qui Linimentum hoc descripsit, fuit *BOOTIUS in Tr. de Gemm. & lapidibus*, & post hanc *WORMIUS in Musæo*, ubi *de Amiantho.* Est egregium in tinea capitis puerorum, si misceatur cum oleo tartari per deliquium, & subigatur cum oleo nicotianæ. Nam oleum tartari per deliquium valdè conveniens est in ulceribus & morbis externis ex acido oriundis; quoniam est sal alcali tartari dissolutum. Expertum quoque est in ulceribus tibiarum idque propter tutiam & Saturnum. De Amiantho autem nihil participat.

LINIMENTUM DENTIFRICEUM

in scorbuto oris egregium est. Pro gratia autem odoris impregnetur aliquot guttis olei destillati caryophyllorum, & facit ita, ut gratum halitum spirent ægri.

LINIMENTUM ERRHINUM *Num. 14. pag. 306.*

in quibusdam officinis est in Usu. Usus tempore potest misceri cum oleo iridis, & addi aliquot guttæ olei majoranæ destillati; Sic enim valdè convenit in affectibus narium.

Quod Ungventa officinalia at *AVTORE* pariter recensita attinet, illa paucis adhuc considerabo.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM

describitur *in Pharm. Augustana*, de quo supra dixi, quod sit commune refugium chirurgorum in ulceribus & vulneribus malignis, putridis & sordidis, gangræna, sphacelo, &c: pro carne corrupta separanda; putredinem enim corrigit, & postmodum ulteriorem corruptionem inhibet.

UNGUENTUM ALABASTRINUM.

Unguentum hoc videbitis *in Pharm. Augustana.* Commendatur in affectibus capitis, speciatim ejus doloribus nimiis, in morbo Hungarico, qui ipse propter exquisitissimum dolorem vocatur der Hitz-Wurm / aliisque morbis acutis: in quo puncto frequentissimo est in usu temporibus illitum. Malaxark

xari potest pro varietate circumstantiarum cum oleo liliorum alborum, oleo papaveris expresso, oleo chamomillæ, oleo anethi anisi, &c. partim discutientibus, partim anodynis ac dolorem sistentibus, seu sopientibus. Admodum laudatur à *FORESTO* singulariter in dolore dentium extrinsecus applicatum: ad quoscunque dolores in specie ex contusione, compressione vel casu abortos, usurpat; *vid. lib. 9. Obs. 33. & 61.*

UNGVENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

Paratur ex cerussa cum camphora, & prodest in inflammationibus: Nam Cerussa, & omnia ex Saturno parata remedia, dicuntur refrigerare. Rationem subministrat *TACCHENIVS*, quoniam scilicet omnia ex plumbo absorbent acidum, omnium inflammationum *AVTOREM.* Camphora potenter penetrat, coagulata dissolvit & discutit. Post coctionem ungventi camphora additur, vel tempore usus aliquot grana adduntur; quia est substantia volatissima, adeoque sub præparatione multum deperditur; Cum camphora enim auctum est egregium in rubore, calore & ardore quocunque. Plura aliàs prostant Ungventa ex Saturno in officinis, ut de Cerussa, lithargyrio, minio, &c. Omnia autem hæc essentiâ conveniunt, & basi Saturni superstructa sunt; Unde unicum selectius plurium loco sufficiat. *Ungventum album camphoratum* optime sequenti modo parari posset.

℞. *Saturni calcin.* qv. v.
Coqv. in *aceto*: mistura subigatur cum *oleo amygd. dulcium*, terendo immortario plumbeo ad consistentiam debitam, in fine addendo *camph.* q. s. & hoc omnibus reliquis præferendum.

Conferunt dicta Ungventa in pruritu, scabie, rubore, ardore, excoriatione &c. partium externarum, it. contra ambustiones & pustulas: Saturnus nempe absorbet acidum in talibus casibus, in partium solidarum superficie peccans, e. g.

℞. *Ungv. albi camphor.* ℥vj.
flor. Lilii ℥ij.
Ol. Lil. p. d. ℥j.
nicot. q. l.
M. pro *ungto.*
D. S.

Sälblein wieder die Krätze.

Hoc obiter, quoad ungventa contra scabiem, noto: quod nempe oleum tartari per deliquium sit egregium in scabie, & aliis affectibus cutis, in serpiginibus, gutta rosacea, & omnibus affectibus cutaneis. Deinde etiam Mercurius dulcis est egregius in scabie, contagiosa imprimis, & aliquo modo maligna, aut etiam si sapiat quodammodo naturam luis Venereæ.

Observetur autem, quod oleum tartari per deliquium & Mercurius dulcis non possint simul in uno eodemque ungvento præscribi: ratio, quoniam se invicem præcipitant; nam cum Mercurius dulcis, vel etiam Mercurius sublimatus sit coagulatus à salibus acidis, fit, ut ex adjectione olei tartari per deliquium ista salia acida imbibant sal alcali lixiviale ex sale tartari, & ita dimittant Mercurium vivum. Hoc ne fiat, unum tantum sine altero est præscribendum.

UNGVENTUM ALTHEÆ SIMPLEX & COMPOSITUM.

An frequenti est usu leniendi, temperandi, emittendi, dolorem sistendi; hinc usitatissimum est in affectibus Renum & vesicæ, dolore scilicet nephritico, suppressione urinæ, &c. Subigatur autem cum oleo scorpionum, & regioni renum vel pubis, & in perinæo applicetur. Ad dolorem pleuriticum in specie quoque fiat euporiston Rulandi: hujus enim part. ij cum oleo amygd. dulc. parte miscet, & crebrius lateri dolenti illinit: quin & exaltari potest, si addatur oleum destillatum cumini cum Camphora.

UNGUENTUM ANODYNUM.

Ungventum anodynum, in *Dispens. Cordi* obvium, prodest in doloribus podagricis. Varii modi sunt: Cæterùm meliùs substituitur huic *ungventum anodynum Mynsichthii* cujus compositio est elegantior; vel potest ex tempore fieri *ungventum anodynum* ex oleo verbasci, oleo hyoscyami & opio; vel sufficit solus liquor verbasci, vel liquor florum sambuci: cum quibus subactum sit opium, vel semen papaveris. Loco plurium talium sufficiat *Emplastr. & ungventum* polychrestum *ex hyoscyamo LVDOVICI in Pharm. pag. 628. & 671.*

UNGVENDUM APOSTOLICUM AVICENNÆ.

Ungventum Apostolorum convenit ad vulnera & ulcera sordida, etiam in casibus desperatis: Corrodit enim potenter, uti facit *ungventum Ægyptiacum* ex ⊕ine, in partibus sordidis & putridis.

UNGVENTUM ARTHANITÆ. MAJUS & MINUS.

In usu est externo ad solutionem alvi, abdomini vel regioni umbilici illitum. In contumaciori ergo alvi obstructionibus toti abdomini illinatur: item hydropicorum ventri tumenti subinde applicatur ad movendam alvum, & evacuandum serum ex alvo, imprimis, si malaxetur cum oleo sambuci & ebuli.

Talia *Ungventa* purgantia vocantur etiam *Opomphalica*, cujus non inelegans descriptio alias est hæc:

℞. *aloës* ℥ij.
fell. tauri ℥j.
scamm. ℈j.
butyri q. s. M.

umbilico imponitur ad laxandum alvum, imprimis quidem infantum.

Aliud *Ungventum purgans* fortius sit hoc:

℞. *rad. helleb. albi,*
nigri,
aloës hepat.
sem. cataput. min.
colocynth. à q. s.

Pulverisetur subtilissimè, & adde

Axung. porcinæ q. s.
M. f. *Ungventum.*

Si hoc inungantur manus, purgare dicunt per vomitum; si verò plantæ pedum, per secessum. Sit fides penes experientiam.

UNGVENTUM AUREUM.

Ungventum aureum dicitur ita à colore & effectu, vulnera recentia certè citò curat.

UNGVENTUM DE CALCE.

Calx viva equidem optimum est remedium: inviscatum tamen ab oleis nil valet. Quod si tamen ungventum aliquod exinde parare voluerimus, duplici fieri potest modo, vel ex aqua calcis vivæ cum oleo amygdalarum dulcium; vel alio appropriato, uti superius monui; vel etiam ex calce lota cum oleo appropriato, rosarum, vel amygdalarum dulcium nempe mixta. Quicquid sit, conducit hoc ungventum ex calce viva contra scabiem contumacissimam, item contra ambustiones, item contra caruncula m penis. In talibus casibus, imprimis in scabie, malaxetur cum oleo nicotianæ, & valde convenit. Optimè interim per se adspergitur; sic enim in Obs. contra caruncula m penis expertissimum remedium dicitur.

UNGVENTUM de CERUSSA AVICENNÆ.

Quæ dicta sunt de ungvento albo camphorato, omnia dicenda veniunt de hoc: paratur enim illud ex cerussa.

UNGVENTUM CITRINUM.

Ungventum citrinum externe dicatum est furunculis, den Schwähren/pro extractione & maturatione.

UNGVENTUM CLYSMATICUM.

Ita dicitur, quia à veteribus clysteribus addebatur pro blanda alvi reclusione: dissolvebant scilicet in Decocto appropriato v. g. in Decocto emollitivo, ad blande laxandam alvum. Hodie tamen minus in usu est, quia temperatum admodum, hinc non nisi in infantibus locum habet.

UNGVENTUM COMITISSÆ.

Constat ex infuso & Decocto variorum adstringentium, unde ad præservationem abortus, nimium mensium fluxum, fluorem album, dysenteriam, &c. applicatur lumbis vel abdomini, mistum cum oleo mastichino, oleo cydoniorum, oleo nucistæ & alio simili. Quidam ita præscribunt:

℞. *Ungv. Comitissæ* ℥j.
croci ♂is adstring. ʒij.
c. ℞ *myrt.* f. *ungventum.*

Sed vano ausu præscribitur, cum affectus adstrictorius inde separatus à pingvedinibus & oleis omnino impediatur: sicuti etiam croci ♂is usus externus nullus est.

UNGVENTUM CARDIACUM.

Ungventum Cardiacum parum valet; unde ejus loco oleum destillatum cumini hypochondriis illini poterit.

UNGVENTUM CORDIALE LUDOVICI ab HORNIG.

Ungventum hoc contra morbos malignos adhibetur; & addi posset oleum camphoræ, quod cum oleo amygdalarum dulcium paratum sit; ita enim omnibus aliis præstaret, acuatum cum oleo destillato cumini.

UNGVENTUM DE GLYCYRRHIZA.

Contra inflammationes, erysipelata, hæmorrhoides dolentes, &c est usitatum.

UNGVENTUM ad HÆMORRHOIDES NORIMBERGENSE.

In tumoribus & doloribus hæmorrhoidum cæcarum in usu est, quorum symptomata mitigat: quod tamen præstat solum ungventum de linana, cum butyro Majali non salito subacta: cui oleum momordicæ si adderetur, remedium magis specificum haberetur.

UNGVENTUM INFRIGIDANS *Galeni.*

Veteribus, & adhuc Italis & Gallis, in usu est, ad inunctionem dorsi in hectica, item in inflammationibus renum: additur oleum nymphææ, & tantillum sacchari Saturni.

UNGVENTUM JOVIS seu DE VERBENA.

Commendatur in inflammationibus & tumoribus calidis: aliàs commendatur succus verbenæ inspissatus, & cum oleo hyoscyami in parva quantitate in ungventum mistus: estque expertus in doloribus capitis contumacissimis, in specie scorbuticis.

UNGVENTUM DE LITHARGYRIO.

Convenit in scabie & pruritu, imprimis si cum floribus sulphuris misceatur, vel etiam cum ungvento emulato in quo casu & usu etiam contra serpiginem commendari solet.

UNGVENTUM MERCURIALE.

Ungventa Mercurialia admodum variant: Quædam n. Mercurius vivus, quædam Mercurius dulcis, quædam Mercurius præcipitatus, non autem vulgaris, sed magis iste, qui ab *AVTORE nostro* arcanum Corallinum vocatur, seu Mercurius cum spiritu nitri fixatus, item Mercurius cum spiritu vitrioli fixatus. Prosunt in specie in symptomatis luis Venereæ partium externarum, unde etiam à quibusdam appellatur Ungventum Neapolitanum, in doloribus, ulceribus sordidis venereis, ac similibus: item in pustulis externis durioribus, item in scabie. Quæ verò cum Mercurio vivo parantur, ultimum fere refugium sunt in tumoribus Gallicis Venereis emolliendis, item contra ganglia seu nodos, die Oberbeine/ contra scirrhos, &c. v. g.

℞. *Pingvedo suilla:*

Cum oleo laurino & Mercurio vivo in mortario lapideo cum pistillo ligneo subigatur, donec fiat ungventum contra scrophulas resolvendas optimum.

Pertinent huc omnia ungventa ex Mercurio vivo parata; quæ extrinsecus inunguntur vel articulis, vel etiam spinæ dorsi pro excitanda salivatione in cura luis Gallicæ. Sed observetur: quod semper debeant esse præmissa universalia seu talia, quæ servant corpus spirabile, & poros apertos.

UNGVENTUM DE NICOTIANA.

Ungventum de Nicotiana rite paratum multi usus est. In omnibus vulneribus mira præstat, quæ ipsa valdè consolidat. Nam notum est, quod solum Decoctum Nicotianæ vulneribus infusum, vel si cum eo vulnera fuerint abluta, valde conveniat in earum consolidatione. Optimum fit, si nicotiana coquatur cum ligno Gvajaco, & Decoctum iterum de novo cum nicotiana coquatur. Tale Decoctum est valdè proficuum in fistulis: Contra tineam capitis & pediculos valdè prodest Ungventum hoc, in infantibus præprimis, ubi tamen cautè agendum est cum ungvento pediculorum. Addatur autem hic oleum spicæ: imo si radix gentianæ pulverisata cum oleo nicotianæ subigatur, & aliquot guttulæ olei spicæ addantur, mirè fugantur pediculi. Aliàs verò optimum est linteum illud, quo aurifabri vasa in aurata abstergunt, cui fricando pediculi adhærent vita privati.

UNGVENTUM NIHILI.

Convenit ad oculos, imprimis in eorum tumore & rubedine.

UNGUENTUM PECTORALE.

A quibusdam commendatur ad dolorem pectoris: item ad expectorationem, quam promovere dicitur: item in tussi sedanda: subigitur cum oleo lilior. alborum, & inungitur pectori.

UNGVENTUM PEDICULORUM

Compositionem videbitis *in Pharm. Augustana.* Convenit ad abigendos pediculos. Aliàs, quod supra dixi, præstat hic linteum vel pannus, quo aurifabri solent abstergere vasa argentea post inaurationem, quo panno probè fricentur capilli & caput.

UNGVENTUM ad PERNIONES.

Compositionem habet *AVTOR pag* 308.

UNGVENTUM POMATUM

dicitur ita, quod fiat ex pomis.

UNGVENTUM DIAPOM PHOLYGOS *seu NIHILI Nicolai.*

ad consolidanda ulcera convenit.

UNGVENTUM POPULEUM.

externe contra agrypnias adhibetur.

UNGVENTUM POTABILE.

Ungventum potabile variè conficitur: optimum est, quod sperma ceti recipit. Dosis est ℥j Præstat tamen sperma ceti crebrius sumptum.

UNGVENTUM RESUMPTIVUM

ita dicitur, quoniam adjuvare dicitur corpus, ut resumat, denuo carnem & crassescat. Propterea in usu est in atrophia, in hectica, idem post febres, si eodem illinatur spina dorsi.

UNGVENTUM ad SCABIEM.

unguenti hujus loco sufficit balsam. sulphuris.

UNGVENTUM SPLENETICUM.

De hoc ungvento notum est: quod valdoperè commendet *HILDANVS in Observationibus* in scorbuto & affectibus splenis, ortis ex malo hypochondriaco. Miscendum est cum oleo cochleariæ.

UNGVENTUM SYMPATETICUM *Crollii.*

Pro Basi agnoscit usneam cranii humani, & mumiam. Vocatur alias etiam *ungventum Armarium.* Descriptio potest videri in *AVTORE pag.*309. conf. quoad compositionem *HOFFMANNVS Clav p.*122 & quoad experimenta hujus unguenti vid. *BARTHOLINI acta Med. Hafn. volum. 2. p.* 266.

UNGVENTUM TEREBINTHINÆ. *No.* 28. *pag.* 310.

Hoc est quod vulgo vocant das digestif Sälbletn. Compositio simplex est, & optimè convenit loco digestivi pro suppuratione in vulneribus, abscessibus apertis & ulceribus, & mundificationem optimè promovet.

UNGVENTUM DE TUTIA.

Ad cura ulcerata inveterata, aliaq; ulcera difficulter cicatrisantia, ad consolidationem producenda, applicatum est egregium: de quo vide *GABELCHOVERVS c.* 3. *Cur.* 65.

UNGVENTUM ad VERMES.

A me expertum est sequens:

Recep. *aloes epat.* ʒij.
fell. tauri insp. ʒj.
℞ *colloeynth* ℈j.
absinth. q. l.
M. f. ungventum

quod parti vesicæ magnitudinis palmæ illitum applicatur umbilico. Si fortius adhæret, vermes adsunt; iis verò absentibus, non adhæret: & dum adhæret, relinquendum est tamdiu, donec decidat sponte, & interdum solet expellere vermes, interdum instar mucilaginis liquefacti vermes exeunt.

UNGVENTUM VIRIDE POTABILE seu BUTYRUM VIRIDE.

convenit internè in casu ab alto, in sangvine congrumato, & similibus casibus. *FINIS.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p1126-8 DFG